UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P
53.
G. IV 25.

PARS ALTERA

DECISIONUM PRACTICARUM CASUUM CONSCIENTIÆ SELECTORUM

IN

PRAXI, ET FORO INTERNO QUOTIDIE OCCURRENTIUM, OMNIBUSQUE, PRÆSERTIM ECCLESIASTICIS, *QUI SUI, ET ALIORUM CURAM GERUNT,*

PERUTILIUM,

RESOLUTORUM

A

P. BONAVENTURA LEONARDELLI,
SOCIET. JESU SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ET ANTEHAC IN SCHOLASTICIS, ET MORALIBUS PROFESSORE, AC NUNC IN CATHOLICO, ET CELEBRI LYCEO AUGUSTANO STUDIORUM SUPERIORUM PRÆFECTO.

CUM PRIVILEGIO SAC. CÆSAR. MAJESTATIS,
ET
FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MARTINI VEITH.
ANNO 1719

Collegii Societatis Jesu Paderborna 1740

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
JOSEPHO
LANDGRAVIO
HASSIÆ,
Principi Hirschfeldensi, Comiti Catimelibogi, Ditz, Ziegenheim, Nidda, Schaumburg, Isemburg, & Budingen,
ABBATI
Infulato Földvariensi, Ecclesiæ Metropolitanæ Colonensis,
Nec Non
Ecclesiarum Cathedralium: Leodiensis, Augustanæ, & Constantiensis Canonico,
Ordinis S. Huberti Equiti &c. &c.
DOMINO, DOMINO
Ac
Patrono Gratiosissimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE, DOMINE, *ET PATRONE GRATIOSISSIME.*

MUnus hoc si honoratas Cujuspiam in manus venire licuit, non alias decuit potiùs, quàm Tuas, Princeps Sereniſſime: aut si digna erat hæc lucubratio, cui pars ſplendoris aliqua à magni præſcriptione Nominis affunderetur, non erat, unde illuſtrem hanc opem vel petere confidentiùs, vel accipere copioſus, quàm à Tua dignitate poſſit. Nam, ùt ingentis ſolùm eſt Oceani vectigalium ſibi fluminum dona, tributave accipere, quidem, ſed non multò pòſt reddere auctiora: ita non niſi Magnorum, Tuæque cumprimis propria magnitudinis hæc exiſtere ſolet conditio, ut minuta potiſſimùm munera acceptes perquam lubenter & benevolè, non ut habeas quidem illa, ſed ut facere Magna non dedigneris. Magnitudinem porrò Tuam eam eſſe affirmo ego, & mecum alii omnes, in quorum oculos & Generis Sereniſſimi ortus, & Virtutis prorſus inſolitæ clariſſimus meridies incur-

currit, ut Solem, illum lucis primigeniæ fontem, faciliùs inſpicere, quàm hebetes in Serenitatis Tuæ decora oculos auſim immittere. Quare id mihi conſilii capiendum duxi, ut veluti ſolem ex umbra metimur, ita Magnitudinem tuam pariter, ex comite & Generis & Virtutis congenitæ præſtantia adumbrem veriùs, quàm deſcribam. Nihil itaque dicam de avita & immortali non ſago minùs quàm Toga clariſſimorum Progenitorum laude, famáque non Hiſpaniam ſolùm, Italiam, Belgium, atque Hungariam, ſed univerſam adeò Europam pervagata: nihil, quòd Auguſtiſſimam Imperantis Auſtriæ Domum, præcipuásque Regum, ducúmque in hac orbis parte familias propinqua ſanguinis Sereniſſimi neceſſitudine contingas: nihil, quòd Serenisſimi Parentis Philippi veſtigia ſecutus claritati Generis veræ inſuper Religionis priſtinum ſplendorem vindicâris: nihil quòd dubium profectò feceris, majúsne Sacro Hubertino Ordini decus ipſe adjeceris, an ab Eodem acceperis? nihil denique, quòd cùm tuorum conſcia meritorum Hungaria ſacro Vertici tuo Infulæ honores ſumma voluntate detulerit, tum etiam Summæ, quæ Coloniæ, Leodii, Auguſtæ, atque Conſtantiæ exiſtunt, Eccleſiæ in ſuum te adoptare Gremium non annuerint modò, verùm etiam concertârint. Hæc ſilebo hodie omnia (quoniam tacere omnino præſtat, quàm minùs loquendo maxima obſcurare) ſolam ut magnitudinis tuæ admiratricem, ita & locupletiſſimam teſtem adduco Auguſtam, quam adeò Virtutis tuæ admiratione implêſti omnem, ut ampliſſima cùm ſit, tuæ tamen capere deſperet magnitudinis ornamenta, in dies majora, luculentioráque. Nam quis in urbe hac noſtra, adeò pere-

grinus degit, qui non miretur, nullum tibi fluere diem, quo non divinis constanter præsens Officiis, præ pietatis sensu suavissimo diffluas? quem à Sanctissima nostra Religione tam alienum credam, qui non publicis in Pompis, ac supplicationibus, si non palàm clam certè apud animum suum non approbet fervorem in communi comprecatione minimè communem? quis unquam Princeps (& Tantus!) rarum adeò & antehac non visum, Te præter exemplum Religionis sibi antiquissimæ præbuit, qui diem Te illum perdidisse arbitrareris, quo Numen, operans ad aram Sacerdos neutiquam propitiâsses. Testis est Sacellum in Aula tua (quanquam sacellum tota esse mihi videtur) domesticum: testes, quot ferè in hujus amplitudine civitatis surgunt Catholicorum Templa; testis adeò Sacra hæc ædes minimæ Societatis Nostræ, quam mox ab Adventu tuo quot diebus, postea verò in Primarum festivitatum anniversaria luce, peractô ad aram Sacrificiô, illustrandam duxisti. Atque hæc tanta in Te uno cumulata decora numquid ingentem Magnitudinis Tuæ speciem præseferunt, & quanto major in animo tuo nostris de industria oculis subducta, delitescat, eloquenti silentio declarant? Et sanè poterat tantæ amplitudinis respectus ignotum Hominem à proposito deterrere offerendi hujus, quod clementi tamen oculo, ùt spero, dignaberis, forsan etiam non satis elaborati operis: sed præterquam quòd Heroum Communia in omne genus hominum beneficia sunt, in tuæ existimationis meditatione defixus, etiam inveni, quæ me rursus non absque Fiducia animaret, ex ipsius adeò operis titulo de-

desumptam rationem. *Decisiones* tibi offerro meas, qui & limatissimo es judicio, & si quæ novercalis Lectorum invidia hunc partum allatrare, aut omnino etiam Parenti abrogare, sustineat, ea polles litem hanc decidendi Sapientia, & in literas æquè, ac literatos benevolentia, ut sub umbra magnitudinis tuæ, Serenissimique Nominis non tutus solùm, sed etiam conquiescere possit securus. Nihil hìc ego nimium assentandi Causâ in Laudem tuam protuli, quod omnium, qui Serenitatem tuam aut nôrunt, aut tuam saltem ex aliorum recensione Sapientiam didicerunt, unanimis non probet consensio. Neque magnopere miror, te Musarum amorem simul esse & amatorem, si mecum ipse repeto, eos te nactum Majores, qui non Patriæ se Patres æstimâssent, nisi & doctrinarum omnium extitissent Mæcenates, qui Gissæ ad Lohnam stabile Musis domicilium posuerunt, Academiam intelligo non incelebrem, qui, ut paucis complectar omnia, excubantes velut ad solium Salomonis Leones gentilitio in scuto præferunt, & doctorum secunda admurmuratione ostentant. Quos ita tu æmularis strenuè, ut Musarum non æstimator modò, sed in emerita etiam, & doctrinis severioribus satìs supérque exculta ætate adhuc earundem in sinu alumnus, nihil habeas in omni vita charius, quàm si quas literatus orbis tuæ erga liberales disciplinas humanitati obtulerit lucubrationes.

Patere igitur, Princeps Serenissime, ut Sacratas manus subeat non inverecundum hoc opus meum, ut non meæ tantùm, sed & Societatis, quam tua semper hactenus complexa est benevolentia, tenue extet in te observantiæ pignus,

ut

ut denique Partus hic, non invita, ùt opto, Minervâ in lucem editus, quam à Parente non ſperet, à Patroni ſaltem Sereniſſimi magnitudine ſibi promittat ſecuritatem.

Serenitatis Tuæ.

Servorum Infimus
Bonaventura Leonardelli. Soc. JEſu.

Facultas Reverendi Patris Provincialis.

Cum Privilegio Cæſareo.

Cùm Dominus Martinus Veith Bibliopola Auguſtanus Typis vulgare deſideret Librum, cui Titulus: *Secunda Pars Deciſionum Practicarum Caſuum Conſcientiæ Selectorum &c.* à P. Bonaventura Leonardelli Societatis JEſu conſcriptum, & à Patribus ad id deputatis lectum, approbatúmque: Ego Rudolphus Burckhart, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab Admodum Reverendo P. N. Franciſco Retz, Societatis ejusdem Præpoſito Generali, mihi conceſſa, eidem ad hanc duntaxat editionem facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum librum citra Conſenſum Superiorum vel recudere, vel intra fines imperii, & hæreditarias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias inferre præſumant. In cujus confirmationem, has Litteras Chirographo meo, & conſuetô Officii Sigillô munitas dedi.

Auguſtæ 4. Aprilis 1738.

(L. S.)

RUDOLPHUS BURCKHART.

ELEN-

ELENCHUS

Casuum, & Quæstionum in eis contentarum.

CASUS I.

De homicidio innocenti imputato, & damnis inde ortis resarciendis.

Titius injustè occidit Cajum, cujus homicidium imputatur Sempronio innocenti, qui proin comprehensus, & in carcerem conjectus, non solùm ipse multum detrimenti subire debet, sed etiam damna temporalia ex delicto aliis subsecuta resarcire cogitur, etiam mortis pœnâ mulctandus.

Q. 1. An, & quid Titius restituere debeat Cajo pro ipso homicidio, seu vita ablata?
Q. 2. An, & qualia damna eidem Cajo resarcire teneatur in bonis fortunæ ex homicidio eidem emergentia?
Q. 3. Quibus personis consanguineis ea restitutio facienda sit?
Q. 4. An Titius obligetur aliquid restituere Creditoribus occisi Caji, si propterea carere debeant debiti solutione, ad quam illi aliàs spem habebant?
Q. 5. An Titius homicida teneatur innocenti Sempronio ea damna reparare, quæ ipse ea de causa passus est?

R. P. Leonardelli Soc. Jesu. (a) Q. 6.

Q. 6. An ille, qui novit Auctorem occulti homicidii innocenti falsò imputati, possit, aut teneatur illud manifestare ad liberandum innocentem?

CASUS II.

De imponente sibi in judicio falsum crimen ad evitanda tormenta.

Furander Pompei tunc absentis domum ingressus, effractâ arcâ pecuniariâ, omnem in ea reconditam pecuniam surripit. Pompeus ex sua excursione redux id inaudiens, cùm Furbilianum famulum à se paulò antè dimissum satis de furto suspectum haberet, eum ad Judicem defert, qui eum comprehensum, examini subjectum, & furtum, quod non commiserat, vi tormentorum confessum morti adjudicat. Furander, hôc auditô, conscientiæ stimulis agitatus Laurentio Furbiliani Confessario totam rei seriem pandit, & quid consilii, ut innocentem Furbilianum à morte liberare possit, ab eo exquirit.

Q. 1. Quid Laurentius Confessarius consulere possit Furbiliano innocenti, & an hic teneatur retractare confessionem falsi criminis sibi impositi ad tormenta evitanda?
Q. 2. An graviter peccet, qui ad evitanda gravissima tormenta sibi falsum crimen imponit, propter quod morti adjudicandus est?
Q. 3. Quid consulendum Furandro furi, & an hic teneatur se prodere ad liberandum innocentem?

CASUS III.

De obligatione solvendi gabellas, & vectigalia &c.

Q. 1. An Princeps sæcularis in casu necessitatis publicæ gabellas super bonis Ecclesiasticis imponere possit absque Ecclesiasticorum, & Pontificis censensu?
Q. 2. An fraudantes gabellas, & vectigalia justa peccent contra justitiam, & ad restitutionem teneantur?
Q. 3. An, quando dubitatur de justitia vectigalis, gabellarum &c. quæ de novo imponuntur, aut veteres augentur, obligatio sit eas solvendi?

CA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CASUS IV.

De venante, & in alienis limitibus feras capiente.

Q. 1. Ad quem ex duobus venatoribus pertineat cervus ab uno graviter vulneratus, ab altero prostratus, & captus?

Q. 2. Ad quem spectent aves laqueo à te posito irretitæ, & captæ, sed ab alio præveniente è laqueo extractæ?

Q. 3. An Vulpinus venator in alienis limitibus feras capiens graviter peccet, & ad restitutionem teneatur?

CASUS V.

De Eleemosyna per dolum obtenta, & contractu dolosè inito.

Pauperius opifex, licèt ex propriis mediis, & laborando se commodè sustentare posset, laborare tamen valens, sed nolens, mendicare non erubescit, sed ostiatim Eleemosynam colligit, quam ut liberaliorem obtineat, filiam, quam secum circumducit, à Dæmone obsessam fingit.

Q. 1. An qui, simulatâ paupertate, Eleemosynas à populo accipit, alioquin eas illi non daturo, teneatur ad restitutionem, & si tenetur, an restitutio facienda sit ipsi danti, an verò pauperibus?

Q. 2. An, & qualis dolus, vel error dans causam contractui, sed non versans circa rei substantiam, vitiet contractum?

Q. 3. An qui denegavit Eleemosynam pauperi extremè indigenti, cui tenebatur succurrere, obligetur postea transacta necessitate aliquid restituere?

CASUS VI.

De juramento, contractibus, & præscriptione debiti indefinitè contracti.

Q. 1. An juramentum firmet contractus jure positivo nullos, & invalidos, quibus adjicitur?

Q. 2. An, & quando obligatio juramenti promissorii homini præstiti tranſeat ad hæredes tam jurantis, ſeu promittentis, quàm promissarii?

Q. 3. An à debitore præscribi possit debitum indefinitè contractum?

CASUS VII.

De contractu locationis, & pensione minuenda, & augenda.

Q. 1. An licitus sit contractus, quô venditor rei venditæ dominium in emptorem transfert per traditionem cum pacto, ut, donec is non solvit pretium, vel ejus partem, restituat æstimationem perceptorum fructuum secundùm proportionem pretii non persoluti?

Q. 2. An, & quando ob anni sterilitatem, alluvionem, aliumve casum fortuitum de pensione aliquid remittendum sit, & an pensio augenda sit ob uberiores fructus ex fundo locato provenientes?

Q. 3. An, quando res locata periit apud Conductorem, damnum præstare debeat Conductor, an locator?

CASUS VIII.

De obligatione compensandi damnum datum &c.

Clepander fur noctu cum lumine domum Caji ingressus, horologium, vestes, aliáque mobilia domestica furtô surripit, & relictô domûs ostiô apertô aufugit, dúmque domo egreditur, calu, & præter suam intentionem domum incendit. Horologium postea pretio 30. fl. vendit Titio bonæ fidei emptori, qui illud rursus distrahit pretio 30. fl. quos omnes donat Antonio nepoti suo ad studia abeunti.

Q. 1. An Clepander fur teneatur damnum resarcire, quod ex incendio domûs passus est Cajus?

Q. 2. An fur relinquens ostium domûs, in qua furatus est, apertum teneatur etiam ad compensandum damnum datum ab alio fure, qui reperiens ostium apertum, domum & ipse ingreditur, & furatur?

Q. 3.

Q. 3. An Antonius nepos, & ipse Titius, rescientes postea horologium fuisse furtivum, ad aliquam restitutionem teneantur?

CASUS IX.

De debitore ad solvendum suis creditoribus impotente.

Titius mercator post contracta multa debita videns se ad ea solvenda impotentem, prædium, quod 1000. fl. emerat, vendit 800. fl. Cajo scienti Titium impotentem esse ad contracta debita expungenda, & ex 800. illis fl. 400. tradit Calmo genero suo in dotem filiæ suæ Theresiæ.

Q. 1. An Titius conscius suæ impotentiæ solvendi Creditoribus licitè, & validè prædium vendiderit?
Q. 2. An Cajus sciens Titium impotentem esse ad solvenda sua debita, peccaverit contra justitiam emendo prædium Titii, & teneatur in foro conscientiæ ad restitutionem creditoribus faciendam?
Q. 3. An Calmus gener dotem à Titio sic acceptam teneatur restituere Creditoribus, & an, & qualis actio detur contra filiam Theresiam post mortem mariti?

CASUS X.

De observatione Somniorum, & restitutione pretii pro exercitio magicæ artis accepti.

Q. An, & quale peccatum sit somnia observare, iisque credere?
Q. 2. Unde dignosci possit, quòd somnia aliquos effectus futuros significantia sint à Deo, vel à Dæmone?
Q. 3. An pretium receptum pro usu, & exercitio artis magicæ sit restituendum, præsertim si effectus, ob quem datum est, non obtineatur?

CASUS XI.

De restitutione famæ defunctorum, rerúmque iisdem furtò sublatarum.

Q. 1. An qui mortuis, etiam damnatis, graviter detrahit, graviter peccet contra justitiam, & ad restitutionem teneatur, & si tenetur, cui, & quomodo facienda sit restitutio ?

Q. 2. An, & cui vestes, & alia, cum quibus defuncti humati sunt, furtô sublata, restituenda sint, & quæ pœna ejusmodi furibus jure Statuta ?

Q. 3. An liceat Catholicis comitari funus hæretici cognati sui, aut amici ?

CASUS XII.

De dote, & pactis dotalitiis.

Bertha indotata egit cum Cajo cognato suo, ut mutuò sibi daret 200. fl. quos cùm accepisset, adiit Titium alterum cognatum suum, eique ostensis 200. fl. subjecit: Ecce hos 200. fl. donaturus spopondit mihi Cajus frater tuus, si & tu centum adjeceris, ut honestum mihi oblatum matrimonium consequi possim : Quo audito adpromisit Titius petitos centum fl. sed cum eos statim solvere non posset, pactum iniit cum ejus sponso Bertoldo, daturum se singulis annis 5. fl. pro censu, eousque donec promissos centum fl. persolveret. Annuit Bertoldus sponsus, & matrimonium init cum Bertha, eo pacto, ut si ipse moreretur improlis, vel si ipse, & nascituri liberi ante ipsam è vita excederent, ipsa Bertha hæres esset omnium suorum bonorum. Contracto itaque matrimonio post annum vix elapsum moritur Bertoldus maritus, relictâ post se unicâ filiâ, paulò post patrem secutâ, & Berthâ viduâ, quæ etiam post mortem mariti pergit exigere 5. fl. annuos quousque Titius cognatus centum sibi in dotem promissos persolvat.

Q. 1. An Bertha in conscientiæ foro obliganda sit ad restitutionem centum fl. à Titio cognato ita obtentorum ?

Q. 2. An Bertha possit tutâ conscientiâ exigere post mortem mariti, & accipere 5. fl. annuos quousque centum promissi persolvantur ?

Q. 3. An pactum Bertoldi cum Bertha nullum fuerit ob inæqualitatem dotis cum contradote ?

CA-

CASUS XIII.

De acceptione personarum, collatione, & venditione Officiorum Sæcularium publicorum.

Q. 1. An conferentes Officia publica Sæcularia, si assumant indignos, vel minùs dignos relictis dignioribus, aut dignissimis, peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur?

Q. 2. An hujusmodi Officia publica sæcularia licitè vendi possint?

Q. 3. Quibus in casibus locum habeat acceptio personarum?

CASUS XIV.

De restitutione damnorum ex detractione alienæ famæ secutorum.

Richardus occultum grave delictum Caji, quod publicum, & satis notum esse putavit, manifestavit pluribus, ex cujus manifestatione Cajo non tantùm famæ, sed & bonorum fortunæ grave damnum subsecutum est; Quæ res ita afflixit Cajum, ut superveniente repentino morbo paulopòst extinctus fuerit.

Q. 1. An, qui per culpam solùm venialem alteri detraxit, teneatur in conscientia reparare damnum grave inde secutum?

Q. 2. An detractor debeat famam alienam graviter læsam reparare non solùm apud eos, apud quos illam alteri abstulit, sed sed etiam apud alios mediatos, quibus isti postea dixerunt, ac propalârunt?

Q. 3. An obligatio restituendi pro fama læsa transeat ad hæredes detractoris, quando ipse ante mortem non restituit? Et an, quando detractor famam alteri ablatam non restituit eidem, dum viveret, teneatur aliquid restituere ejus hæredibus post ejus mortem?

CASUS XV.

De restitutione præstanda ab eo, qui alterum impedivit à consecutione legati &c.

Pon-

Pontianus ob inimicitias cum Cajo habitas non quidem vi, aut fraude, sed tamen ex odio, & animo nocendi suadet Pontio testatori, ne legatum mille fl. relinquat Cajo, sed illud Patronillæ consanguineæ suæ viduæ leget. Præterea, cùm Nunnus frater Caji aspiret ad Beneficium Ecclesiasticum, suasione, & precibus Collatorem jam determinatum ad conferendum Beneficium Nunno Sacerdoti permovet ut illud conferat filio suo, licèt minùs digno.

Q. 1. An, & quando ad restitutionem teneatur, qui precibus, aut consilio absque vi, & fraude alterum impedivit à consecutione alicujus boni, aliàs obtinendi?

Q. 2. An Pontianus absque vi, & fraude, sed tamen ex odio, & animo nocendi persuadendo Pontio, ne legatum relinquat Cajo, teneatur ad restitutionem Cajo faciendam?

Q. 3. An teneatur ad restitutionem faciendam Nunno à consecutione Beneficii ita à se impedito?

CASUS XVI.

De deposito, & culpa depositarii.

Florianus in depositum accepit cistam continentem pecunias, & non nulla alia pretiosa à Flaviano sibi traditam, quam reponit in suo cubiculo clauso, non tamen in arca, in qua pecuniæ propriæ asservabantur; cùm autem Flavianus non nunquam famulis suis aliàs semper fidelibus clavem cubiculi sui committeret, unus eorum oblata sibi opportuna occasione aliqua clam ex deposita cista surripuit. Post aliquod tempus Flavianus repetit, & accipit depositum, sed dum ea lustrat, quæ in cista continebantur, deprehendit, non omnia inveniri.

Q. 1. Ex qua culpa teneatur depositarius deponenti, si res deposita apud eum pereat, vel deterior fiat?

Q. 2. An Florianus teneatur resarcire damnum Flaviano à famulo illatum?

Q. 3 An, & quando, cùm cista in custodiam tradita restituenda est, & non omnia in ea reposita inveniuntur, peti possit compensatio damni à deponente?

CASUS

CASUS XVII.

De mutuo dato cum præscientia valoris augendi, & minuendi.

Barillus cujusdam Principis Consiliarius sciens ex mandato Principis paulopôst valorem monetarum aurearum auctum iri; argentearum verò minuendum, Donato mutuum petenti dat centum aureos; Dagoberto verò centum fl. ea conditione, ut post annum uterque reddat tantum, quantum accepit, nulla facta mentione de valore monetarum augendo, & minuendo, eò quòd hoc Secretum à Principe sibi communicatum revelare non possit.

Q. 1. An Barillus sciens postea esse minuendum valorem pecuniarum argentearum possit licitè Dagoberto mutuos dare centum illos fl. ut eos sibi restituat juxta valorem, quem habebant tempore mutuationis, non monito Dagoberto de varietate pretii futura?

Q. 2. An Donatus teneatur reddere centum aureos in specie, cùm post auctum aureorum valorem restituendum est mutuum; an verò satisfaciat reddendo æqualem valorem?

Q. 3. An licitum sit aliquid accipere ultra sortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus?

CASUS XVIII.

De debitore morosо. & restitutione ob damnum emergens, & lucrum cessans.

Marchantius mercator debet Juvenali mercatori duo millia fl. quorum solutionem diu distulit, tum ob detrimentum, quod in mercatura aliàs facere debuisset, tum ob magnum lucrum, quod inde percepit, ex quo factum est, ut Juvenalis non modicum damnum ex debiti dilatione passus fuerit.

Q. 1. An, & quando debitor ob damnum in propriis bonis emergens, aut lucrum cessans excusetur à restitutione Statim facienda?

Q. 2. An, & quando debitor ex causa sufficiente excùsatur à restitutione Statim facienda, debeat postea ultra debitum ipsum

restituere detrimentum lucri cessantis, vel damni emergentis; quod Creditor ob dilationem restitutionis passus est?

Q. 3. An, si debitor morosus sit in mora culpabili solvendi, & ideò Creditor cogatur accipere pecuniam, & solvere interesse, debeat in conscientia id totum solvi ab ejus debitore, si priùs non fuit de eo admonitus à suo Creditore?

CASUS XIX.

De censibus, & usura.

Q. 1. An speciem habeat usuræ contractus, quô 5. annui pro centum fl. petuntur, & accipiuntur?

Q. 2. An usurarius sit contractus, vi cujus creditor tam in causa profana, quàm in causa pia rei oppignoratæ fructus lucratur, donec ipsi totum debitum solvatur?

Q. 3. An licitum sit emere censum cum pacto, ut venditor cum redimere voluerit, redemptio fiat in eadem specie monetæ?

CASUS XX.

De emptione, & venditione rei à debitore ære alieno gravato in fraudem Creditorum alienatæ.

Cùm Crispus ære alieno gravetur, ut non sit par solvendo, domum, quam habet adhuc unicam, vendit Crispino affini suo, cujus pretii partem filiæ suæ nubili in dotem tradit, partem alteram ipsemet Crispus absumit.

Q. 1. An Crispinus domum illam validè, & licitè emere, & retinere possit, si ignarus sit impotentiæ, quam habet Crispus ad satisfaciendum suis Creditoribus?

Q. 2. An, si Crispinus conscius fuit, alienationem domûs fieri in fraudem Creditorum, teneatur tam in foro externo, quàm interno domum restituere, sive Creditores petant, sive non petant intra annum?

Q. 3. An Crispus ex pecuniis ex vendita domo acceptis filiam dotare, & filia dotem acceptare, ac retinere potuerit?

CASUS

CASUS XXI.

De Judice innocentem condemnante ex testimonio falsorum testium.

Q. 1. An Judex possit eum ad mortem condemnare, qui per testes, & allegata probatur quidem reus, sed ipse Judex privatim certò scit esse innocentem?

Q. 2. An Judex teneatur ad restitutionem hæredibus Rei faciendam, si eum, postquam præter juris ordinem crimen extorsit, ad mortem condemnet?

Q. 3. An, & quando testis ratione falsi testimonii ad restitutionem teneatur, vel si citatus comparere, ac testari recuset?

CASUS XXII.

De obligatione testium Judici interroganti respondendi.

Titius nocturno tempore occidit inimicum suum, cui comes erat Cajus, non tamen homicidii complex; jurat nihilominus Cajus Titio, se patratum homicidium non proditurum, quod cùm postea innotuisset Judici, in ejus Auctorem inquirit.

Q. Utrum Cajus interroganti Judici, non obstante juramento, veritatem aperire possit, vel debeat? *Primò*, cùm crimen est occultum, & nulla adsunt indicia publica, sed suspicio duntaxat patrati criminis. *Secundò*, cùm de crimine certò constat esse patratum, ut in casu posito de homicidio, eò quòd v. g. manè repertum sit cadaver in platea, &c. & Judex vult de vicinis recipere informationes. *Tertiò*, quando non solùm de crimine certò constat, sed insuper Titius laborat infamia tanquam à se patratum homicidium, vel quia contra eum proceditur viâ accusationis.

CASUS XXIII.

De obligatione Judicis ex probabilitate opinionum causam decidentis.

Pilatus Judex à Republica constitutus cum non modico salario annuo non multùm solicitus est de majore causæ probabilitate, & ejus meritis rimandis & examinandis, sed dummodo pro se sententiam probabilem inveniat, secundùm illam judicat, & si par sit utriusque partis litigantis probabilitas, causam adjudicat illi, cui maluerit. Nec multùm invigilat Officio suo publico, sed potissimum tempus impenit negotiis suis domesticis, & causis aliorum privatorum, majoris lucri faciendi gratiâ

Q. 1. An Judex in judicando teneatur semper sequi sententiam probabiliorem?

Q. 2. An Judex, qui secundùm minùs probabilem sententiam judicat, non solùm peccet, sed etiam ad restitutionem teneatur?

Q. 3. An, quando probationes ex parte facti sunt æquales, & jus æquè favet uni, quàm alteri ex litigantibus, integrum sit Judici applicare rem, cui maluerit?

Q. 4. An, & quid Pilatus ratione neglecti sui Officii Reipublicæ restituere teneatur?

CASUS XXIV.

De Judice, Sagis, & Confessario.

Trusila pluribus malevolis de maleficiis suspecta ad Judicem defertur, quæ, licèt re vera innocens esset, idque privatim constaret Judici, cùm tamen juxta multiplicatas denuntiationes, allegata, & probata in foro externo rea inventa esset, tanquam Saga, morti adjudicatur, eique significatur, ut accito Confessario ad ultimam luctam post triduum subeundam se disponat.

Q. 1. An Judex Trusilam rectè ad mortem condemnaverit?

Q. 2. An suspectus de maleficio possit à Judice damnari ad mortem

tem propter multiplicatas Sagarum, seu infamium personarum denuntiationes, etsi reus crimen Confessus non sit?

Q. 3. An liceat Judicibus volentibus maleficum torquere, efficere, ut ejus corpus abluatur, & pili totius corporis abradantur?

Q. 4. Quomodo Confessarius se gerere debeat cum Sagis ultrò ad S. Confessionem accedentibus, vel à Judice jam captis, & condemnatis?

CASUS XXV.

De Advocato, ejúsque obligatione.

Baldus Advocatus causam Valerii defendendam suscipit, quam ab initio justam quidem censet, sed in progressu litis minùs probabilem agnoscit, imò exiguam, vel nullam affulgere spem victoriæ; nihilominus pergit incæptæ causæ patrocinari, eámque in longum protrahit, ac tandem amittit.

Q. 1. An Advocatus suscipere possit causam defendendam minùs probabilem?

Q. 2. An, & quando Advocatus, amissâ causâ; Salarium restituere, & damna partibus resarcire teneatur?

Q. 3. An, & de quonam Salario pacisci licitè possit Advocatus solvendo à suo Cliente?

CASUS XXVI.

De obligatione Notarii.

Fabricius Notarius sciens non nunquam conficit instrumentum, in quo sub specie mutui, vel alterius contractûs liciti palliantur usuræ, ex quo fit, ut mutuatarius postea re ipsa solvere cogatur usuras. Sæpè non manifestat legata iis, quibus fiunt, pecuniâ corruptus ab iis, qui ea solvere tenentur. Non nunquam ex ignorantia, vel negligentia in conficiendis instrumentis aliqua omittit, quæ ad illa requiruntur, & pro iis conficiendis in petendo pretio excedit.

Q. 1. An, & quomodo Fabricius Notarius peccet, & ad restitutionem teneatur conficiendo instrumenta palliatam usuram continentia?

Q. 2. An, & quomodo peccet Notarius, & ad restitutionem teneatur non manifestando legata, vel ex imperitia omittendo aliqua ex requisitis ad confectionem instrumenti?

Q. 3. An Notarius accipiens aliquid ultra pretium taxatum, etiam sponte oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur?

CASUS XXVII.

De Medico, ejúsque obligatione.

Galenus Medicus quàm negligens est in visitandis ægris pauperibus non valentibus solvere, tam diligens est in invisendis, & curandis divitibus, & opulentis. Hinc vocatus ad Sabinam viduam prædivitem, illicò comparet, ægramque invisit, sed morbum adeò auctum, & periculosum deprehendit, ut intra breve tempus Sabinam extinguendam meritò judicet, cui tamen, ne pavore percellat nihil de morte cogitantem, & morbum augeat, periculum non manifestat, sed potiùs spem facit salutis: Nihilominus medicinas præscribit, & medicamenta adhibet varia, & etiam dubia, licèt sciat parùm, vel nihil profutura.

Q. 1. An Medicus, quando de ægri salute desperatum est, nec suppetit remedium certius, applicare possit medicinam incertam, & dubiam, an salutaris, anve noxia futura sit?

Q. 2. An, & quomodo peccet Medicus, si ægrum periculosè decumbentem non moneat de instante mortis periculo?

Q. 3. An peccet Medicus recusans ægros pauperes invisere, & curare, non valentes solvere salarium?

CASUS XXVIII.

De solvendis Legatis.

Crispinus in testamento à se condito legavit Ecclesiæ S. Martini 20. modios tritici solvendos quot annis ex agro Ecclesiæ vicino à se designato, ex quo postea deteriore effecto non tot fructus perci-

percipiuntur, qui legatum adæquent. Præterea 200. fl. annuos reliquit fœminis in matrimonium collocandis; Titiæ verò famulæ domesticæ 30. fl. si commorata fuerit cum uxore sua Rosalia, quæ tamen post biennium ad secunda vota transivit.

Q. 1. An in casu posito Ecclesiæ solvendi sint omnes 20. modii tritici ex illo agro deteriore reddito?

Q. 2. An Legatum relictum pro fœminis in matrimonium collocandis concedi possit Viduis ad secundas nuptias transeuntibus?

Q. 3. An Legatum relictum pro Virginibus maritandis acceptari, & retineri possit ab ea, quæ Virgo non est, sed occultè corrupta?

Q. 4. An Legatum relictum Titiæ famulæ, si cum uxore Rosalia habitaverit, amittatur, Rosalia uxore ad secunda vota transeunte?

CASUS XXIX.

De legatis pauperibus distribuendis.

Tiburtius in ultima sua voluntate inter alia reliquit bina legata, unum 200. fl. ut hi inter pauperes distribuantur: Alterum, ut duo pauperes Scholastici consanguinei alantur in Studiis.

Q. 1. An legatum relictum, ut pauperibus distribuatur, possit totum dari uni pauperi, vel duobus tantùm?

Q. 2. De quibus consanguineis intelligendum sit legatum, relictum pro consanguineis testatoris?

Q. 3. Quinam consanguinei sint aliis præferendi in legato relicto pro consanguineis pauperibus?

CASUS XXX.

De Legatis sub conditione relictis.

Titius in testamento à se condito legavit Berthæ uxori suæ tria millia fl. si honestè, & castè vixerit; quæ tamen post mortem

tem mariti non tantùm amplexus, & tactus impudicos admisit, sed etiam semel copulam cum Cajo habuit, cum quo paulòpòst etiam matrimonium contraxit.

Q. 1. An Legatum uxori relictum, si honestè, & castè vixerit, possit in conscientia ab ipsa exigi, & retineri, si occultè fornicata sit; & an, ut illud amittat, sufficiat unica fornicatio, an verò frequentia actuum requiratur?

Q. 2. An Legatum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur à fœmina amplexus virorum, & tactus impudicos admittente?

Q. 3. An Legatum conjugi relictum sub conditione castè, & honestè vivendi, amittatur per transitum ad secundas nuptias?

CASUS XXXI.

De Legatis piis à testatore in Statu peccati mortalis existente institutis.

Q. 1. Quid faciendum sit Ambrosio Confessario dubitanti, utrum testator dispositus sit ad absolutionem recipiendam, eò quòd adduci non possit, ut consanguineis suis aliquid in testamento relinquat?

Q. 2. An dispositio ad causas pias facta ab existente in Statu peccati mortalis, sit ei in Statu gratiæ decedenti profutura?

Q. 3. An Legatum relictum Berthæ uxori, quamdiu vitam vidualem servaverit, extinguatur, eâ Religionem ingrediente?

CASUS XXXII.

De legatis, & solutionibus, cùm pretium rei crescit, vel decrescit.

Crispinus volens Barbaræ famulæ suæ ob multa extraordinaria obsequia sibi præstita legare 50. aureos id famulæ significat, quæ respondet, se fore contentam, si 40. legentur, tacitè secum ipsa

ipsa cogitans hoc modo velle se 10. aliis aureis sibi nunc oblatis satisfacere obligationi furti 10. aureorum à se successivè hero suo ablatorum. Itaque Crispinus 40. aureos Barbaræ legat; paulòpòst in gravem incidens morbum paucos intra dies extinguitur. Post mortem Testatoris Barbara legatum petit ab hærede, qui eidem 40. aureos enumerat, sed quorum valor tunc jussu Principis multùm jam fuerat imminutus, & imminutus. Unde

Q. 1. An Barbara famula tali legati decessione, & ultronea 10. aureorum cessione soluta sit, & libera ab onere restituendi 10. illos aureos, quos successivè furtò subduxerat hero suo?

Q. 2. An, quando 50. v. g. vel 100. aurei in testamento legantur, quorum valor tempore mortis Testatoris extrinsecè imminutus est, præstandus tunc sit, & attendendus valor, quem aurei habeant tempore mortis Testatoris, an verò, quem habuerunt tempore conditi testamenti?

Q. 3. An quando absque designatione certæ speciei, vel numeri in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea monetæ valor immutatus est, diminutionis detrimentum, & commodum augmenti ferre debeat Creditor, an verò debitor?

CASUS XXXIII.

De defectibus in Confessione commissis à Confessario, & pœnitente.

Q. 1. An, & quando teneatur Confessarius auferre pœnitenti ignorantiam circa peccata, quæ commisit?

Q. 2. An, & quomodo teneatur Confessarius supplere defectus circa valorem Sacramenti à se in Confessione commissos?

Q. 3. An qui nunquam in juventute confessus est prava desideria, & pollutiones, quia non putavit esse peccata, teneatur postea, cùm id rescit, reiterare Confessiones, vel saltem peccata illa per ignorantiam omissa confiteri?

Q. 4. An qui dubitat, an ex verecundia aliquod peccatum mortale omiserit in Confessione, teneatur repetere Confessionem illam, vel solùm confiteri peccatum omissum?

CASUS XXXIV.

De Confessione ritè peragenda &c.

Q. 1. An reticeri possit, aut debeat peccatum, quòd sine complicis manifestatione non potest in Confessione exponi?

Q. 2. An repetendæ sint Confessiones pœnitentis, qui numerum peccatorum gravium hactenus non expressit?

Q. 3. An pœnitens teneatur exponere aspectus impudicos, oscula, tactus, & numerum copularum cum consanguinea uno concubitu habitarum, & gradus incestûs?

Q. An Confessio ob vanam gloriam, seu ex malo fine facta ita vitietur, ut Sacramentum irritum, & infructuosum reddatur?

CASUS XXXV.

De Confessione, & Communione muti simul, & surdi à nativitate.

Judas mutus, & surdus à nativitate adultior factus tempore Paschali post tunsionem pectoris, & aliquot suspiria coram ostenso Crucifixo edita, fuit à suo Parocho absolutus, & ad S. Communionem admissus per complures annos. Postquam autem Parochus ex aliorum relatione certò intellexit, Judam contrahere consuetudinem de die, & de nocte furandi ex alienis hortis, & agris, curavit, ut ejus domestici illum jam 40. annos natum à furtis per minas, aliáque signa eidem magis nota deterrerent, sed cùm nulla appareant signa emendationis, hócque notum sit Parochianis, Parochus à tempore jam trium annorum Judæ, licèt coram aliis sæpiùs suo modo instanti, & petenti, absolutionem tamen negat, & communionem,

Q. 1. An Parochus benè fecerit prima illa vice Judam surdum simul, & mutum absolvendo, eúmque ad S. Communionem admittendo?

Q. 2.

Q. 2. An benè postea ei negaverit absolutionem, & S. Communionem ob contractam eam furandi consuetudinem, sítque tale medium ulteriùs continuandum?

Q. 3. An Judas surdus simul, & mutus à nativitate contrahere potuisset matrimonium?

CASUS XXXVI.

De jurisdictione, & Casibus reservatis.

Q. 1. An peregrini, & advenæ habentes casum reservatum in sua Diœcesi, & transeuntes ad aliam Diœcesim, ubi non est reservatus, absolvi possint à quovis approbato Confessario?

Q. 2. An iidem ab eo absolvi possint, si peccatum sit solùm reservatum in Diœcesi Confessarii, non verò in Diœcesi pœnitentis?

Q. 3. An peccare dicendus sit simpson Sacerdos absolvens cum jurisdictione dubia, vel ex ratione probabili?

CASUS XXXVII.

De potestate delegata, alteri concessa ad se absolvendum, déque potestate secum ipso dispensandi &c.

Q. 1. An Episcopus, vel Abbas possit secum ipso dispensare in jejunio, votis, & iis, in quibus potest cum suis subditis?

Q. 2. An Episcopus rectè deleget suo Confessario suam potestatem ad se à casu reservato absolvendum?

Q. 3. An potestas alicui delegata ad Confessiones audiendas mortuo delegante exspiret?

CASUS XXXVIII.

De pœnitentia à Confessario pœnitenti imponenda, & à pœnitente acceptanda.

Titius helluo jejunare non assuetus pro pœnitentia à Confessario accipit, ut per dies aliquot Sabbatinos jejunet, & à sacra mensa eo die abstineat, sed post octiduum confiteatur, & communicet.

Q. 1. An Confessarius benè, & absque violatione sigilli potuerit pro pœnitentia ea jejunia imponere?

Q. 2. An possit à Confessario pro pœnitentia imponi, ut pœnitens abstineat à S. Communione?

Q. 3. An justam pœnitentiam à Confessario impositam possit pœnitens recusare, aut dissimulare se illam acceptare, animo tamen non explendi, eò quòd velit in Purgatorio expiare pœnam peccatis debitam, vel eò quòd sciat se posse lucrari Indulgentiam plenariam? Item an pœnitenti liberum sit inchoatam Confessionem abrumpere, & sententiam hujus Sacerdotis declinare, alium adeundo?

Q. 4. Qualem, & quantam pœnitentiam Confessarius imponere debeat, & an hæc solùm per modum consilii, aut sub conditione imponi possit?

CASUS XXXIX.

De Confessione, & absolutione in articulo mortis moribundis impertienda.

Q. 1. An absolvendus, vel absolvi possit moribundus, qui neque in specie, neque in genere peccata sua confiteri potest, nec ullum dat Confessionis signum?

Q. 2. & 3. Quid de Confessione hæretici in articulo mortis, & absolutione illi à Catholico impertita? &c.

CA-

CASUS XL.

De Confessione, & absolutione Acatholici in mortis articulo, eidem impertita à Sacerdote Catholico personam Sacerdotis subdolè tegente, quem esse Præconem Lutheranum putaverat moribundus.

Q. 1. An talis Sacerdos Catholicus hoc modo licitè simulaverit sectam falsam, & dissimulaverit Religionem veram?

Q. 2. An error personæ in Confessario vitiaverit Confessionem Alberti Lutherani?

Q. 3. An talis Sacerdos Catholicus Alberto Lutherano rectè administraverit Sacramentum Pœnitentiæ, & S. Viaticum?

CASUS XLI.

De absolutione reservationis casuum in Confessione oblitorum, vel in ea invalida expositorum.

Q. 1. An Simpson pœnitens censeatur etiam absolutus ab eo peccato reservato, quod ob inculpabilem oblivionem omisit in ipsa Confessione, ita ut quando postea ejus memoriæ occurrit, possit illud remitti à quovis alio Sacerdote approbato?

Q. 2. An Superior possit sola pœnitentis peccata reservata audire, & ab illis Sacramentaliter absolvere, & pœnitentem ad inferiorem remittere, absolvendum ab aliis peccatis mortalibus non reservatis?

Q. 3. An concessa per Superiorem, vel ejus delegatum, absolutione à casibus reservatis in Confessione sibi expositis, tollatur reservatio, tametsi absolutio ex aliquo Confessionis defectu fuerit nulla?

CASUS XLII.

De absolutione casuum reservatorum impertienda ab eo, qui potestatem non habet in reservata, & pœnitens non vult, nec potest reservatum alteri confiteri.

Q. 1. Quomodo se gerere debeat Confessarius non habens potestatem in reservata, si in Confessione advertat, inter non reservata exponi etiam reservata?

Q. 2. An Confessarius directè absolvere potuerit talem pœnitentem in iis circumstantiis?

Q. 3. Quibus aliis mediis eum juvare potuerit?

CASUS XLIII.

De Confessione scriptò facta, & danda Scheda Confessionis ob indispositionem non absoluto.

Libertus tempore Paschali confitetur Sylvestro Sacerdoti sua peccata cum magno, ut videbatur, dolore, sed, cùm ob non depositam, quam contraxerat, pravam consuetudinem à Sylvestro negaretur absolutio, petiit saltem Schedam depositæ Confessionis ostendendam suis Superioribus, sed & hanc Sylvester dare renuit, quo audito abit Libertus non sine indignatione, & impatientia relictâ ibi per inadvertentiam scriptæ Confessionis Schedulâ, quam Baldus Confessionale postea ingressus reperit, eámque postea legit.

Q. 1. An Scheda Confessionis danda sit ei, cui ob indispositionem negata fuit absolutio?

Q. 2. An sub Sigillo Confessionis teneatur, qui casu Schedam, in qua pœnitens sua peccata scripserat, reperit, & legit?

Q. 3.

Q. 3. An Confessio præsenti Confessario fieri possit scripto, an verò vocis Sermone sit necessariò facienda, secluso casu necessitatis ?

CASUS XLIV.

De Communione Paschali peragenda &c.

Nigronius famulus mercatoris Catholici in Angliam mittitur mercimonii causâ, qui, cùm sibi per terras hæreticorum transeundum sit, prævideatque, se in via non habiturum occasionem communicandi tempore Paschali, prævenit, & ante suum abitum communicat in Ecclesia Parochiali, ratus, sic se jam præcepto satisfeciſse: Unde licèt postea in via opportuna se offerat occasio adhuc intra tempus Paschale communicandi, communionem tamen ommittit, & iter suum prosequitur; cúmque jam inter hæreticos versetur, in eorum hospitiis diebus Veneris, & Sabbati carnes comedit, dissimulans se Catholicum esse.

Q. 1. An Nigronius prævidens impedimentum futurum prævenire debuerit, & ante tempus Paschale communicare ?

Q. 2. An per eam communionem anticipatam satisfecerit præcepto Ecclesiæ, anue oblata in itinere occasione communicandi, communionem postea repetere debuerit?

Q. 3. An per communionem sacrilegam satisfiat præcepto Communionis Paschalis ?

Q. 4. An, & quomodo Nigronius peccaverit, carnes diebus prohibitis in via comedendo ?

CASUS XLV.

De jejunio naturali ad Communionem, & Missæ celebrationem requisito.

Bibax, cùm in hospitio in seram usque noctem se detinuisset, altero die, cùm manè communicare cogitat, incipit dubitare, an biberit

biberit adhuc ante, vel post medium noctis, & an dum os abluere-ret, modicum aquæ in Stomachum descenderit, quo tamen dubio contempto Sacræ mensæ accumbit, & communicat.

Q. 1. An qui certò scit, se comedisse, vel bibisse, sed dubitat, an id ante, vel post duodecimam noctis horam acciderit, possit sequenti die licitè communicare, vel celebrare?

Q. 2. Et an ille possit, qui scit, se post medium noctis fuisse je-junum, sed dubitat, an postea aliquid de cibo, vel potu de-glutiverit?

Q. 3. An, qui ad primum horæ duodecimæ pulsum non Statim ces-sat à potatione, vel comestione, sed exspectat donec omnes horæ ictus absolvantur, possit licitè die sequenti communi-care?

CASUS XLVI.

De puerorum communione, S. Viatico, aliisque eorum obligationibus præcepta Ecclesiastica concernentibus

Q. 1. An pueri septennium egressi teneantur præcepto Communio-nis Paschalis, & iisdem, completo septenniô, dandum sit S. Viaticum in articulo mortis?

Q. 2. An iisdem præberi possit, aut debeat S. Viaticum, quandò Parochus, vel Confessarius dubitat, an sint doli capaces, & sufficiente rationis usu polleant?

Q. 3. An pueri, cùm ad usum rationis perveniunt, teneantur sta-tim legibus Ecclesiasticis, quæ expressè tempus obligationis non determinant?

CASUS XLVII.

De Beneficii collatione, & recitatione Breviarii.

Pon-

Pontifex mandatum dat Bonifacio Episcopo, ut Gabriel Sacerdos provideatur de Beneficio ad S. Petrum vacante. Bonifacius confert illicò Beneficium Gabrieli, post cujus collationem litteræ Româ allatæ nuntiant, Pontificem pridie collationis Beneficii piè in Domino obiisse. Quo audito Mutius litem movet Gabrieli contendens collationem ob mortem Pontificis nullam fuisse, & præterea Beneficium illud uni ex sua familia conferri solitum fuisse, ac deberi: Gabriel autem, dum lis dirimitur, pergit: Horas Canonicas recitare, licèt nullos interim ex Beneficio fructus percipiat.

Q. 1. An hoc mandatum Pontificium morte Pontificis exspiraverit, ideóque collatio Beneficii nulla sit?

Q. 2. An Beneficiatus, qui Beneficium quidem actu possidet, sed ob litem intentatam nullos interim fructus ex illo percipit, teneatur interim Breviarium recitare, adeóque si recitare intermittat, teneatur ad restitutionem fructuum sequestratorum postea percipiendorum lite terminata?

Q. 3. An Beneficiatus tenue habens Beneficium Breviarium vi illius recitare teneatur, & si obligatus sit, & non recitet, possit sibi tanquam pauperi applicare eos fructus, quos aliàs restituere, & pauperibus applicare teneretur?

CASUS XLVIII.

De pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum, & Simonica &c.

Formosus in minoribus Ordinibus constitutus per plures annos inservivit cuidam Episcopo, intentionem habens pro suo servitio Beneficium aliquod recipiendi, quod idcircò etiam obtinuit ab Episcopo, sed cùm id valde tenue esset, nec sufficeret ad còngruam sustentationem, paulòpòst aliud consequitur de se sufficiens, & satis pingue.

Q. 1. An illa collatio primi Beneficii fuerit Simoniaca, & si fuit, an Formosus nihilominus illud retinere possit, anue resignare teneatur?

Q. 2. An habens Beneficium insufficiens, & acquirens sufficiens quoad residentiam, & servitium compatibile teneatur dimittere insufficiens? Item an habens sufficiens possit obtinere etiam insufficiens?

Q. 3. An, & in quibus Beneficiis quoad pluralitatem dispensare possit Episcopus?

CASUS XLIX.

De Electione promovendorum ad Beneficia Ecclesiastica.

Q. 1. An, & qualis extra concursum detur obligatio præferendi in electionibus digniores ad Prælaturas, & Beneficia Ecclesiastica tam curata, quàm simplicia?

Q. 2. An valida sit electio, vel collatio Beneficii Clerico curato digno facta, digniore prætermisso?

Q. 3. An eligens dignum, omisso digniore, teneatur ad restitutionem Ecclesiæ, & digniori faciendam?

Q. 4. An Patronus lajcus teneatur digniorem præsentare ad Beneficium Ecclesiasticum?

Q. 5. An, & quando illicitum sit Episcopatum desiderare?

Q. 6. An Episcopus electus & confirmatus, sed nondum consecratus conferre possit Beneficia Ecclesiastica, & approbare Sacerdotes in Confessionis Ministros?

CASUS L.

De Parocho Horas Canonicas distractè recitante, & eas, vel earum partem omittente.

Marchantius Parochus Horas Canonicas persæpè valde distractè, & somnolenter recitat; cúmque non rarò earum recitationem in serum usque vesperum differat, non nunquam ex somno, oblivione, capitis dolore, aut crapula Vesperas cum Completorio omittit, subinde etiam totum Breviarium ob occurrentes varias occupationes, & negotia expedienda.

Q. 1. An satisfaciat præcepto recitandi Horas Canonicas, qui voluntariè ita distractè orat, ut nullam habeat attentionem internam?

Q. 2. An Marchantius ita ex somno, crapula, aut capitis dolore omittendo Vesperas cum Completorio arguendus sit peccati mortalis?

Q. 3. An, & quando excusandus sit à mortali omittens totum Breviarium, aut notabilem ejus partem ob occupationes occurrentes, aliáque negotia?

Q. 4. An excusandus sit Beneficatus ab onere restituendi ob omissas culpabiliter Horas Canonicas, qui largam in pauperes distribuit Eleemosynam, nil tamen cogitans de sua obligatione, nec expresse intendens per eam illi satisfacere?

CASUS LI.

De Canonico Horas Canonicas recitante, & à choro frequenter absente.

Q. 1. An Canonicus, qui submissa voce in choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?

Q. 2. Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui aliis in Choro psallentibus profana legit, aut confabulatur cum suo Socio?

Q. 3. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à choro?

Q. 4. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem choro assistere nequit, lucrari nihilominus possit distributiones non solùm proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium?

CASUS LII.

De recitatione Breviarii cum Socio.

Q. 1. An satisfaciat suæ obligationi recitandi Breviarium, qui illud ita festinanter recitat cum Socio, ut antequam Socius ultima verba sui versiculi profert, ipse suam partem jam incipiat?

Q. 2. An qui dubitat, utrum aliquam Horam recitaverit, vel aliquid omiserit, teneatur repetere id, de quo dubitat?

Q. 3. An in recitatione Breviarii debeant verba ita necessariò proferri, ut recitans se ipsum audiat?

CASUS LIII.

De filiis expositis, & illegitimis.

Q. 1. Quale peccatum sit exponere infantes, & an liceat illegitimum exponere ad crimen occultandum, & evitandam infamiam?

Q. 2. à quo alenda sit proles exposita, & an pater teneatur Hospitali refundere sumptus in educatione prolis factos?

Q. 3. An irregularitas ex defectu natalium tollatur per Professionem Religiosam, aut per solum Religionis ingressum, & an illegitimus occultus sit irregularis, & quis cum eo dispensare possit?

CASUS LIV.

De Successione liberorum Spuriorum, & naturalium.

Onufrius volens de rebus suis disponere, cùm nullos haberet hæredes necessarios, quos instituereț, Titiam spuriam hæredem instituit, addens, & dans ei potestatem, ut se à Principe faciat legitimari; si verò Titia in pupillari ætate decederet, vel aliàs sine filiis, tunc eo casu eidem substituit fratrem suum Anselmum: Mille verò fl. relinquit Berthæ ancillæ, & concubinæ suæ in dotem.

Q. 1. An validum sit testamentum Onufrii, quô filia spuria hæres instituta est?

Q. 2. An, & quomodo filii spurii succedant matri, & an, & quomodo naturales?

Q. 3. An subsistat legatum ab Onufrio Berthæ concubinæ relictum?

CASUS LV.

De illegitimo occulto, & usu privilegiorum.

Fabr.

Fabricius illegitimus occultus post susceptos absque dispensatione sacros Ordines à Pontifice dispensationem petit, & obtinet, ut promoveri possit ad Beneficium, quod fundaverat Ruffus proavus sui patris pro consanguineis ex sua familia, & cognatione: sed cùm ex eadem familia superstes esset Fabius Sacerdos legitimus, & aptus, huic Beneficium collatum est, qui licèt privilegium haberet recitandi Breviarium extra consueta, & præscripta tempora, illô tamen ferè nunquam utitur, aut si aliquando utitur, Breviarium non nisi cum Socio recitat.

Q. 1. An illegitimus occultus Sacros Ordines suscipere possit absque dispensatione, & an Beneficium à Ruffo Fundatore relictum pro consanguineis suæ familiæ conferri etiam possit illegitimis, & spuriis, si fuerint legitimati vel à Pontifice, vel à Principe Sæculari?

Q. 2. An, & quando privilegium per non usum amittatur?

Q. 3. An privilegium Fabii recitandi Horas Canonicas extra consueta tempora extendatur etiam ad Socium, cum quo illas recitat?

CASUS LVI.

De Baptismo expositorum, ejúsque forma, & iteratione, &c. déque eorum legitimitate, & capacitate ad S. Ordines, aliásque dignitates.

Q. 1. An validus sit Baptismus infantis in utero aquâ abluti, vel in digito pedis prominente?

Q. 2. An valeat Baptismus sub hac forma collatus: ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis, nullâ personâ expressâ, vel in nomine Patris, Filii, Spiritûs Sancti, omissa particula *&*?

Q. 3. An infantes expositi, & reperti cum apposita Scheda testante de Baptismo, sint rebaptizandi sub conditione?

Q. 4. An expositi habendi sint pro illegitimis, an verò pro legitimis?

CASUS LVII.

De Parocho excommunicato absolvente à peccatis.

Q. 1. An absolutiones à Parocho excommunicato, suis Parochianis impertitæ, fuerint validæ?

Q. 2. An denuò sit absolvendus, qui post peractam Confessionem, & acceptam absolutionem statim subjungit peccatum grave, cujus priùs fuerat oblitus?

Q. 3. An qui Confessus est peccatum ut dubium, si postea deprehendat, certum fuisse, teneatur rursus ut certum confiteri?

CASUS LVIII.

De percussione Religiosi, & Excommunicatione.

Tirrillus Religiosus, cùm nuper, curru vectus, iter agere vellet per pratum aliquod, à Mopsu rustico illac transire prohibetur, qui cùm ex habitu, & veste exteriore minimè Religiosum esse conjiceret, Tirillo verbis, & minis contendenti verberibus respondet, illíque instrumento rustico aliquot ictus infligit, qui cùm cadentem ligneam grandinem animadverteret, se ipsum prodit, & Religiosum esse dicit, ostensâ, quam in capite gerebat, tonsurâ, seu Clericali coronâ; quô auditô, ac visô, Mopsus illicò ab ulteriori cessat percussione; hoc tamen non obstante Mopsus ad Judicem Ecclesiasticum delatus, ab eo publicè excommunicatus declaratur, ac denuntiatur.

Q. 1. An Mopsus rusticus per eam Tirilli percussionem incurrerit Excommunicationem?

Q. 2. An ligetur censurâ, & re ipsa sit excommunicatus innocens, qui tamen secundùm allegata, & probata in judicio censetur nocens, & ideò excommunicatur?

Q. 3. An dubius de Excommunicatione debeas te reputare censurâ ligatum?

CASUS LIX.

De Excommunicatione ob Clerici percussionem.

Cajus

Cajus post contractum cum Bertha matrimonium per verba de præsenti coram Parocho, & testibus, eô nondum consummatô excurrit in Urbem vicinam negotii conficiendi causâ; Altero mox die, dum domum redit, reperit Quadratum Clericum cum Bertha turpiter agentem, quem aufugere volentem aggressus primùm pugnis, dein arrepto nodoso fuste ita excipit, ut domnm asportari debuerit.

Q. 1. An Cajus ita Quadratum Clericum percutiendo Excommunicationem incurrerit?

Q. 2. An quando dubitatur, utrum percussio in personam Clerici facta gravis sit, vel levis? judicanda sit potiùs gravis, quàm levis, aut è contra?

Q. 3. Quid requiratur ad incurrendam Excommunicationem ob Clerici percussionem, & an & quando ignorans vincibiliter esse Clericum, quem percutit, nihilominus Excommunicationem incurrat?

CASUS LX.

De Excommunicatione ob factam occultam compensationem.

Ortum ante paucos annos incendium in domo cujusdam personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ magnam illius partem absumpserat, totam utique in cineres redacturum, nisi ab accurrente populo brevi fuisset extinctum. Cùm autem occasione extinctionis multa à multis fuissent clam ablata, & occultata, instituit persona illa Ecclesiastica apud Episcopum, ut excommunicationem ferret in eos, qui ablata, & occultata non restituerent, quod & factum est. Unde cùm & Marchesinus opifex, cui persona illa Ecclesiastica debebat ultrà centum florenos, non nulla occultâsset, secúmque domum asportâsset, ea retinuit in compensationem solutionis debiti à dicta persona aliàs ægrè obtinendæ.

Q. 1. An Marchesinus opifex teneatur ad restitutionem & non restituendo à se ablata, & occultata incurrerit excommunicationem latam in non restituentes?

Q. 2. An, si Judex interroget Marchesinum sub juramento, an aliquid occultaverit? Possit id negare, & si fateatur, vel aliàs compensatio innotescat Judici, & condemnetur, teneatur in conscientia

solve-

solvere pœnam, ad quam ob factam compensationem condemnatus est?

Q. 3. An res per occultam compensationem accepta transeat Statim in dominium accipientis, seu compensantis?

CASUS LXI.

De Excommunicatione ob Clerici percussionem ex mandato alterius factam.

Q. 1. An mandans occidi, vel percuti personam Ecclesiasticam incurrat Excommunicationem, latam *Can. si quis suadente &c?*

Q. 2. An eandem incurrat, qui Clerici occisionem suo nomine factam, ratam habet?

Q. 3. An si post mortem mandantis, quam mandatarius ignorat, & idcircò vi dati mandati Clericum percutiat, vel occidat, ipse defunctus Excommunicationem contrahat, etsi dum viveret mandatum revocaverit, & de peccato pœnitentiam egerit?

Q. 4. An qui Clericum pugno, vel baculo, uno, alterove ictu leviter percutit, Excommunicationem incurrat?

CASUS LXII.

De Excommunicato Sacramentum Pœnitentiæ in Excommunicatione suscipiente.

Ruffus nuper ob delictum à se commissum, cui Excommunicatio annexa erat, excommunicatus absolutionem ab ea aliquamdiu procurare neglexit. Tandem pœnitentiâ ductus Augustinum Confessarium adit, eique omnia sua peccata cum vera contritione, & emendationis proposito confitetur, sed in ipso Confessionis actu ex oblivione non manifestat Excommunicationis censuram, quæ delicto à se commisso annexa fuerat; nec ab ea Augustinus Sacerdos absolvit utpote qui in affluxu pœnitentium omisso *misereatur tui* & absolutione à censuris, solùm à peccatis absolvere solitus est, ut citiùs pœnitentes expediat?

Q. 1. An Ruffus, non obstante Excommunicatione, receperit Sacramentum Pœnitentiæ validè, ejúsque fructum, omnia sua peccata cum vera contritione manifestando?

Q. 2. An Excommunicatus, à culpa sua, & contumacia recedens, & per

& per contritionem, vel Confessionem justificatus, particeps fiat omnium suffragiorum Ecclesiæ, si per ipsum non stet, quominùs per Judicis sententiam absolvatur?

Q. 3. Utrum excommunicatus, qui negligens est in procuranda absolutione à censura, peccet contra præceptum de audienda Missa, annua Confessione, & Paschali Communione, cui aliàs posset satisfacere?

CASUS LXIII.

De Excommunicatione ob venditionem, & delationem armorum, aliorúmque in Bulla Cœnæ prohibitorum ad Turcas, aliósque infideles contracta.

Q. 1. An vendentes solùm arma infidelibus in locis Christiano Principi subjectis incurrant Excommunicationem Bullæ Cœnæ, etsi ea ad terras infidelium ipsimet non deferant?

Q. 2. An nomine prohibitorum in Bulla Cœnæ comprehendantur etiam vestimenta, victualia, aliæque merces?

Q. 3. An Albertus in posito casu absolvi possit à peccato reservato, in quod, arma ad Turcas deferendo, spe, & prætextu publicati Jubilæi incidit?

CASUS LXIV.

De vitanda communione cum excommunicato.

Sila ob commissum grave delictum publicè Viennæ excommunicatus, & denuntiatus, illinc excessit, & Venetias se contulit, ubi ejus Excommunicatio ignorabatur, ibique domum emit, & mercaturam exercet: Sub idem ferè tempus Venetias venit Cyrus mercator, cui perbenè nota est Silæ Excommunicatio, utpote qui tempore latæ, & publicè promulgatæ Excommunicationis Viennæ morabatur.

Q. 1. An Cyrus debeat Venetiis Silam vitare tanquam Excommunicatum, tam privatim, quàm publicè?

Q. 2. An validi sint contractus ab Excommunicato tempore Excommunicationis initi?

Q. 3. An communicare cum Excommunicato extra tempora jure permissa, sit mortale peccatum, an verò solùm veniale?

Q. 4. An Sacramentum Pœnitentiæ, collatum excommunicato Excommunicatione minore, validum ſit, & an omnis Sacerdos ſimplex ab hac Excommunicatione abſolvere poſſit?

CASUS LXV.

De Clerico, Religioſo, & Sæculari perſonatis, ſeu larvatis.

Libertus Clericus, Onufrius Religioſus Profeſſus veſte Sæculari induti, & Lepidius Sæcularis amictus veſte Religioſa diebus Bachanalibus per Urbem larvati incedunt, & poſt varios jocos exercitos aliis ſe jungunt perſonatis Laicis, inter quos rixa excitata Onufrius Religiosus à Lepidio Sæculari inſigniter vapulavit, detractâ etiam larvâ, quâ tegebatur.

Q. 1. An Libertus Clericus, & Onufrius Religiosus graviter peccaverint ita larvati per Urbem incedendo?

Q. 2. An Onufrius Religioſus aliquam cenſuram incurrerit per habitûs Religioſi depoſitionem, vel ejusdem retenti occultationem?

Q. 3. An Lepidius Sæcularis veſte Religioſa indutus graviter deliquerit ita per Urbem incedendo, & an Excommunicationem incurrerit Onufrium Religioſum larvatum percutiendo?

CASUS LXVI.

De Irregularitate Clerici furem ſuarum rerum Judici denuntiantis.

Q. 1. An Clericus absque periculo irregularitatis poſſit furem, ſeu raptorem ſuarum rerum Judici denuntiare, præmiſſâ proteſtatione, etiamſi ex qualitate delicti ſciat, aut prævideat, eum ad mortem condemnatum iri?

Q. 2. Isque tam in causa propria, quàm aliena?

Q. 3. An Clericus excuſetur ab irregularitate, ſi denuntians, aut accusans proteſtetur ſolùm oretenus, & externè, internè autem, & in animo contrarium ſentiat?

Q. 4. An Clericus clamando, & alios in auxilium vocando incurrat irregularitatem, ſi fur cum rebus furtivis aufugiens ab accurrentibus & ſupervenientibus ſervis occidatur?

CASUS

CASUS LXVII.

De irregularitate in dubio facti, & juris.

Exortâ nuper nocturno tempore inter aliquot Studiosos rixâ; unus in ea graviter vulneratus est, & paulò pòst mortuus; Alter leviter quidem, sed ex incuria neglecti vulneris superveniente spasmo & ipse intra aliquot dies extinctus est.

Q. 1. An, & quando in dubio judicandus quis sit irregularis?

Q. 2. An quando plures quà graviter, quà leviter alterum vulnerant, sint omnes irregulares?

Q. 3. An irregularis censendus sit, qui alterum leviter vulnerat, sed ex incuria neglecti vulneris paulò pòst moritur?

CASUS LXVIII.

De testamento pio imperfecto, & legatis profanis in eo relictis &c.

Q. 1. An valeat testamentum, in quo propria testatoris anima hæres instituitur?

Q. 2. Quid sentiendum sit pro utroque foro de valore Scripturæ à Parocho ex voluntate, & nomine testatoris exaratæ?

Q. 3. An in testamento pio valeant etiam legata profana in eo relicta?

CASUS LXIX.

De testamento imperfecto, Legitima, & conferendis in eam à filio post mortem patris.

Post mortem Titii Scheda quædam ejus manu scripta, sed non subscripta, nec teste firmata, sine apposito die, & anno in quadam

ciſta reperta eſt hujus tenoris: Quòd cùm filio Petro, & filiæ Joannæ patrimonium jam extradiderit; pro filio verò Paulo Sacerdote, in Studiis versante, sumptus fecerit, ita de re ſua Statuat, ac disponat: &c.

Q. 1. An reperta hæc Scheda pro valida habenda ſit, an verò bona à patre relicta ad filios ab inteſtato devolvantur?

Q. 2. An filius Paulus Sacerdos non obſtante ea Scheda Legitimam ſibi vendicare poſſit?

Q. 3. Quo jure debeatur Legitima, & quanta?

CASUS LXX.

De Filiorum expenſis, & donationibus in portionem hæreditatis conferendis.

Q. 1. An impensæ à Filio ex consensu patris factæ in gradus Academicos, Studia, & luſtrationem peregrinarum Regionum poſt mortem patris conferendæ ſint in Legitimam, ſeu hæreditatis portionem cum aliis fratribus?

Q. 2. An ſumptus, quos pater ad comparandum filio aliquod Officium expendit, conferendi, & computandi ſint in portionem hæreditatis?

Q. 3. An, & quales donationes filio à patre factæ in portionem hæreditatis conferendæ ſint, ac computandæ?

CASUS LXXI.

De Simonia circa ingreſſum Candidati in Religionem.

Florindus multarum divitiarum, & egregiæ indolis Juvenis, cùm à juventute de Statu Religioſo eligendo cogitâſſet, & ad eum amplectendum ab Hilario Abbate variis muneribus alliceretur, petit in Religionem *A.* ſuſcipi, quæ ei spondet ſuſceptionem, ſi & ipse vicißim ſpondeat partem hæreditatis, quæ ipſum concernit.

Præ-

Præstito utrinque consensu, & inito pacto suscipitur Florindus in eandem, qui absoluto cum laude Novitiatu, emissaque Professione, ita se gerit, ut cùm Monasterium *B.* Prælato careret, eum in Prælatum postulaverit, cui tamen postulationi annuere non vult Monasterium *A.* nisi facta sibi aliqua compensatione.

Q. 1. An, & quando pro receptione Candidati in Religionem possit aliquid exigi, & accipi absque Simoniæ labe?
Q. 2. An absque Simonia liceat offerre alicui munera, aliquid promittere, aut legare sub conditione, ut Religionem ingrediatur?
Q. 3. An Monasterium *B.* potuerit absque Simonia aliquid exigere pro concessione Florindi in Prælatum eligendi?
Q. 4. Quænam juris pœnæ incurrantur per Simoniam commissam circa ingressum in Religionem, & an Professio Simoniaca sit valida?

CASUS LXXII.

De sponsalibus, & matrimonio invitis parentibus à filio contractis.

Turrillus nobilis Juvenis Susannæ amore captus Sponsalia cum ea contrahit inconsultis, & invitis parentibus, qui ut Filii matrimonium impediant, Episcopum rogant, ut Parocho prohibeat, ne tali matrimonio assistat, qua prohibitione ab Episcopo facta, eáque non obstante, Parochus tamen eos matrimonio conjungit.

Q. 1. An tale matrimonium validum sit?
Q. 2. An filius absque justa causa iniens matrimonium inconsultis, & invitis parentibus, peccet lethaliter?
Q. 3. Quomodo, & quando peccent parentes filiorum matrimonia impedientes, & an Excommunicationem incurrant, latam à Trident. in impedientes injustè matrimonia?

CASUS LXXIII.

De sponsaliorum dissolutione.

Faustina Virgo valde opulenta contrahit sponsalia de futuro cum Fausto. Post aliquot menses inaudit Faustus maximam pecu-

niæ Summam fuisse Faustinæ furtô sublatam, sícque ex valde divite pauperem effectam esse: Quare sponsalia dissolvit cum Faustina, & alia init cum Barbara, quam cùm postea ab alio corruptam fuisse intelligeret, ab his quoque sponsalibus resilit, non obstante, quòd & ipse fornicationem cum alia commiserit.

Q. 1. An Faustus ob paupertatem Faustinæ supervenientem à sponsalibus licitè resilire potuerit?

Q. 2. An sponsus sponsalibus renuntiare possit ob insperatas divitias sibi post illa contracta supervenientes?

Q. 3. An utrique sponso, vel cuinam à sponsalibus resilire liceat, quando post ea contracta uterque fornicationem commisit?

CASUS LXXIV.

De matrimonio sub conditione servandæ castitatis contracto ab habente votum simplex perpetuæ castitatis.

Patronilla Virgo ab Anselmo viduo interrogata, an non vellet sibi nubere? Respondet, se non posse. Anselmus suspicatus, quod res erat, subjungit, nonne voto castitatis obstricta es? Affirmat illa; tunc Anselmus, si hoc est, inquit, non sis de hoc solicita, ego à te nunquam debitum petam; vivemus in perpetua continentia, poteris etiam in matrimonio illæsam servare castitatem: quo audito Patronilla sub ea conditione consentit, & condicit in matrimonium, quod paulò òst coram Parocho contrahunt in facie Ecclesiæ. Patronilla postea scrupulis agitata quæsivit ex Confessario.

Q. 1. Quid ipse de vălore talis matrimonii sentiret?

Q. 2. An liceat sibi marito cohabitare, anue in lecto separato cubare debeat?

Q. 3. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat?

CASUS

CASUS LXXV.

De matrimonio dubio, & sponsalibus, ac sententia à Judice ferenda.

Titius sub ficta hac promissione, *deinceps mea uxor eris, volo tecum contrahere*, &c. extorsit copulam à Bertha, cui postea factam promissionem urgenti respondet Titius, se non modò mentem suam mutâsse, sed etiam nunquam serium animum habuisse, eam ducendi in uxorem, quô auditô Bertha Titium in jus vocat, qui à Judice de facta promissione interrogatus eam rotundè negat, quam cùm Bertha nec testibus, nec aliunde sufficienter probare posset, Titius ab omni obligatione liber à Judice pronuntiatur.

Q. 1. An Titius fictè promittens, interrogatus à Judice negare possit, se promisisse, & si fateretur promissionem, deberet Judex eum compellere ad contrahendum cum Bertha?

Q. 2. An in dubio de valore matrimonii ferenda sit à Judice sententia potiùs pro valore, quàm pro libertate sponsorum, idque procedat etiam in foro conscientiæ?

Q. 3. An verba hæc: *Deinceps eris mea uxor, volo tecum contrahere, volo te ducere in uxorem* &c. matrimonium constituant, anue sponsalia?

Q. 4. Quales, & quot testes sufficiant ad impediendum matrimonium, & ad sponsalia dissolvenda?

CASUS LXXVI.

De causis dissolvendi contracta sponsalia.

Q. 1. An inita sponsalia mutuo consensu dissolvi possint sine Judicis authoritate, etiam quando sunt juramentô firmata?

Q. 2. An sponsus resilire possit à sponsalibus juratis ob defloration sponsæ vi ab alio corruptæ?

Q. 3. An ob fornicationem sponsæ sponsalia præcedentem possit sponsus, qui eam ignorabat, putans esse Virginem, contracta sponsalia dissolvere, aut quando contraxit cum Vidua existimans esse Virginem?

Q. 4. An si unus sponsorum laboret vitiô occultô, cujus si alter conscius esset, haberet justam resiliendi causam, vel non contrahen-

trahendi, possit suum vitium tacere, & contrahere sponsalia, vel post illa contracta alterum coram Judice cogere ad ea implenda?

CASUS LXXVII.

De matrimoniis Catholicos inter, & Acatholicos.

Q. 1. An matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica validum sit, & licitum? & quid de earum sponsalibus?

Q. 2. An ad hoc, ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere possit, opus sit consensu Ordinarii speciali, vel dispensatione Pontificia?

Q. 3. An licita sint pacta inter conjugem Catholicum, & hæreticum inita, ut liberorum alii v. g. masculi, patrem Catholicum sequantur, fœminæ autem matrem hæreticam, aut viciſſim?

Q. 4. An uxor ob hæresim mariti divertere ab eo possit?

CASUS LXXVIII.

De matrimonio post emissum castitatis votum contracto, déque licentia, & obligatione reddendi debiti conjugalis.

Q. 1. Quid, contracto matrimonio, liceat marito habenti votum castitatis circa usum matrimonii, & quid ei faciendum eô dissolutô?

Q. 2. An adulter occultus petere possit debitum conjugale à conjuge adulterium ignorante?

Q. 3. An uxor sciens maritum esse voto castitatis obstrictum possit, aut teneatur debitum petenti reddere?

Q. 4. An liceat debitum non reddere, ne liberi, quos ægrè parentes alere possunt, multiplicentur?

Q. 5. Quale sit peccatum petenti negare debitum conjugale?

CA-

CASUS LXXIX.

De licentia Ordinarii, vel Parochi ad assistendum matrimoniis obtenta, déque Parochi, ac testium præsentia.

Q. 1. An sufficiat licentia Ordinarii, vel Parochi, quæ habetur ex ratihabitione de futuro, ut Sacerdos alienus assistere possit matrimonio, aut etiam tacita de præsenti?

Q. 2. An quando ab Ordinario committitur extraneo Sacerdoti licentia assistendi matrimonio de præscitu proprii Parochi, vel præmissis denuntiationibus, valeat matrimonium, si Parochi præscitus, vel denuntiationes omittantur?

Q. 3. An valida sit licentia assistendi matrimoniis dolo, & mendaciis obtenta, aut metu extorta?

Q. 4. An ad assistendum matrimonio, sufficiant qualescumque testes, & an valeat matrimonium contractum coram Parocho, & testibus vi, aut dolo detentis & invitis?

CASUS LXXX.

De dispensatione ad contrahendum matrimonium, déque errore in ea commisso.

Cajus vult matrimonium contrahere cum Caja divite puella, sed cùm audiat, eam in tertio affinitatis gradu sibi conjunctam esse, dispensationem à Pontifice petit, re tota syncerè eidem proposita. Pontifex, perlecta supplicatione, committit Vicario Generali, ut si noverit, preces veritate niti, dispenset cum Cajo ad ducendam Cajam; sed cùm in Bulla Pontificia erratum sit, & loco affinitatis positus sit gradus tertius consanguinitatis, ac loco Caji positum sit nomen Titii, & loco Diœcesis *A*, Diœcesis *B*. idcirco Vicarius Generalis dubius hæret, an cum Cajo dispensare possit.

Q. 1. Utrum Vicarius Generalis, non obstante eo errore, quòd in Rescripto positus fuerit tertius gradus consanguinitatis loco tertii affinitatis &c. dispensare nihilominus potuerit, ut dictæ personæ matrimonio jungantur?

Q. 2. An error, qui committitur in nomine mutato, vitiet Rescriptum, seu dispensationem?

Q. 3. An, & qualis Vicarius Generalis exequi possit commissionem, quæ per errorem fit Officiali, seu Vicario Gener. Diœcesis *A*. loco Diœcesis *B*.?

CASUS LXXXI.

De dote, divortio, & alimentis uxori à marito ſuppeditandis.

Q. 1. An pater Filiæ nubenti teneatur dotem conſtituere, etiamſi aliunde dives ſit, & etiam, ſe invitô, nubenti?

Q. 2. An maritus graviter peccet uxorem graviter verberando, & an id ſit juſta cauſa divortii faciendi?

Q. 3. An, & quando maritus teneatur alere uxorem, factô divortiô?

Q. 4. An, & quando, factô divortiô, alenda ſit uxor etiam tunc, quando & mariti culpa, & ſua propria ab eo receſſit?

CASUS LXXXII.

De reconciliatione conjugum factô divortiô, déque reſtitutione dotis, & filiis alendis.

Leander maritus Leontiam uxorem ſuam de commiſſo adulterio convictam factô divortiô è domo ejicit non ampliùs recipiendam, nulla ei dote reſtituta, qui cùm poſtea & ipſe in adulterium incidiſſet, idque Leontiæ innotuiſſet, cupit hæc, & petit Leandro marito reconciliari.

Q. 1. An ſi Leander poſt factum per ſententiam Judicis divortium ob adulterium Uxoris, & ipſe poſtea adulterium committat, teneatur reconciliari uxori volenti, ac petenti, & ad eam redire adulterii causâ priùs dimiſſam?

Q. 2. An conjux innocens factô per ſententiam Judicis divortiô, & manente utriusque Statu immutato cogere poſſit adulterum invitum, ut ſibi reconcilietur, teneatúrque is reconciliari?

Q. 3. An ob adulterium tam occultum, quàm notorium liceat conjugi innocenti propria authoritate divortium facere, nulla expectata Judicis ſententia?

Q. 4. An, & quando, facto ob adulterium divortiô, dos uxori reſtituenda ſit, & à quo conjuge educandi, atque alendi ſint filii?

CA-

CASUS LXXXIII.

De delectatione copulæ sub conditione habita, déque jactantia peccati commissi, & turpibus verbis.

Jactantius homo vitæ dissolutæ, morúmque pessimorum, cùm à pluribus annis non fuisset confessus, hoc anno adveniente tempore Paschali Pachomium Confessarium adit, eíque inter alia confitetur, non solùm se sæpiùs delectâsse de copula cogitata cum Flora, si esset sua uxor, sed etiam coram aliis sæpè verbis turpibus se jactâsse de copula cum eadem Flora, & pluribus aliis habita. Unde Pachomius de his dubitans

Q. 1. An delectatio Jactantii de copula cum Flora cogitata sub tali conditione peccatum sit mortale?

Q. 2. An Jactantius ita se laudando, & jactando graviter deliquerit?

Q. 3. An verba turpia coram aliis proferre, vel audire sit in solutis peccatum mortale?

CASUS LXXXIV.

De delectatione copulæ tempore matrimonii habitæ, vel habendæ, & resistentia pravorum naturæ motuum.

Q. 1. An licita sit viduis delectatio de copula tempore matrimonii habita?

Q. 2. An sponsis de futuro liceat delectatio captata ex futuræ copulæ conjugalis cogitatione?

Q. 3. An, & quale peccatum sit, si quis in motibus venereis ita negativè se habeat, ut neque consentiat, neque positivè resistat, sed quasi permissivè se habeat?

CASUS LXXXV.

De pollutione nocturna in vigilia reprimenda &c.

Fabronius nobilis vir comedens quosdam cibos calidos, & certo situ accumbens in lecto incidit non nunquam in pollutionem in somnis,

quam, dum evigilat, non reprimit, sed permittit. Non nunquam de ea in somnis habita etiam gaudet, aut eam in somno evenientem desiderat.

Q. 1. An pollutio, quæ incipit in somnis, sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda?
Q. 2. An Fabronius abstinere debeat ab ejusmodi cibis calidis, & taliter accumbendi situm mutare?
Q. 3. An peccatum mortale sit desiderare pollutionem in somnis, & de ea in somnis habita gaudere?

CASUS LXXXVI.

De valore voti castitatis emissi à proclivi in lapsum carnis, ejúsque commutatione.

Rosina, quamvis ob graves carnis stimulos arbitretur utiliorem sibi fore statum conjugalem, nihilominus rata se posse has, quas patitur, tentationes superare, emittit votum simplex castitatis; sed cùm postea animadvertat, se tentationibus sæpiùs succumbere, & votum violare, ejus commutationem à suo Confessario instanter petit ad effectum matrimonii contrahendi, qui proin illud commutat in jejunia, Confessiones, & Communiones, ac preces quotidianas: Quo facto matrimonium contrahit cum Titio, sed vix anno elapso moritur Titius maritus.

Q. 1. An validum sit votum castitatis emissum ab eo, qui gravibus carnis stimulis identidem vexatur?
Q. 2. An validum sit votum ineundi matrimonium, editum ab eo, qui ob graves carnis tentationes in perpetuo periculo versatur graviter labendi?
Q. 3. An Rosina, mortuô marito, & redeunte voti obligatione, teneatur exequi commutationem illam à Confessario factam?
Q. 4. An, & quale peccatum sit pœnitere de voto facto?

CA-

Casuum, & Quæstionum in eis contentarum,

CASUS LXXXVII.

De voto castitatis, ejúsque dispensatione, & irritatione.

Q. 1. An potestas delegata dispensandi in votis, vel ea commutandi se extendat etiam ad vota juramentô firmata, & an dispensatio voti à Martino, tacitô juramentô, petita, & obtenta subreptitia sit, & nulla?

Q. 2. An, & qualiter votum simplex castitatis ante matrimonium emissum, matrimonium, ejúsque usum impediat?

Q. 3. An maritus irritare possit votum simplex castitatis ab uxore ante initum matrimonium emissum, aut constante matrimonio editum, & quænam alia?

CASUS LXXXVIII.

De potestate Abbatissarum erga suas subditas, déque earum Confessario, & participatione privilegiorum &c.

Q. 1. An Abbatissa, aut Priorissa possit aliquid suis monialibus præcipere in virtute S. Obedientiæ?

Q. 2. An Abbatissa, vel Priorissa possit suarum monialium vota irritare, aut in iis dispensare?

Q. 3. An possit Episcopus concedere moniali in mortis articulo constitutæ aliquem Confessarium Regularem, quem illa petit, ut loco Ordinarii Confessarii ei Sacramenta administret, & morienti assistat, & an Abbatissa tempore Jubilæi possit eligere pro se, & aliis monialibus Confessarium antehac Ordinarium, sed tunc specialiter non approbatum ab Episcopo?

Q. 4. An moniales uti possint privilegiis concessis viris Religiosis sui Ordinis?

CASUS LXXXIX.

De Missa, ejúsque legendæ obligatione, & applicatione.

Q. 1. An Sacerdos, obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomade Sacrum omittere, & legere pro se, aut Stipendium dantibus?

Q. 2. An plùs prosit Missa boni, quàm mali Sacerdotis, & plùs Missa de *Requiem* quàm alia, qualéque peccatum sit accipere Stipendium pro Missa de *Requiem*, & legere de festo currente?

Q. 3. An magis expediat, ut quis, se adhuc vivente, Sacrificia pro se fieri potiùs curet, quàm post mortem?

Q. 4. An, & quomodo peccet Sacerdos, qui pro Stipendio nova onera Missarum celebrandarum suscipit, oneribus jam susceptis non persolutis?

CASUS XC.

De defectibus Sacerdotis Missam celebrantis, & alienum Sacrificium supplentis.

Q. 1. An, & quomodo supplendum sit Sacrificium Sacerdotis post sumptas S. panis species in altari deficientis?

Q. 2. An, & quale peccatum sit non lavare manus ante Missam, vel omittere preces inter induendum, aut aliquid omittere in decursu Missæ?

Q. 3. An, & quomodo peccet, qui in Canone aliqua addit, ex privata devotione, aut ea, quæ alta voce dicenda sunt, recitat submissè, aut vicissim?

CASUS XCI.

De Missæ Sacrificio interrumpendo, S. Viatico, & hostiæ fragmentis à celebrante post ablutionem repertis.

Q. 1. An Parochus rectè egerit S. Viaticum ad Susannam deferendo, Sacrô interruptô?

Q. 2. An rectè fecerit sumendo in Sacristia talem Hostiæ particulam?

Q. 3. An à Sacerdote celebrante post ablutionem sumi possint reperta fragmenta, seu reliquiæ in alio Sacrificio ab alio consecratæ?

CASUS XCII.

De Missæ auditione, loci distantia, & integritate.

Q. 1. Qualis viæ distantia ab auditione Missæ excuset diebus ab Ecclesia præceptis, & quænam alia causa?

Q. 2. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui die festo primùm venit ad Offertorium, vel qui solùm audit Missam ab initio usque ad Communionem?

Q. 3. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ de Sacro audiendo, qui unam duntaxat partem Missæ audit ab uno; aliam verò ab alio celebrante?

CASUS XCIII.

De Missæ celebratione, applicatione, & Sacerdotis obligatione &c.

Q. 1. An liceat cuivis Sacerdoti privatim Missam celebrare die Jovis sancto, & Sabbatho sancto?

Q. 2. An in die animarum, seu Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum Sacerdotes Missas applicare debeant generaliter pro omnibus fidelibus defunctis; anne etiam in specie pro aliquo, vel aliquibus in particulari applicare possint?

Q. 3. An, & quomodo delinquat Sacerdos simplex, qui rarò, vel nunquam infra annum Missam celebrat?

CASUS XCIV.

De Dedicatione, seu Consecratione Ecclesiæ.

Consecrata fuit nuper ab Episcopo nova Ecclesia quorumdam Religiosorum; ubi functio Consecrationis duravit ferè usque ad meridiem diei Dominicæ, quæ erat secunda post Paschæ: Ubi exortâ inter ipsos contentione, & controversiâ, quæsitum fuit.

Q. 1. Utrum Consecratio, & Dedicatio juxta Rubricas sint idem?

Q. 2. Utrum Religiosi illi pridie Consecrationis dicere possint Vesperas &c. & postridie Matutinum cum laudibus &c. de Dedicatione?

Q. 3.

Q. 3. Utrum privato in Sacello valeant Missam celebrare (eo tempore, quo Consecratio actu durabat, & necdum erat completa) de Dedicatione?

CASUS XCV.

De Jubilæo lucrando.

Titius lucraturus Jubilæum aliqua opera ex injunctis peragit in Statu peccati mortalis; ultimum tamen opus ponit in Statu quidem gratiæ, sed cum affectu vigente ad aliquod peccatum veniale, vel certè cum peccato aliquo habituali non retractato.

Q. 1. An dici possit, quòd Titiùs, ultimum opus præscriptum faciens cum affectu ad aliquod peccatum veniale, lucratus sit Indulgentias Jubilæi?

Q. 2. An ad Jubilæum lucrandum requiratur Status gratiæ pro toto illo tempore, quo opera injuncta ponuntur, anne sufficiat Status gratiæ pro solo illo tempore, quô ultimum opus perficitur?

Q. 3. An, si ultimum opus factum fuit in Statu peccati mortalis, recedente fictione, seu peccati obice, reviviscat postea Indulgentia?

CASUS XCVI.

De scandalo, & subministrantibus indifferentia &c.

Q. 1. An, & quomodo peccet, qui vendit, aut ministrat indifferentia, ex quibus proximus sumit occasionem peccandi?

Q. 2. An graviter peccet Caupo invitans die jejunii hospitem ad Cœnam, qui alibi aliàs est jejunium violaturus?

Q. 3. An, & quomodo delinquant tabernarii, & Caupones ministrantes die jejunii cibos hospitibus, quando credunt, eos à jejunio non excusari, vel vinum vendentes se inebriaturis?

CASUS XCVII.

De Rescriptis executioni mandandis.

Q. 1. An, & quando Rescriptum gratiæ, & Justitiæ cum morte delegantis expiret?

Q. 2. Et an, & quando cum morte delegati, aut finito ejus Officio?

Q. 3. An Successor defuncti Vicarii generalis Episcopi A. Commissionem Pontificiam illi factam exequi potuerit?

Q. 4. An Vicario amoto, vel mortuo, commissionem illi factam exequi possit ipse Episcopus, vel Vicarius Capituli sede vacante?

CASUS XCVIII.

De litteris dimissorialibus.

Laurentius minorista, cùm neque à suo Episcopo nuper defuncto, neque hodie à Capitulo, Sede vacante, litteras Dimissorias obtinere potuerit, eas tandem Româ obtinuit, vi quarum possit Sacros Ordines suscipere à quocunque legitimo Episcopo. Adit proin Statim Ambrosium Episcopum vicinioris Diœcesis nullis aliis litteris à Capitulo, sede adhuc vacante, acceptis, à

quo

quo S. Ordinibus initiatur. Post susceptos S. Ordines inaudit, Summum Pontificem, altero mox ab acceptis litteris Pontificiis die, piè in Domino obiisse.

Q. 1. An Laurentius tenore illarum litterarum Papalium fuerit validè ordinatus?

Q. 2. An si fuit Ordinatus sine aliis litteris à proprio Episcopo, vel Capitulo, sede vacante, acceptis, suspensionem incurrerit?

Q. 3. An, & quando Capitulum, sede vacante, Dimissorias dare possit?

CASUS XCIX.

De negotiatione Clericis prohibita.

Faustinus Parochus, cùm Beneficium habeat valde tenue, & insufficiens ad congruam sustentationem pecunias paucas, quas ex reditibus Beneficii, & aliis rebus à se emptis, & venditis acquirit, tradit Fausto mercatori cognato suo, ut iisdem negotietur, & ut sic & ipse lucrum aliquod inde percipiat.

Q. 1. An, & quomodo peccet Faustinus Parochus negotiandò per Faustum cognatum suum?

Q. 2. An graviter peccet una solùm, alterave vice negotiando per se ipsum?

Q. 3. An Clericus non habens, unde honestè vivat, licitè negotietur?

CASUS C.

De Thesaurario pecuniis Principis negotiante, & Creditorum solutiones retardante.

Pontianus cujusdam Principis Thesaurarius cum pecuniis Principis sibi concreditis, eo inscio, negotiatur in suum maximum commodum, & lucrum, sine tamen Principis detrimento, & idcirco ob pecuniam negotiationi commissam non nunquam etiam retardat solutionem Creditorum Regis, aut in solutione unum præfert alteri, aliquid propterea ab eo petendo, & accipiendo.

Q. 1. An, & quando liceat depositario uti re deposita?

Q. 2. An Pontianus lucrum illud possit in Conscientia sibi retinere, anve Principi restituere teneatur?

Q. 3. An, & quomodo peccet Pontianus per eam Creditorum solutionem, & an ad aliquam restitutionem teneatur?

CA-

CASUS I.

De homicidio innocenti imputato, & damnis inde ortis resarciendis.

Titiùs injustè occidit Cajum, cujus homicidium imputatur sempronio innocenti, qui proin comprehensus, & in carcerem conjectus, non solùm ipse multum detrimenti subire debet, sed etiam damna temporalia ex delicto aliis subsecuta resarcire cogitur etiam mortis pœnâ mulctandus.

QUÆR. I. An, & quid Titius restituere debeat Cajo pro ipso homicidio, seu vita ablata?

QUÆR. II. An & qualia damna teneatur Titius resarcire Cajo in bonis fortunæ ex homicidio eidem emergentia?

QUÆR. III. Quibus personis consanguineis ea restitutio facienda sit?

QUÆR. IV. An Titius obligetur aliquid restituere Creditoribus occisi Caii, si propterea carere debeant debiti solutione, ad quam illi spem habebant, si Cajus debitor non fuisset interfectus?

QUÆR. V. An titius homicida teneatur innocenti sempronio ea damnare parare, quæ ipsi ea de causa obvenêre?

QUÆR. VI. An ille, qui novit Auctorem occulti homicidii innocenti falsò imputati, possit, aut teneatur illud manifestare ad liberandum innocentem?

1 AD 1. Q. triplicem invenio sententiam. Prima aliquorum apud Vasq. *de rest. c. 2. §. 3. dub. 6.* affirmat, occisorem ita restituere debere, ut vitam pro vita ablata exponat, dimicando v. g. in justo bello, vel se justæ pœnæ obiiciendo, & siquidem pœnam talionis pati cogatur, ad nihil aliud eum teneri, nisi ad eam pœnam patienter subeundam. Verùm hæc sententia ab omnibus aliis reiicitur teste Lug. *D. 11. S. 1.* & meritò, quia talis restitutio parùm vel nihil prodest defuncto, nec quidquam ex eo lucratur, quòd occisor hoc modo vitam suam amittat.

Secunda sententia satis probabiliter censet, damnum corporis seu vitæ & membrorum pecuniâ vel in aliquo alio, v. g. bonis spiritualibus compensandum esse. Ita Molina *tr. 3. D. 84.* Azor *l. 5. c. 3. q. 4.* Scotus *in 4. d. 15. q. 3.* Sotus, Sylv. Cajet. Armilla, Aragon. Lopez, Cordub. aliique apud Sanch. n. 6. Rationem dant. 1. Quia absurdum, atque indignum est, eum, qui bonum, vel asinum alienum occidit, teneri ad restitutionem pro bove, vel asino occiso, & non teneri pro homine injustè occiso, cùm damnum corporis sit verè damnum injustè illatum, idque majus, quàm quodcumque aliud damnum bonorum externorum, quod in foro conscientiæ jure naturali resarciri debet. Confirm. quia absurdum pariter est, dari obligationem pro minori injuria, & non dari pro majore, qualis est occisio hominis injusta.

2. Quia licet bona corporis ex genere suo pretiosiora sint, quàm bona externa, & honoris & famæ, nihilominus tantùm addi potest de bonis inferioris Ordinis, ut prudentis arbitrio ad æqualitatem compensetur damnum in bonis superioris ordinis injustè illatum.

3. Qui per injuriam amisit equum ab alio occisum debet ex Justitia recuperare pretium equi, & tamen non ideò habet suum equum: ergo qui injustè amisit membrum, poterit ex Justitia petere pecuniam, licèt non ideò habeat suum membrum.

Tertia sententia, eáque probabilior, negat obligationem quidquam in conscientia restituendi pro vita, membro, aut cicatrice hominis liberi, (nam pro occisione hominis servi absque dubio restituendum est domino, quantum servus occisus valebat) quam sententiam tuentur. Lugo *l. c.* Less. *l. 2. c. 9. dubit. 23.* Vasq. *in moral. l. c.* Novar. *c. 15. n. 22.* Petr. Navar. *l. 4. c. 1. n. 80.* Layn. *l. 3. tr. 3. n. 3. c. 6.* Panormit. Gomez

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mez Covar. Ostiens. Ledesm. Haun. Ills. aliique RR. communiter. Prob. ex leg. ultim. ff. de his, qui effuderunt &c. ubi post enumerata damna resarcienda subditur: *Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Quibus clarè indicatur, nihil pro his deberi, eò, quòd natura sua sint supra omne pretium, adeóque bona non venalia, sed incomparabilia & immutabilia, respectu quorum nequit restitutio locum habere.

2. P. Si pro vita, vel membro ablato præstanda est satisfactio, tunc non cessaret ea obligatio, etiamsi occisor ad pœnam capitalem damnaretur, sicut non cessat in fure ob furta ad mortem condemnato, qui proin, si potest, debet restituere iis, quos furtò læsit. Sed hoc est contra omnes, teste Lug. etiam contra AA. contrariæ sententiæ, & contra usum omnium hominum, & ut ait Less. contra praxim omnium tribunalium: Accedit, quod si occisor compensare teneretur damnum vitæ, tenerentur etiam ejus hæredes, utpote qui succedunt in ejus obligationes, & debita Justitiæ, sicut in alia jura; hoc autem est contra Scotum, alios que DD. sententiæ oppositæ; ergo.

3. P. quia non potest statui, nec determinari, quantum pro vita restitui debeat, quia cùm hæc æstimabilior sit quibuscumque thesauris, nunquam tantùm pro illa restitui potest, ut non plus esset restituendum, aut exigi possit, si enim Vir prudens dixerit mille deberi pro vita, cur non duo millia, vel tria &c. præsertim si homicida opibus abundet? atque adeò nunquam poterit ab arbitris tantum taxari, quin dici possit ampliùs deberi. Nec refert, quòd læsus pluris fortè faceret centum, aut mille aureos, quàm membrum amissum; nam Justitia non intendit æqualitatem pro damno secundùm æstimationem læsi, sed ut id habeat, quod est ablatum, vel in se, vel in æquivalenti, hoc est, in pretio, quò id comparari possit aut commutari: ergo si non est comparabile, nec æstimabile, nec quoad totum nec quidem quoad partem, neque in se nec in æquivalenti restitui potest, neque haberi æqualitas perfecta à Justitia commutativa intenta, seu quoad totum, nec imperfecta quoad partem.

4. P. Quia nemo obligatur damnum resarcire ex bonis diversi ordinis, sed ejusdem duntaxat, quia hæc sola sunt inter se commensurabilia, & comparabilia: ergo quando non potest fieri commensuratio, & comparatio, non est obligatio Justitiæ commutativæ. ant. patet inde, quia, qui aliàs læsisset in vita, deberet restituere in bonis spiritualibus, si pecunia non posset, vel qui injustè læsit in bonis spiritualibus, impediendo alium v. g. ab ab ingressu Religionis vel à statu perfectioris vitæ, pecuniâ id dam-

num compensare deberet, quando aliter restituere non posset; hoc autem nemo admittit, teste Lug. estque contra sensum omnium hominum, neque moribus gentium est receptum, nec ullo modo necessarium, ut passim tradunt DD. apud Less. *l. c.* Notat tamen hîc Ills. subinde in solatium læsi, vel in vindictam criminis à Judice imponi lædenti obligationem alicujus mulctæ pecuniariæ per modum pœnæ à lege jam statutæ, vel à Judice statuendæ, quæ tamen ante sententiam Judicis indebita est. Similiter licèt bonum spirituale non possit esse pretium rei temporalis, utpote diversi ordinis, adeóque non debeat damnum ex Justitia resarciri, in foro tamen interno valde conveniens, ac consultum est, ut Confessarius pro satisfactione sacramentali imponat homicidæ preces Eleemosynas & sacrificia animæ occisi applicanda, ut notat Laym. Less. Mol. & alii. Unde.

Ad argumentum in contrarium ab adversariis allata R.

Ad 1. respondet Epar. absurdum id esse non intelligenti rerum naturas; paritas enim utut Asino imposita, non benè currit. Nam Asinus, & bos sunt bona fortunæ, suntque æstimabilia, & novo pretio comparabilia, non item vita hominis, ut patet ex dictis. Nec refert, quòd damnum injustè darum sit majus, quando illud irrepatabile & inæstimabile est, aut major sit injuria, quando jus per injuriam majorem læsum reparabile non est, aliàs qui injustè est causa damnationis alteriùs, teneretur pecunias restituere hæredibus ad compensandam eam injuriam, cùm injuria sit longè gravior, quàm sit, si fuisset læsus in pecuniis, vel fama, hoc autem est contra omnium sensum, ipsámque rationem. Unde patet etiam responsio ad Confirmationem. Scilicet id concedi, si jus per majorem injuriam læsum sit reparabile, secus, negari.

Ad 2. R. n. a. ratio negandi patet ex dictis, nam vita & membra hominis liberi sunt incompensabilia, adeóque per ejusmodi restitutionem nequit obtineri ulla perfecta & arithmetica æqualitas cum ulla parte debiti, quod saltem exigit Justitia commutativa, si totum obtineri nequit. ant. prob. inde, quia non potest dari aliquid pro iis sufficiens, ut injuriam passus habeat aliquo modo id, quod debebat habere, nam bonum, quod redditur nec in se, nec in æquivalente quoad ullam partem est illud bonum, quod amissum est, ut enim esset in æquivalente quoad aliquam partem, deberet per rem restitutam iterum comparari posse res ablata, aut saltem aliqua ejus pars, atqui nec oculus, nec aliqua ejus pars comparari potest per ullas pecunias, aut per ullas res etiam spirituales, quamvis digniores, aliàs, qui pro digito ablato converteret ad fidem hominem infidelem, cujus digitum abscidit, compensasset

su-

superabundanter & secundum leges Justitiæ commutativæ. Demum si ea obligatio esset de jure naturæ, deberet ex natura rei, præscindendo ab arbitrio prudentum, aliquod determinatè esse debitum, ut notat Valq. *n.* 20. adeóque læsus nolens recurrere ad arbitrium prudentum, posset id totum petere, quod in conscientia sibi debetur.

Ad 3. R. dist. ant. & tamen non habet suum equum formaliter, concedo, non habet æquivalenter, nego à &c. nàm talis potest illo pretio comparare alium equum similem, non autem potest comparare aliud membrum; pecunia enim licèt sit æquivalenter omnia alia bona fortunæ, non tamen est æquivalenter membra, & vita, & idcircò accepta pecunia, nullo modo adhuc habet suum membrum.

Dices, etiamsi non possit obtineri tota æqualitas, Justitia tamen vult poni tantùm, quantùm poni potest. Ergò.

R. Dist. a. si per id, quod ponetur, attingatur æqualitas saltem secundùm partem c. si non ita saltem attingatur, n. nullum autem bonum diversi generis est pars aliquota boni alterius generis, aut æqualitatis, quam respicit formaliter Justitia commutativa, & idcirco non obligat hæc ad quidquam ponendum ex bono alterius generis.

2 Ad secundum R. cum communi DD. Titium ex Justitia resarcire debere omnia damna realia, & compensabilia ex homicidio provenientia, damnum scilicet emergens, & lucrum cessans: Vnde tenetur solvere necessarias expensas, factas in curatione occisi ante mortem, v. g. ratione Chirurgorum, medicamentorum &c. utpote quorum ipse efficax causa fuit, deductis tamen iis, quæ ipius læsus si vulneratus, aut occisus non fuisset, insumpturus erat in suo victu Ordinario. Tenetur insuper restituere non quidem quantum ipse occisus lucraturus erat, sed quantum spes illa lucri valebat, si quæstum officio aliquo, vel artificio faciebat, detractis rursus iis, quæ ipse aliàs expendere debuisset, utpote quæ teste Less. *l. c.* non possunt in lucris censeri ad hæredes pervenientibus, v. g. spes lucri æstimatur mille fl. id, quod consumpturus erat, æstimatur 500. fl. supersunt tantùm 500. restituendi, quòd benè notandum est, ut monet cit. Author. Præterea considerandum est, quanto tempore occisus vivere moraliter potuisset, quantoque tempore hæredes ex parte sua emolumentum illud à defuncto capere potuissent; indeque computationem faciendam esse.

Sumptus tamen funebres, seu expensas pro funere occisi factas juxta personæ qualitatem & conditionem non tenetur homicida compensare, ut ex communi tenent Molina *tr. 3. D. 83.* Lugo D. *11. s. 2.* Less. *l. c. dub. 24.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 6.* Azor. Sanch.

& alii, contra Navarrum *in Manual. c. 15. n. 22.* Ratio est, quia homicida solùm fuit causa, ut illæ expensæ citiùs fierent, quandoquidem ille aliquando erat moriturus, & expensæ tunc faciendæ fuissent; Unde ex hac parte nihil damni illatum, nisi fortè occasione necis illatæ in loco v. g. alieno, vel extra patriam majores fieri debuissent, vel nisi ex eo, quòd sumptus citiùs fieri debuerint, & defunctus interim aliquid lucri facere potuisset, sed hoc sub lucro cessante, vel damno emergente comprehenditur.

Quæres hîc an quando duo se mutuo provocant, & unus alterum occidit, teneatur occisor ad aliquid restituendum occisi ratione damnorum ex morte illi evenientium.

R. Si duo sponte se se mutuo provocant, neutrum teneri ad damna resarcienda ex morte, vel mutilatione alterius secuta. Ratio est, quia hoc ipso, quòd se mutuo ita provocent, faciunt sibi mutuo potestatem contra se agendi, ceduntque jure suo.

Ad 3. Q. quibus personis consanguineis hæc restitutio facienda sit, in diversas AA. abeunt sententias, eam faciendam esse omnibus, qui ob patratum homicidium, vel mutilationem damnum aliquod vel lucrum cessans ea occasione passi sunt, affirmant Panorm. Navar. Andrian. Rosell. & alii, eô potissimum argumentô moti, quòd is, qui per vim, vel fraudem impedit volentem mihi legatum relinquere, vel aliud beneficium conferre, teneatur ex Justitia illud totum damnum mihi compensare: ergò cùm homicida per violentam occisionem injustam impediat, ne alii habeant, quod ex debito, vel liberalitate occisi habituri erant, debet jis omnibus ex Justitia damnum compensare, quod argumentum magni esse ponderis ait Vasq. *in moral. de rest. c. 2. §. 3. dub. 7.* Alii dicunt solùm debere restitui conjunctis intrà tertium gradum, ut insinuat Diana *tom. 1. tr. 6. R. 22.* Alii cum Sanch. *c. 4. dub. 3. & 4.* censent restituendum esse filiis, uxori, & parentibus absolutè, cæteris autem tunc solùm, quando occisor prævidit damnum inde secuturum, sive ii sint Consanguinei, sive amici. Alii denique solis parentibus, filiis, & uxori id omne restituendum arbitrantur, quod ob injustam occisionem perdiderunt, sive ex alimentis, quæ ab occiso suppeditabantur, sive ex lucro, quod ab ipso prudenter sperabant, quantum scilicet valebat spes illa attentis circumstantiis, & periculis, quibus erat exposita. Ita Molina *tr. 3. D. 83. n. 6.* Less. *l. 2. c. 9. dub. 26.* Sotus *l. 4. de Just. q. 6.* Salon. Ledesm. Cordub. Lopez aliique apud Sanch. *c. 4. dub. 3. n. 7.* cum hac ultima sententia.

R. ad Q. 3. Titium probabiliùs solis filiis Caij, uxori, & parentibus indigentibus prædictam restitutionem

tionem facere debere, non item aliis consanguineis, ac cognatis, qui aliquid damni ea occasione subiere, saltem si absque damni prævisione, & animo eis nocendi Cajum occiderit, quam sententiam cum hac limitatione veriorem dicit etiam Lugo D. 11. S. 4. n. 77. Prior pars patet inde, quia filiis debet pater alimenta, iisque jus competit succedendi in bona paterna & in jura defuncti, Uxor quoque per contractum matrimonialem jus acquisivit participandi de bonis mariti, eâmque maritus sustentare tenetur, uti & parentes, quibus, præsertim si egeant, alimenta suppeditare obligatur tum jure naturali, tum humano ut patet ex *l. si quis à liberis in prin. ff. de liber. agnos. l. ult. §. ipsum autem C. de bonis, quæ lib. l. filia tua, C. de patr. potest. &c.* Præterea ob arctissimam conjunctionem, quam inter se habent, pater & filius censentur una persona, uti & maritus, & uxor: unde qui patrem occidit, liberis, & uxori damnum infert, eosque in re sua lædere censetur. Posterior pars probatur inde, quia seclusis parentibus, filiis, & uxore, qui ratione strictissimi nexûs videntur unum facere cum persona occisa, ut modò dictum est, atque idcircò occisio per se, & proximè connectitur cum eorum nocumento, aliorum damna, quos interfectus ex sua liberalitate sustentabat, aut alia beneficia conferebat non habent per se connexionem cum vita illius in ratione debiti, sicut habent damna priorum, sed tantùm per accidens, & remotè connectuntur, nec mors occiso illata fuit ex intentione contraveniendi juri, quod ejusmodi homines habent ad accipiendum id, quod sibi quivis ex liberalitate conferre voluerit, quasi homicida intenderit id impedire, sed duntaxat per accidens est secutum, non secùs, ac si mors alia ex causa ei eveniret: atque adeò ad id præcavendum non est ex justitia obligandus homicida; non enim jus habes obligans me ex justitia, ut ego abstineam in meis operationibus ab iis omnibus, quæ remotè, & per accidens possunt tibi nocumentum afferre, sed satis est, si obliges me, ne ex industria illud procurem & intendam, & ne ea ponam, quæ per se, & proximè ad tuum nocumèntum ordinantur, aliàs gravissimum onus aliis imponeretur, quod non probatur. Quod

Conf. nam, si argumentum oppositæ sententiæ supra relatum, cui plurimum tribuit Vasque l. c. urgeret, sequeretur, quòd occisor deberet etiam restituere amicis occisi quid quid ab ejus liberalitate, vel sponte, vel ipsis petentibus accipere sperabant, vel si frequenter eos invitabat ad prandium vel cænam, vel si pro eis intercedebat apud Judicem in rebus occurrentibus, vel si famuli ultra justum stipendium sperabant imposterum aliquam promotionem &c. Ad quæ tamen restituenda in nullius adhuc mentem venit obligandum esse homicidam ut ait Lugo teste

l. c. neque id affirmant adversarii teste Molina l. c. Unde, licet sententia oppositа ob allatum argumentum speculativè optimè defendi posset, ut loquitur cit. Lug. in ordine ad praxim tamen & mores inutilis est, & contra praxim omnium, tam Confessariorum, quàm pœnitentium: unde patet responsio ad fundamentum potissimum contrariæ sententiæ, quod non benè universaliter concludere fusè probat cit. Author & Less. l. c. tunc tantùm procedere, quando vis infertur animo & intentione nocendi.

5 Ad 4. Q. de Creditoribus injustè interfecti affirmativam sententiam amplectuntur Molina l. c. n. 8. Turrianus dub. 3. n. 9. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 6. & alii obligantes homicidam ad compensandum Creditoribus id, quod ab occiso debitore sibi debebatur, & ob injustam ejus mortem non recipiunt, alioquin recepturi, si debitor interfectus non fuisset. Rationem reddunt, quia occisus debitor arctiore obligatione justitiæ tenebatur erga Creditores, quàm erga filios, uxorem, & parentes, nam ad hos non plus spectat de bonis occisi, quàm quod remanet deducto integrè toto ære alieno, & satisfactione Creditoribus præstita: ergo si occisor tenetur restituere filiis, uxori & parenti pro damno emolumenti, à fortiori tenebitur Creditoribus de damno, quod ea occasione sunt passi. Nec refert, inquit, Molina l. c. si quis dicat, damnum hoc Creditorum non fuisse intentum ab homicida, sed per accidens, & præter ipsius intentionem esse secutum; nam similiter damnum Uxoris, & filiorum fuit secutum per accidens, & præter intentionem homicidæ, & nihilominus tenetur illud resarcire, quia connexum erat cum morte injusta interfecti, & contrarium hujus damni erat quotamodo debitum ab interfecto: atqui & damnum Creditorum erat similiter connexum cum morte injusta interfecti, & contrarium ejus damni magis erat illis debitum: ergo. His non obstantibus,

Communis DD. sententia hodie contrarium docet, teste eodem Molina adversario, cum qua Dicendum, non teneri homicidam ad aliquam satisfactionem Creditoribus præstandam, si ob injustam debitoris mortem solutione carere debeant, ad quam extra hunc casum spem habebant. Ita communis hodie DD. sententia cum Lug. D. 11. s. 4. Less. l. c. dub. 26. Soto, Salon. Lopez &c. Probatur 1. quia Creditores non habent jus in debitorem, nisi quatenus & quousque se extendunt bona, quæ actu possidet, vel quæ verisimiliter erat habiturus si supervixisset: ergo cùm homicida hæredibus occisi, in quos defuncti obligatio transfertur, restituere debeat, ac restituat omnia ea, quæ ipse defunctus putabatur lucraturus, non facit injuriam Creditoribus

bus, utpote qui solutionem petere possunt ab hæredibus occisi.

Prob.2. Creditor non est ita conjunctus debitori ut damnum, quod huic fit, debeat censeri fieri Creditori; nam damnum illud per accidens duntaxat sequitur, nec actio illa occisionis ex natura sua, vel ut plurimùm, damnosa est creditoribus, nam rarissimè continget, ut illi damnum patiantur ea de causa, ut advertit, & fatetur Molina adversarius, eò quòd occisus vel Creditores non habeat, vel relinquat bona sufficientia ad expungenda debita, vel quia non plus satisfaceret, si viveret, quàm satisfiat de bonis, quæ relinquit. Ex quibus benè arguit Lugo *l. c.* hoc ipso, quòd id rarissimè contingat, valde per accidens esse, quòd tale Creditorum damnum ex debitoris occisione sequatur, atque adeò minorem obligationem occisoris ad damna Creditorum compensanda, quàm damna consanguineôrum, amicorum, & familiarium, utpote quæ magis per se, & frequentiùs ex tali occisiòne oriuntur, & tamen ipse Molina non obligat homicidam ad compensanda damna Consanguineorum, amicorum, & familiarium: ergo. Accedit, quòd ea obligatio apud Less. *l. c.* non videatur esse usu recepta. Unde

Ad rationem in contrarium adductam R. obligationem occisoris ad restituendum non oriri ex obligatione occisi erga filios & uxorem, cùm occisus nullam obligationem justitiæ habuerit ad procurandum lucrum, & emolumentum filiis, & uxori, sed solùm ex lege pietatis tenebatur, adeóque ea occisoris obligatio restituendi filiis, & uxori inde oritur, quòd filii censeantur una persona cum patre, & damnum passi in bonis propriis, cujus damni causa fuit occisor vel illud ex industria procurando vel apponendo medium per se ordinatum ad illud injustè inferendum, atque adeò tenetur occisor uxori & liberis ideò, quia videlicet horum damnum per se connectitur cum illa occisione, non item damnum creditorum, utpote quod non nisi rarissimè & valde per accidens connexionem habet cum occisione debitoris, ut ipsimet adversarii fatentur; neque creditor est ita conjunctus debitori, ut damnum, quod huic fit, censeatur fieri creditori, ut supra insinuatum est. Limitanda tamen est hæc doctrina, quòd scilicet non teneatur occisor damnum creditorum compensare, nisi fortè cum damni prævisione, & intentione eis nocendi debitorem occiderit.

Ad 5. Q. an Titius homicida teneatur innocenti Sempronio ea damna reparare, quæ ipse ea de causa pati debet? 6

R. Sub disjunctione; vel enim Titius occidit Cajum non ea intentione & animo, ut crimen Sempro-

nio imputetur, & damnum inde patiatur, nec usus est ense Sempronii, aut aliqua alia re ad illum spectante, ex qua oriretur indicium contra Sempronium, & idcirco illi homicidium imputaretur? vel Cajum occidit intendendo, ut Sempronio innocenti homicidium imputaretur, atque advertendo ei damnum eventurum, aut ense, vel alia re Sempronii in eo homicidio usus est eo inuito, ratione cujus illi innocenti homicidium imputaretur, & damnum pateretur? si hoc posterius contingat, tenetur Titius Sempronio reparare omnia ea damna, quæ propterea ille subire debet, quia tunc eorum damnorum causa injusta extitit, ea intendendo, & re Sempronii, eo invito, utendo ad Cajum interficiendum, ut notat Molina cum aliis *l. c. D. 88.* Si verò prius eveniat, non obligatur Titius ad damna resarcienda, quæ ipse Sempronius ea de causa, sive ratione lucri cessantis, & damni emergentis, sive ratione aliarum molestiarum, passus est. Ita Molina *l. c.* Less. *l. 2, c. 9. dubit. 16.* Laym. *l. c. cap. 6. n. 3.* aliique. Ratio est, 1. quia Titius suo illo homicidio injusto non fuit Sempronio causa, quòd homicidium illud ei imputaretur, & damna inde secuta pateretur, sed solumodo fuit illi occasio ejus imputationis, & damnorum inde emergentium: atqui qui alteri solùm occasio est, quòd ille ab aliis damnum patiatur sive cum peccato, sive sine peccato, non non peccat contra justitiam, licèt peccare possit contra charitatem non evitando occasionem: atque adeò neque ad restitutionem idcircò præstandam tenetur. 2. Quia ea damna Sempronio merè per accidens eveniunt ex facto Titii, (non enim occisio Titii erat directa via ad nocendum Sempronio) per se autem & directè proveniunt ex malitia accusatoris, aut testium: ergo Titio imputari non possunt. 3. Quia ea damna nec in se, nec in causa fuerunt volita, non in se, quia ignorabantur eventura, nec de iis cogitabatur; non in causa; quia effectus non censetur volitus in causa, nisi probabiliter, aut frequenter ex illa proveniat, qui enim rarò provenit, non censetur magis in illa causa contineri, quàm non contineri, sed potiùs minùs, ut ait Less. *l. c.* Dixi suprà non teneri Titium ad aliquid Sempronio restituendum ratione lucri cessantis, & damni emergentis &c. nam si Sempronius compellatur aliquid solvere ex iis, quæ juxta dicta in 1. Q. tenetur occisor in foro conscientiæ, & ante Judicis sententiam restituere occiso, v. g. expensas in Chirurgos & Medicos factas, &c. obligatur tunc Titius ad eas Sempronio refundendas, utpote qui nihil debens solvit id, quæ Titius debebat, & restituere tenebatur, sicque solvèndo Titium sublevavit eo onere, quod ipse ex justitia subire debebat, atque adeò tenetur Sempronio id refundere,

quod

quod hic loco ipsius Titii expendere coactus est, ut benè notat Molina *l. c.*

7 Ad 6. Q. An ille, qui novit auctorem occulti homicidii innocenti falsò imputati, possit, aut teneatur illud manifestare ad liberandum innocentem? R. affirmativè cum Molina *tom. 5. tr. 4. D. 24.* Lug. *D. 14. S. 7.* Less. *l. c. dubit. 9.* Navar. *c. inter verba n. 702.* & aliis, scilicet posse eum, cui delictum notum est (nisi fortè aliunde obligatione servandi secreti teneatur) detegere auctorem criminis, & occultum homicidium manifestare, quantum præcisè satis est ad liberandum innocentem ab eo periculo, & detrimento; imò eum ad id teneri testatur Molina *l. c.* Et ratio est, quia præponderare apud ipsum debent potiùs fama, & bonum innocentis, quàm nocentis & Rei, qui suô delictô dignus est, ut id detrimenti subeat, nec illi tunc injuria idcircò irrogatur, cùm nemo jus habeat tuendæ famæ cum tanto damno, quod indè alteri injustè obveniret: unde & Less. *l. c.* benè infert, sæpè contingere, ut non solùm possimus, sed etiam teneamur ex charitate alterius crimen manifestare, quando ex eo grave damnum proximo imminet, sive temporale, sive spirituale, & damnum, quod ex manifestatione sequitur, tanti non est, ut ejus ratio præ altero haberi debeat. In posito tamen casu monendus esset reus, seu homicida, ut sibi fugâ consulat, & in loco tuto se collocet, antequam delictum detegatur, quando id sufficeret ad innocentem à periculo liberandum.

CASUS II.

De imponente sibi injudicio falsum crimen ad vitanda tormenta.

FUrander animadvertens, Pompeum in proximum suum prædium excurrisse, clam ejus domum ingreditur, effractâque arcâ pecuniariâ omnem in ea reconditam pecuniam furripit. Paulò pòst Pompeus domum rediens arcam effractam & evacuatam invenit, qui, cùm Turbilianum famulum à se paulò ante dimissum satis de furto suspectum haberet, eum ad Judicem defert. Judex mox eum comprehendi jubet, & cùm ad quæstionem abreptus, ac vi tormentorum victus, furtum, quod non commiserat, fateretur, latâ sententiâ morti adjudicatur. Hoc audiens Furander conscientiæ Stimulis agitatus Laurentium Confessarium, qui Turbiliani confessionem in carcere exceperat, illicò adit, eique totam rei seriem pandit, & quid consilii, ut innocentem à morte liberare possit, ab eo exquirit.

QUÆR. I. Quid Laurentius Confessarius consulere possit Turbiliano innocenti, & an hic teneatur retractare confessionem falsi criminis sibi impositi ad tormenta evitanda?

QUÆR. II. An graviter peccet, qui ad evitanda gravissima tormenta sibi falsum crimen imponit, ob quod morti adjudicandus est?

QUÆR. III. Quid consulendum Furandro furi, & An hic teneatur se prodere ad liberandum innocentem.

8 AD I. Q. Laurentius Confessarius Turbiliano consulere poterit, ut ad altius Tribunal appellet, expressa causa falsæ suæ confessionis; cùm enim à sententia inferioris Judicis possit quis provocare ad Judicem superiorem, deturque id beneficium etiam confessis, ut probat

bat Archidiaconus in *cap. Romana de appellat. in 6. n. 11.* & ipse hoc beneficio, & remedio uti poterit, causam falsæ suæ confessionis exprimendo, quòd vim tormentorum perferre nequiverit; si tamen hanc viam appellationis ingredi velit, id faciet intra decem dies, qui à die latæ sententiæ numerantur. Poterit quoque Confessarius Judicem adire, eúmque, furis nomine occultato, de rei causa, & veritate meliùs informare, eique non nulla indicia afferre, quæ Turbilianum innocentem verisimile est ignorâsse, uti varium genus pecuniæ ablatæ, arcæ magnitudinem, figuram, & similia, quæ ex fure & pecuniæ domino intelligere, & cognoscere poterit, quæ forsan Judicem movere poterunt ad differendum supplicium, aut causam meliùs discutiendam. Securior tamen erit via, si ad Principem recurratur, & cum eo de rei veritate probè informato suppliciter de sententia mitiganda, aut rescindenda agatur.

9 An autem, si hæc omnia nihil sint profutura, antequam extremum subeat supplicium, teneatur confessionem falsi criminis sibi impositi retractare, & veritatem aperire? Negant alii cum Sylvest. Angel. *v. detractio* §. 7. Less. *de just. c. 11. dub. 7.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 10.* Busenb. *l. 4. c. 3. dub. 7.* Sotus *l. 5. q. 10.* Tolet. *l. 5. c. 66.* aliisque contra Covar. *1. resol. c. 2. n. 8.* Laym. *l. 3. tr. 6.* §. *unic.* alioſque quia non tenetur cum tanto suo incommodo, & periculo novæ torturæ vitam conservare, nec famæ familiæ suæ consulere. Alii cum Molina *D. 37. &* Lug. *14.* §. *10.* sub distinctione meliùs respondent, & siquidem res sit adhuc in eo statu, ut per retractationem impediri possit mors, vel infamia & damna aliorum, quæ inde sequerentur, retractare eum debere, ne aliàs causam ponat suæ mortis; secùs si confessionis retractatio nihil sit profutura ad revocandam sententiam jam prolatam, nec ad ejusmodi damna impedienda. Addit tamen Molina *l. c.* cum Clave Regia *n. 44.* Bonac. & aliis, consulendum illi esse, & ita fieri solitum, ut saltem ante mortem publicè fateatur, se vi, & metu tormentorum contra veritatem confessum esse; præsertim cùm tunc non amplius sit periculum, ut ad nova tormenta rapiatur, servietque id, si non ad tollendam, saltem ad minuendam infamiam familiæ suæ; cùm multi probabiliter credent magis retractationem in mortis articulo, conscientiæ stimulis factam, quàm confessionem præteritam tormentis extortam.

Ad 2. Q. Convenit inter DD. 10 imponere sibi falsum crimen cum periculo mortis ad vitanda solùm levia tormenta peccatum esse mortale? quia quilibet tenetur cum levi incommodo vitam propriam

conservare : ergo exponendo illam periculo mortis ob levia tormenta delinquit graviter. An autem mortaliter peccet, si id faciat ad evitanda gravia tormenta, disceptatur inter DD. utrinque satis probabiliter. Non peccare graviter secluso perjurio, affirmant Clavis Regia *cap. 3. n. 41.* Less. *n. 41.* Tolet. *l. 6. cap. 66.* Turrian. *D. 54. dub. 1. n. 20.* Tanner. *Tom. 3. D. 4. q. 4. n. 99.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 10.* Busenb. *l. c.* Sotus, Sylvest. Angel. aliique. Rationem dant; quia non tenetur homo cum tanto cruciatu, & dolore vitam tueri ac custodire, sicut nec tenetur ad vitam conservandam tibiam cum ingenti dolore secare; non enim tanto dolore digna est salus.

11 Contrariam tamen sententiam tenent, ac defendunt Navar. *cap. 18. n. 29.* Molina *l. c. n. 18.* Lugo *l. c. n. 174.* Caramuel. *Fund. 61. §. 1. n. 1278.* Reginald. Covar. aliique. Moventur potissimùm, ex eo, quòd homo per confessionem falsi criminis sibi impositi, ex qua pœna mortis incurritur, aliàs non incurrenda, positivè cooperetur injustæ suæ morti; cùm enim homo non sit Dominus vitæ suæ, nequit positivè ad ejus destructionem cooperari: Aliud enim est ex causa rationabili aliquid permittere, & aliud positivè ad illud concurrere, & cooperari: Unde non est paritas cum eo, qui non tenetur permittere sibi abscindi tibiam, aliudve membrum cum tanto dolore & incommodo; nam talis nullo modo se ipsum interficit, sed permittit duntaxat mortem ex morbo, aliisve causis provenientem non utendo mediis difficillimis, maximeque arduis ad eam impediendam, ad quæ adhibenda cum tanto incommodo non tenetur; in posito autem casu non solùm permittit, sed positivè cooperatur morti injustæ, & falsa confessione inducit Judicem, ut ipsum occidat, aliàs non occisurus, eumque graviter decipit, & judicium pervertit, estque sic talis confessio etiam mendacium graviter pernicioſum. Conf. si enim is, qui falsò crimen affinxit alteri, ob quod supplicio extremo afficiendus est, omnium sententiâ peccat graviter & homicida est, cur non etiam ille, qui sibi tale crimen affinxit, ob quod morte plectendus est? cum neque suæ, neque alienæ vitæ Dominus existat. Sed dices ex allata ratione sequeretur, etiam eum esse causam suæ mortis, & graviter peccare, qui metu tormentorum fatetur suum crimen, quod patravit, propter quod morte plectendus est: sequela est falsa, cùm juxta communissimam possit quis verum suum delictum fateri: imò se Judici sistere, ut justè puniatur pro quantitate delicti: fatendum ergo est, confitentem aliquod crimen sive verum, sive falsum, non esse causam suæ mortis, sed occasionem duntaxat præ-

præbere, qua posita Judex est causa illius mortis.

Ad hanc objectionem P. Molina *l. c.* illud inter utrumque assignat discrimen, quòd manifestans crimen suum verum, non ponat causam suæ mortis; cùm causa mortis, jam fuerit posita; licèt esset occulta, nempe ipsum delictum commissum, quod mortem meretur, & Judicem movet ad proferendam sententiam; imponens verò sibi crimen falsum, nullam supponit causam positam, sed ipse causam fingit, & ponit, nempe delictum falsum, quod Judicem movet ad mortem inferendam.

12 Aliter, & meliùs respondet Lugo *l. c.* videlicet posse hominem desiderare, & procurare mortem, quam meritus est, dumodo id fiat apud eum, qui authoritatem habet ad licitè occidendum; potest enim homo desiderare, & petere à DEo, ut ipsum occidat ob bonum finem; potest se Judici offerre, & suum delictum manifestare, ut ab ipso justè ac debitè puniatur &c. Tunc enim homo non se occidit authoritate propria, sed procurat, ut id faciat ille, qui authoritatem habet ad id licitè, & meritoriè faciendum, & licèt det causam aliquam suæ mortis, non tamen disponit authoritate propria de sua vita, sed movet ad id faciendum eum, qui propria authoritate potest de ipsius vita disponere; Unde patet, cur, quamvis liceat verum delictum Judici manifestare, non tamen liceat falsum confiteri; quia nimirum occisio innocentis ipsi Judici illicita est: adeóque qui procuraret, aut vellet, quòd Judex innocentem occideret, Judicem deciperet, & jam non cooperaretur suæ morti apud eum, qui authoritatem habet occidendi, sed apud eum, qui nullam authoritatem habet in eo Casu; & consequenter absque authoritate propria vel aliena poneret causam suæ occisionis. Secus est in altero casu. Posterior hæc sententia verior videtur; Prior tamen oppositа satis probabilis est, quam etiam practicè probabilem pronunciat Lugo *l. c.*

Ad 3. Q. Illud inprimis Furandro præstandum erit, ut, si restitu- 13
enda pecunia furtiva insonti Turbiliano subvenire possit nullâ interpositâ morâ eam restituat; Confessarium verò rogare poterit, ut Judicem conveniat, furis nomen occultans, eúmque de rei veritate, & innocentia Turbiliani informet, propositis, siquæ ex circumstantiis occurrunt aliis indiciis. Verùm cùm Index facilè suspicari possit, redditionem pecuniæ non esse nomine Furandri, sed nomine Turbiliani hac via conantis se morti eripere, vel nomine consanguineorum, nec cogatur credere Confessario, utpote qui alterius verbis decipi,

cipi, ac falli potuit, parùm, vel nihil hæc omnia proderunt imò sæpè nec consultum erit, ut Confessarius id præstet; præsertim cùm nec preces sacerdotis, nec pecuniæ redditæ post Sententiam definitivam à Judice pronuntiatam vim habeant ad sententiam rescindendam, vel immutandam; siquidem non est penes Judicem sententiam à se latam, augere, minuere, mutare, aut revocare, nisi iniquitatem contineat manifestam, ex *cap. inter cæteras de sent, & re judicata,* vel propter errorem facti, aut publicam utilitatem esset irritanda: unde tutior, & efficacior via erit, ut si qui gratia, & auctoritate apud Principem valerent, hos pro vita innocentis ad Principem allegandos curaret, qui habita informatione sententiam revocare, mutare, & corrigere potest.

14 Cœterùm, etsi hæc omnia nihil sint profectura ad innocentem liberandum, non tamen teneri furem occultum se ipsum prodere, ut innocentem morti eripiat, docet communis DD. cum Soto *in 4. l. de J. & J. q. 6. a. 3.* Navar. *in summ. cap. 15. n. 17.* Em. Sà. *v. infamare,* Cordub. Comit.

Ratio est. 1. Quia nulla lex in eam necessitatem ipsum compellit, ut ait Sotus *l. c. D. de rest. §. quid autem &c.* ubi si crimen, inquit, commisisti, ob quod ille falsò condemnatus est: si tu illi non imposuisti, nihil tua refert: ob idque nulla lex te ipsum tunc prodere cogit.

2. Quia communis natura horret, ut quis aut mortem ipse sibi consciscat, aut salutem suam in extremum capitis discrimen adducat. Nec alia ratio suadet, ut fur, qui tali innocenti injuriosus non fuit, nec ullis Judicum suffragiis condemnatus est, cujus crimen est plenè occultum, se, suumque delictum prodat, & capitale supplicium subeat; reus enim, dum ejus crimen est occultum, cùm illud cælat, utitur jure suo.

Conf. si teneretur se prodere, tunc ratione damni, quod incurrit Turbilianus innocens: sed ratione hujus non tenetur, quia talis damni, & detrimenti fuit causa duntaxat remota, & per accidens, non verò causa propinqua, aut per se; qualem tamen esse oportet, ut obligationem inducat.

)o(

CA-

CASUS III.

De obligatione ſolvendi gabellas, vectigalia &c.

PRinceps aliquis ſæcularis imponit gabellam ſuper bonis etiam Eccleſiaſticis ex publica quadam neceſſitate, prohibetque ſub gravi pœna, nequis frumentum, vinum, aliaſue merces ex territorio ſuo exportet, alibi diſtrahendas, quo tamen non obſtante Mucius Mercator hujusmodi vetitas merces non in exigua copia ſibi comparat, eáſque per vias minùs notas aliò clam transferri curat, absque ſolutione gabellæ, quas alibi non ſine magno ſuo emolumento diſtrahit, & alias ibi emptas in Urbem invehit.

QUÆR. I. An Princeps in caſu neceſſitatis publicæ, v. g. peſtis, belli &c. ſuper bonis Clericorum ejusmodi gebellas imponere poſſit absque Eccleſiaſticorum, & Pontificis conſenſu?

QUÆR. II. An fraudantes gabellas, & vectigalia juſta peccent contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem teneantur?

QUÆR. III. An, quando dubitatur de juſtitia vectigalis gabellarum, &c. quæ de novo imponuntur, aut veteres augentur, obligatio ſit, eas ſolvendi?

15 AD 1. Q. ſuppono hîc ſaltem extra caſum neceſſitatis, Clericorum perſonas, & loca Eccleſiaſtica immunia & excepta eſſe è præſtatione Tributorum, vectigalium, aliarumque exactionum à ſæculari Principe, aliove ſimili Magiſtratu impoſitarum, utpote loca, & perſonas à ſæculari Jurisdictione exemptas, & antiquiſſimo utriusque juris privilegio ab hujuſmodi oneribus exceptas, ac privilegiatas, Jure quidem civili, *Auth. item nulla c. de Epiſcop. & Cler.* Jure verò Canonico *c. quamquam 4. de cenſib. in 6. c. non minùs 2. &c. adverſus Conſules 7. de Immunit. c. quia non nulli 1. eod. in 6. atque ex Tridentino ſeſſ. 25. c. 20. de reform.* idque adeò, ut qui ab Eccleſiaſticis perſonis Tributa, & Vectigalia exigunt, excommunicationem ipſo facto incurrant, vel pœnas Interdicti, ſi ſit Univerſitas juxta *c.*

quamquam cttt. siquidem id fiat absque Indulto Pontificio, aut extra casum negotiationis Clericorum, quando scilicet hi res suas negotiationis causâ deferunt, vel transferunt, prout colligitur ex *citt. c. quanquam* per argumentum à sensu contrario desumptum. Quid autem sentiendum sit de bonis Clericorum pro casu necessitatis, patebit ex mox dicendis. Unde

16 Ad 1. Q. An Princeps ejusmodi gabellas imponere possit absque consensu Cleri, & Pontificis, respondet Diana *p. 1. tr. 2. R. 40.* negativè, quia obligatio totius populi non sufficit ad obligandum Clerum, & siquidem gabella, Tributum, aliave hujusmodi exactio imponatur pro utilitate tam Laicorum, quàm Ecclesiasticorum, necesse esse amborum intervenire consensum, quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Cap. *adhæc de offic. Archidiac. & reg. 29. in 6.*

17 Idem sentiunt alii communiter cum Panormit. *in cap. non minùs, n. 19.* Molina *D. 672.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6.* Sylvestr. Azor. Rodriq. Ledesm. asserentes, quando necessitas publica concernit directè, & principaliter æquè utilitatem Ecclesiasticorum, & Laicorum, debere tunc etiam Ecclesiasticos contribuere, non tamen ad deliberationem solùm Laicorum, sed præmissa deliberatione etiam ipsorum Clericorum. Quo in casu si Clerus absque legitima causa nollet consentire, posse Laicos implorare auxilium Superioris Ecclesiastici, ut Clericos compellat; posse autem eos compelli à Superiore Ecclesiastico, quando Collecta, gabella, vel tributum directè, & immediatè concernunt utilitatem quoque ipsorum Clericorum ut & ipsi contribuant, docent Molin. *tr. 3. D. 672.* Th. Sanch. *l. 2. Consil. c. 4. dub. 55.* Laym. *l. c.* Abb. citt. Sylvest. aliique: Non tamen poterunt Clerici à Laicis ad solvendum compelli, prout incautè, & malè concedit Coriolanus, qui ait posse Clericos coram Judice sæculari conveniri in censibus, & tributis, eò quòd videantur potiùs res eorum, quàm personæ conveniri, id, quod admittunt non nulli Jurisconsulti, dumodò Judex Laicus procedat contra bona, & non contra personam Clerici. Sed, ut dixi, malè, & falsò, cùm nec ratione consuetudinis, nec alio ex capite id sustineri possit. Non ratione consuetudinis, ut tanet communissima DD. sententia apud Illsf. utpote quæ corruptela est, & reprobata per Canones, ipseque summus Pontifex singulis annis in Bulla Cœnæ Domini expressè abrogat omnem consuetudinem, quæ derogat immunitati Ecclesiasticæ, adeo, ut contra hanc nullo tempore præscribi possit ut notat Molina *l. c.* & patet ex *Auth. cassa c. de sacrosan. Eccl. c. non minùs de Immun. Eccles.*

Nec

Nec alio ex capite; nam hoc ipso, quòd persona Clerici exempta sit à Laicali Jurisdictione, exempta sunt etiam ejus bona, cùm hæc semper adhæreant personæ Clerici, ut observat Suarez cum aliis *l. 4. c. 2. 4.* & indicatur etiam leg. quæ Religiosis *42. ff. D. V. quæ Religiosis adhærent, Religiosa censentur*, & ideo tunc dicitur persona perfectè, & integrè exempta, quando etiam bona illius sunt exempta. Huc facit etiam illud Apostoli ad Rom. 13. *subditi estote, ideo enim tributa præstatis*; scilicet in signum Jurisdictionis: ergo qui à Jurisdictione sæculari sunt exempti, etiam horum bona à tributis erunt exempta, ab iis scilicet, quæ à Principibus Sæcularibus ex vi solius Jurisdictionis imponuntur, non jure proprietatis; unde bona Clericorum subjecta manent oneribus & tributis realibus, quæ ex vi cujusdam pacti, vel conventionis imposita sunt bonis antequam ad Clericos devolverentur, cùm res transeat cum onere suo reali. Nec obest suprà dictis, quòd bona Clericorum sint temporalia, & civilia, atque adeò respiciant Clericum, non ut Clericum, sed ut Dominum temporalem, vel civem; quia ille non tantùm exemptus est ut Clericus, sed etiam ut Civis, seu simpliciter ejus persona exempta est, & consequenter etiam ea quæ illi adhærent, ut notat citt. Suarez.; quæ enim Religiosis adhærent, sunt Religiosa *l. Religiosis citt.* & quæ Ecclesiasticis Ecclesiastica; res quippe, & bona sunt accessoria personæ possidentis, *arg. leg. in pecudum ff. de usur.* atque ideo forum sequuntur personæ possidentis, *arg. l. 2. Cod. de Episc. & Cler.* unde Clericus non tantùm personali, sed neque reali actione conveniri potest coram Laico Judice, ut tenet communissima DD. & colligitur ex variis Juris textibus. Neque obest, quòd talia bona Clerici à sæcularibus acceperint, & antea hujusmodi oneribus subjecta fuerint; nam cum persona possessoris, quæ excepta est, mutata etiam fuit qualitas, seu conditio rei personæ adhærentis. Id, quod sumitur ex c. *quamquam de censib. in 6.* aliisque suprà citatis. Neque obstant hîc aliquæ leges civiles, uti lex *de his de Episc. & Cleric. lex ad instructiones 7. lex placet 5. Cod. de SS. Eccles. &c.* Statuentes, ut tributa solvantur etiam à Clericis ex bonis temporalibus, quando generaliter omnibus bonis sunt imposita; nam hæ leges, citt. & aliæ revocatæ, & abrogatæ fuerunt per Constitutionem Friderici Imperatoris in citt. Auth. *item nulla &c.* imò & ante hanc invalidæ, & nullæ fuerunt, utpote, in materia Ecclesiastica & in præjudicium Ecclesiæ disponentes, ut notat Suarez *de immun. c. 21. n. 16.* Porrò an in casu necessitatis publicæ, quando necessitas directè, & immediatè æquè respicit bona Ecclesiasticorum, ac Laicorum, consulendus priùs sit summus Pontifex, affirma-

tivè respondet Mendo *Verb. Eccles. Immunit. n. 10.* qui ait Ecclesiasticos non teneri contribuere ad constructionem murorum, pontium, apertionem fontium, & similia; quia eâ utilitate solùm gaudent secundariò, & ex consequenti, prout sunt domestici in illa Republ. sed solùm contribuere debere ad ea, quæ primò, ac per se sunt bona communia æquè Ecclesiasticis, & sæcularibus, debitis conditionibus præeuntibus! numero tamen septimo monet, non æquè Ecclesiasticos ac sæculares teneri ad expensas tempore belli; putat enim inprimis ad sæculares præcipuè, & immediatè pertinere dare ejusmodi collectas, & remotè, ac minùs principaliter ad Ecclesiasticos, quatenus sunt membra Reipubl. & antequam Ecclesiastici subveniant de bonis suis, vult consulendum esse Pontificem, cui suffragatur Lug. *l. 5. Respons. moral. dub. 3.* ob facultates petitas, & concessas in hujusmodi casibus à Clement. VIII. & Urban. VIII. qui non absolutè, sed cum limitatione concesserunt quibusdam Civitatibus, ut collectæ etiam ab Ecclesiasticis solvantur, non absolutè, ut dixi, sed cum hac limitatione, ut priùs fiat discussio bonorum Laicorum, constetque illa non sufficere, ut commodè soli Laici solvere possint. Ut adeò videatur mens eorum fuisse, ut in hisce etiam casibus Ecclesiastici solvere non teneantur, nisi in defectum facultatum Laicorum.

18 Verùm ut summus Pontifex priùs consulatur in casu specialis necessitatis, quando necessitas directè, & immediatè æquè respicit bona Ecclesiasticorum, aut periclitatur commune bonum, negat Diana *l. c.* ubi dicit, sed notandum est, quòd in hujusmodi casibus non habeat locum *cap. adversus* de consultatione Rom. Pontificis. Id ipsum docent Sylvest. V. *Immunitas n. 20.* Laym. *l. c.* Molin. *l. c.* Ludovic. à Gandavo, Panormitan. & alii. Moventur, tum quia necessitas non habet legem, ex qua etiam fit, ut tempore necessitatis nullus Ecclesiasticus excusetur à murorum vigiliis, quia in necessitate cessat privilegium ait Gloss. *in c. pervenit de Immunit. Eccles.* & Panormit. *n. 6.* concludit, in magna necessitate, si aliter Civitas defendi non possit, etiam Clericos obligari ad vigilias, idque naturali Jure. Tum quia Concil. Later. in dicto cap. *non minùs* loquitur solùm de necessitate, aut utilitate publica, id est, per se, & principaliter pertinente ad ipsam Communitatem, seu Rempubl. cujus Clerici membra quidem sunt, sed privilegiata, atque exempta; in posito autem casu, sermo est de iis circumstantiis, ubi specialiter vertitur periculum etiam ipsarum Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum.

19 Ante. 2. Q. solutionem, notandum est, gabellam apud Toletum *l. 5. Instruct. sacerd. cap. 72.* dici tributum

butum publicum à Principe in communem utilitatem exactum; tributum verò vocat id, quod aliquis dat, seu contribuit, sive pecunia sit, sive pecuniâ æstimabile.

Gabella autem dicitur, & sumitur à DD. variis modis, & nominibus, quorum usitatiores sunt sequentes modi. Primo modo dicitur vectigal, à vehendo, quod de mercibus in civitatem invectis, vel evectis solvitur. Dicitur etiam portorium, eò quòd solvatur in porta Civitatis, item Dogana, & pedagium. Alter modus est, quo solvitur pro ducatu, & habilitate viarum, ut viator commodum, & securum habeat iter à latronibus, & tunc quidagium dicitur quod aliquando è mercibus, aliquando è sola persona solvitur. Tertius modus est, quo solvitur ex his, quæ in Civitate emuntur, & venduntur, & dici etiam solet gabella, vocabulo restricto, commune applicando particulari. 4. Modò dicitur Tallia, id est, Summa aliqua, quam Princeps aliquando pro occurrentibus necessitatibus exigere solet ab inferioribus. Cæterùm in ordine ad obligationem solvendi, horum diversitas non est nisi materialis.

20 Notandum 2. ad hoc, ut gabella, tributum, vectigal &c. justum sit, & pro justo habeatur, quatuor ab AA communiter requiri. Primò requiritur legitima potestas in eo, qui imponit gabellam, vectigal &c. qualis potestas respectu subditorum cuilibet conceditur, qui regit multitudinem suis legibus, neque civile Jus, seu potestatem regendi ab alio superiore accipit. 2. Requiritur causa finalis, seu justitia ex parte finis, quem DD. Bartolum secuti, in ll. C. de vectigal. docent publicam esse utilitatem, atque necessitatem; gabella quippe, tributum &c. non contribuitur, nisi in bonum, & utilitatem publicam: unde & quæ Principi dantur ad ejus sustentationem, cedunt in bonum publicum, quatenus ipsa Regis, aut Principis conservatio est quædam publica utilitas. Notat autem hîc Tolet. *l. c.* cum aliis, illud in omni gabella necessarium esse, ut cessante fine propter quem imponitur, & ipsa cesset, nisi alius æqualis finis successerit: ex quo fit, inquit, ut multæ gabellæ multum ex injustitia ad mixtum habeant, aitque non excusari ab injustitia Principes, qui gabellas exigunt in proprios luxus & prodigalitates. 3. Requiritur justitia ex parte materiæ, ut scilicet materia legitima, supra quam vectigal imponitur, per se sint duntaxat res ad negotiationem, & mercaturam pertinentes, non item quas quis sive ex macello, sive aliunde ad suæ vitæ necessarium usum defert, prout non obscurè definiunt leges Codicis *l. universi Provinciales C. de vectig. & comm. l. omnium eod. tit.* & tenent Tolet. *l. c.* Navar. Sal. Cajet. Rosell. Sylvest. Gabr. Medina Less. Ostien

ſtienſ. Angel. alii complures cùm & apud Comitol. *l. 6. q. 36.* improbantes, & reiicientes contrariam conſuetudinem, præſertim reſpectu pauperum. 4. Requiritur juſtitia ex parte formæ, ut ſcilicet gabella ſit moderata & ſervetur proportio inter ſubditos ratione tributi ſolvendi, ne plus pauperes onerentur, quàm divites, cùm juſtitia potiùs poſtulet, ut qui plus habet, plus ab eo exigatur. Unde cùm perdifficile ſit, exiſtere aliquod vectigal quatuor omnibus juſtis cauſis communitum, idcirco canon *quamquam de cenſib. lib. 6.* ejusmodi vectigalia, præſertim nova, condemnat tanquam injuſta. His notatis.

21 Ad 2. Q. defraudantes gabellas, & vectigalia non peccare graviter, ac proin non teneri ad reſtitutionem, cenſent complures cum Mart. Navarr. *in man. c. 23. à n. 55. Medin. 1. 2. q. 90. a. 4.* Henric. *tom. 1. l. 7. c. 36. §. 4.* Tabiena *v. pedagia n. 8. & 9.* Reginald. *in praxi tom. 1. l. 15. c. 6. ſ. 6.* Lud. Beja *1. parte Reſp. caſ. 13.* Soto *l. 3. de J. & J. q. 6. a. 7.* Diana *p. 1. tr. 10. R. 19.* Eman. Sà v. *gabella n. 6.* Angel. v. *pedagium.* Lazar. aliisque Rationem dant. 1. Quia lex purè pœnalis ſæcularis non obligat in conſcientia ad pœnam æternam, juxta complurium graviſſimorum Doctorum opinionem; defraudantes autem gebellas, & vectigalia transgrediuntur dumtaxat legem pœnalem? ergo 2. Quia conſuetudo moderatur legem, & interpretatur animum Legislatoris: ipſi autem Principes ſciunt homines conſueviſſe gabellas defraudare, nec Confeſſarios ſibi ſcrupulum facere de reſtitutione imponenda, dúmque ſolam pœnam temporariam exprimunt & culpam ſubticent, hanc excludere videntur, nolléque ſubditos arctare ad pœnam æternam; præſertim cùm in ferendis legibus ordinariè non utantur verbo præcipiendi, ſed verbo ſtatuendi ſub conditione pœnali, & in dubio benignior interpretatio de voluntate Principis ſit præſumenda, 3. Quia ſicut trangreſſores exponunt ſe periculo perdendi omnes merces pro lucranda illa portione gabellæ debita, ita gabellarii exponunt ſe fortunæ lucrandi omnes easdem merces pro perdenda illa parte gabellæ: ſicut ergo invenientes eos, qui non ſolvunt, retinent in foro conſcientiæ illas merces ut lege damnatas, ita non ſolventes retinent illam portionem debitam aliàs gabellæ, à lege ſeu tacito Principis conſenſu permiſſam. 4. Quia cum finis talium legum ſit tantùm temporalis, Reipubl. felicitas, & tranquilitas non poſtulat peccati reatum coram Deo, ſed meris pœnis ſufficienter obtinetur. Contra verò ejusmodi leges gabellarum, tributorum, vectigalium &c. obligare in conſcientia, & obligationem reſtitutionis inducere, ſi conſtet, eſſe juſtè im-

imposita, docent, ac tuentur Covar. *in regul. peccatum 2. part.* §. 5. Sylvest. *v. gabella* 3. *n.* 21. Tolet. *l.* 5. *c.* 73. Molina *D.* 674. Less. *l.* 2. *c.* 33. *dub.* 8. Bannes 2. 2. *q.* 62. *a.* 3. Clavis Reg. *l.* 9. *c.* 16. Vasq. *in opusc. c.* 6. § 3. *dub.* 2. Suarez. *l.* 5. *de varietat. Legum human. c.* 18. Castro *l.* 1. *de leg. pœnal. c.* 19. Bonac. *D.* 2. *q.* 9. *p.* 1. *n.* 3. Wiestn. *n.* 82. Schmalzgr. *n.* 98. & teste Covar. citt. *in cap. innovamus de censib.* communis Canonistarum. Ratio est 1. Quia quod juste exigitur, non potest absque injustitia fraudari: sed gabellæ, & vectigalia juste exiguntur, uti ponitur; ergo non possunt absque injustitia fraudari; tenemur enim reddere Cæsari, quæ sunt Cæsatis & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. & ad Rom. 13. cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.

2. Quia subditi, seu membra Communitatis ob curam, & operam, quam Princeps impendit in regenda, & defendenda Communitate, tenentur ex justitia eidem suppeditare justum stipendium, & subsidium necessarium ad conservationem publicæ tranquillitatis; dignus est enim operarius mercede sua: atqui tributa, & vectigalia justa non aliud sunt, nec aliud hic intelligitur, quàm necessaria stipendia illius, qui communitati operam præstat, ac moderatur, atque communium necessitatum subsidia: ergo debentur ex justitia, sicuti pari modo decimæ ex justitia debentur Prælatis, & Ecclesiasticis ob curam & administrationem rerum spiritualium. Dixi vectigalia justa; nam si constet esse injustè imposita, quia scilicet constat aliquam ex conditionibus requisitis, ut tributum sit justum, deficere, tunc nulla datur obligatio ad illorum præstationem, ut rectè docent citt. Doctores, quia lex injusta non obligat, imò omninò nulla est, si causa, & potestas in imponente deficiat. Quod si ejusmodi exactio injusta sit solùm quoad quantitatem, vel proportionem distributivam, erit pariter indebita solùm quoad excessum.

Ex his duabus sententiis præplacet, ac præferenda est posterior affirmativa, utpote & ab authoritate, & à ratione probabilior: un- Sylvest. *l. c.* ait, omnes Doctores, & Summistas communiter tenere, peccare eos & obnoxios esse restitutioni, qui justa fraudant vectigalia. Unde

Ad argumenta pro priore sen- 22
tentia negativa allata respondi potest. Ad 1. n. min. quòd leges tributorum, vectigalium, & gabellarum justæ, sint leges duntaxat merè pœnales, cùm non tantùm, statuant, & præcipiant, quid sit agendum, sed insuper respiciant, ac determinent justum stipendium pro sustentatione Principis, vel subsidium communis necessitatis, & tranquillitatis, ut notat. Less. *l. c. n.* 59.

n. 59. atque adeò ſicut aliæ leges taxantes certum pretium obligant in conſcientia, ita & leges tributorum juſtæ, & legitimè promulgatæ. Ad 2. R. ejusmodi conſuetudinem, ſiqua eſt, fore illegitimam, utpote non introductam conſcio, aut tacitè conſentiente Legislatore, ſed eo reſiſtente, & ſeverè tranſgreſſores omnes puniente; quæ proin legibus juſtis aliquid abſolutè præcipientibus, quales ſunt leges tributorum &c. præjudicare non poteſt, inquantum obligant in conſcientia. Nec obeſt praxis Confeſſariorum; nam ſi hi reſtitutionem non urgent, ideo fit; quia ſciunt oppoſitam ſententiam eſſe etiam probabilem, & pœnitenti licere ſequi ſententiam probabilem ſibi, & rebus ſuis favorabiliorem. Id, quod advertit Driedo *l. 2. de libert. Chriſt. c. 5.* apud Molinam *l. c.* ubi ita ait: *Cæterùm quia his noſtris ſæculis impoſitiones, ſeu exactiones vectigalium, ſeu pedagiorum propter aliquem ex ſupradictis quatuor cauſis contingit, plerumque eſſe illicitas, ideo non facilè injungendus eſt ſcrupulus ejusmodi vectigalia defraudantibus, præſertim pauperibus, &c.*

Ad 3. & 4. R. per id non ſatis conſultum eſſe Legislatori, & fini legum juſtarum, qui eſt juſtum Principis ſtipendium, vel ſubſidium publicæ neceſſitatis; nam cùm hujusmodi legum tranſgreſſores rariſſimè deprehendantur, per eas pœnas nullatenus compenſaretur defectus tributorum aliàs ſolvendorum.

Ad 3. Q. an quando dubitatur de juſtitia vectigalis, tributi &c. an ſcilicet hæc ſint juſtè, vel injuſtè impoſita, ſit obligatio ea ſolvendi? diſtinguunt DD. inter tributa antiqua, & nova, & ſiquidem ſint antiqua, de quorum initio non extat memoria, affirmant communiter, ea à ſubditis in conſcientia deberi, quoniam præſumendum eſt, ex juſta cauſa fuiſſe impoſita, cæteraque neceſſaria, ut fuerint juſta, interveniſſe; & quoniam in dubio melior eſt conditio poſſidentis, Princeps autem eſt in poſſeſſione accipiendi ea tributa, idcirco ea tanquam ſibi verè debita meritò exigit, & accipit. Si verò ſint tributa, & vectigalia nova, & non conſtet de illorum iuſtitia, an deſit aliquid ex requiſitis, ut ſint juſta, controvertunt DD. inter ſe diviſi. Dari obligationem ſolvendi in dubio negativo (in dubio enim poſitivo poteſt quis ſe accommodare ſententiæ probabili, ſibi & ſuis rebus favorabili) docent Navar. *l. 3. c. 1. n. 23.* Leſſ. Vaſq. Suarez, Fill. eman. Sà aliique ſatis probabiliter; quia in dubio negativo præſumendum eſt, vectigal eſſe juſtè impoſitum, cùm in hujusmodi dubio præſumendum ſit in favorem Superioris, ſeu Principis poſſidentis facultatem præcipiendi. Idem ſentiunt multi cum Suarez *de leg. l. 4. c. 18. de tribut.* etiam de dubio poſitivo, ſaltem quan- 23

quando superior est jam in possessione exigendi vectigalia, quâ in dubio spoliandus non est.

24 Contrà verò quando de justitia dubitatur, an scilicet desit aliquid ex requisitis, non esse in conscientia obligationem solvendi vectigalia, sed posse ea defraudari, absque perjurio tamen & mendacio, tenent Cajetan. *v. vectigal*, Angelus *v. pedagium, n. 6.* Sylvest. *v. gabella 3. n. 9.* Medina *de rest. q. 13.* Molina *D. 674.* Armilla *v gabella n. 17.* Comitol. *l. c. q. 35.* Gabriel *in 4. d. 15. q. 5. conclus. 7.* Salon Arragon. aliique. Rationem dant, tum quia in dubio melior est populi conditio possidentis sua bona, suasque pecunias; tum quia in jure ejusmodi nova tributa præsumuntur ut injusta, quando de contrario non constat, unde c. *quamquam de censib. l. 6.* dicitur, tributa regulariter esse contra jura tum canonica, tum civilia. Et c. *pervenit de censib.* ait summus Pontifex necesse esse priùs scire causam, propter quam census sit solvendus antequàm solvatur. Quod si subditis causa tributi alicujus reddatur, necesse est, ait Molin. citt. ut consulant peritos, debitamque adhibeant diligentiam ad justitiam, vel injustitiam illius indagandam, ne fortè Principem debito privent tributo; interim tamen dum de justitia causæ illius non constat, non teneri eos in conscientia solvere tale tributum; Principem verò, qui dubitans an causa sit justa, tributum imponit, lethaliter peccare, quoniam periculo se exponit, injustitiam exercendi in subditos.

Nec obstat hîc, inquit, Angel. *l. c.* id, quod quidam dicunt, scilicet, quando anceps est vectigalium justitia, favendum esse Principi, & vectigalia pro justis habenda ac solvenda; nam multò magis, ait, favendum est Canoni, *quamquam de censib. lib. 6.* qui ferè vectigalia, præsertim nova condemnat tanquam injusta. Si itaque studendum est Principi, studeamus, inquit, totius Christiani populi Principi, ac Pastori, summo Pontifici, qui in illo Canone loquitur. Unde Cajetanus *l. c. tot, conditiones,* inquit, *exiguntur ad justa vectigalia, ut difficile fortè sit invenire vectigalia justa; & propterea meritò damnata regulariter dicuntur utroque jure.*

Hæc multorum probabilis sententia locum præcipuè habere poterit tunc, quando de vectigalis justitia non constat, sed de ea doctorum, proborumque hominum judicio meritò dubitatur. Cæterùm in praxi Confessarii sequi poterunt Consilium, quod eis dant Sylvest. *l. c.* & Molina *l. c. n. 9. conclus. 5.* ut scilicet in dubio ante factum inclinent pœnitentem

ad ſolutionem, præſertim quando ſolutio ex illo exigitur; poſt factum verò non cogant reſtituere, ne præcipiendo in eo eventu reſtitutionem exponant ſe periculo auferendi, quod ſuum eſt, ab eo, cui ita reſtituere præcipiunt.

Porrò notat hîc cit. Toletus ex communi aliorum, neminem teneri reddere pœnam impoſitam non ſolventibus gabellas, quamvis non ſolverit, niſi prius condemnetur per Judicis ſententiam, v. g. ſi pœna ſit, ut qui non ſolvit gabellam perdat totas merces, ſi quis ſolvere noluit, quamvis peccaverit, non tamen tenetur talem pœnam reddere, donec per Judicem condemnetur ad ſolvendum.



CA-

CASUS IV.

De venante, & in alienis limitibus feras capiente.

VUlpinus venator nuper in venatione cervum graviter vulneravit, sed dum illum persequitur, cervus ab alio venatore ultimo ictu prosternitur, & capitur, quem tamen ad se pertinere Vulpinus contendit. Hic ipse Vulpinus non nunquam limites suæ venationis egressus in aliena Sylva feras capit, & aves alieno instrumento captas & irretitas è laqueo eximit, & extrahit, extractasque Domum asportat divendendas.

QUÆR. I. Ad quem ex duobus hisce venatoribus pertineat dictus cervus?

QUÆR. II. Ad quem spectent aves, laqueo à te posito irretitæ, & captæ, sed ab alio præveniente è laqueo extractæ?

QUÆR. III. An Vulpinus in alienis limitibus feras capiens graviter peccet, & ad restitutionem teneatur?

25 AD 1. Q. feram non vulnerantis, sed capientis esse, affirmant multi cum Jureconsulto *in l. naturalem, §. quæsitum est, ff. de acquirend. rer. domin. & § illud quæsitum, Instit. de rerum division.* Ubi subditur ratio, quia multa accidere possunt, ut eam, qui vulneravit, non capiat; atque adeò vulnerans nondum censetur dominus feræ. Sed meliùs alii cum Molina *tr. 2. D. 42.* Less. *l. 2. c. 5. dub. 10.* Sà *v. venatio.* Rebell. *l. 1. q. 14. sect. 4.* Diana *D. 1. q. 3. p. 7. n. 10.* Palao *D. unic. p. 12.* Lug. *D. 6. sect. 8.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 5. n. 12.* Haun. *n. 65.* Dicastill. & aliis distinguunt, aiuntque, si vulnerans lethaliter feram vulneravit, & ita insequatur, ut moraliter ejus manus non posset effugere, sed eam capturus foret, feram esse vulnerantis, eique tradendam, quamvis alius superveniens eam ultimo ictu prosternat.

Ratio est, quia esto ante captionem per solum vulnus illatum dominium feræ non acquisiverit vulnerans, per eam tamen vulnerationem jus acquisivit ad eam capiendam, & possidendam, atque adeò etiam ad ejus dominium comparandum, quatenus causam sufficientem dedit, sine qua tunc non caperetur. Accedit, quòd fera per vulnus lethale in eo eventu censeatur amisisse naturalem libertatem; feræ autem fiunt illius, per quem naturalem libertatem amittunt. Si verò vulnus non erat sufficiens, ut fera caperetur, sed adhuc fugere poterat, ita ut moraliter loquendo non esset in potestatem vulnerantis deventura, aut si eam vulnerans non insequebatur, tunc feram esse primò capientis & occupantis, quia tunc non censetur naturalem libertatem amisisse; fera autem, quæ naturalem libertatem non amisit, fit primò occupantis, uti etiam tunc, quando dubium est, an vulnus fuerit lethale, & vulnerans esset eam capturus, quia in dubio melior est conditio possidentis; putant tamen Molina, Palao, Diana & alii, partem aliquam adjudicandam esse vulneranti, si per vulnus inflictum causa fuit, ut fera ab eo caperetur, aliàs non capienda.

Unde ad leg. citt. respondent Molina, Palao, & alii, eas intelligendas esse de casu, quo vulnus inflictum sufficiens non erat, ut fera caperetur, vel cùm id dubium est, eo quòd in dubio melior sit conditio possidentis. Id, quod innuit ratio à citt. legibus subjuncta, ubi dicunt, feram esse capientis, quoniam multa accidere solent, ut percutiens eam non capiat: Unde à contrario infertur, feram fore vulnerantis, si moraliter constaret, nihil obfuturum, quin hic illam caperet.

Ad 2. Q. ad quem pertineant feræ, & aves laqueo, aliove instrumento à te captæ, sed ab alio superveniente è laqueo extractæ, & exemptæ? Respondent Sylvest. *V. inventum, q. 2.* Navar. *c. 17. n. 176.* Covarr. *regul peccatum 2, §. 8. n. 13. & alii,* feram, vel avem esse eximentis, seu e laqueo illam extrahentis, idque ob legem *in laqueum, ff. de acquirend. verum domin,* ubi apertè innuitur, feram esse extrahentis. Verùm rectiùs, meliúsque rursus distinguunt citt. suprâ DD. Molina, Palao, Diana, Laym. Platel. *p. 3. n. 555.* Illl. *n. 241.* & siquidem fera, vel avis ita sit alieno laqueo irretita, ut non posset evadere, sed moraliter certum sit, eam perventuram ad manus ejus, qui laqueum tetendit, nisi alter prævenisset, censent in foro conscientiæ eam totam illius esse, qui venatorium instrumentum exposuit, illique esse reddendam. Ratio est, quia talis per suum instrumentum illi sufficienter ademit naturalem libertatem: ergo, esto quòd illius dominium ante naturalem 26

appre-

apprehensionem manibus factam consecutus non fuerit, acquisivit tamen jus eam è suo laqueo extrahendi, habetque jus, ne in ejus dominii acquisitione impediatur: Unde homines injuriam sibi fieri conqueruntur, si feræ suo instrumento captæ ab aliis extrahantur. Quibus suffragatur Haun. *n. 69.* Si laqueus sit positus in loco publico, vel in loco alieno cum consensu Domini; si verò positus erat in alieno loco invito domino, ait, hunc posse non solùm feram, sed etiam laqueum licitè eripere, atque ita habere praxim.

Si verò fera, vel avis poterat ex tuo laqueo se se extricare, adeóque putaretur ad tuas manus non peruentura, sed antequam illam capere, & occupare posses, crederetur libertatem consecutura, ad extrahentem pertinet, quia tunc per laquei comprehensionem nondum censetur naturalem libertatem amisisse. Quòd si dubium sit, an fera fuisset se se extricatura, & evasura, putant Molin. Less. Laym. esse dividendam pro rata dubii, alii verò ajunt totam esse capientis, quia in dubio fera non præsumitur amisisse naturalem libertatem; Satisfactionem tamen deberi censet Tambur *l. 1. c. 3. V. venatio,* pro labore positi laquei, quia capiens de illo labore certus est, & hic viam fecit ad feram capiendam.

Ad leg. *in laqueum cit.* respondet Palao, eam intelligendam esse de casu, quo fera putatur ad tuas manus non perventura, sed antequam illam capere posses, crederetur libertatem consecutura. Lugo verò *D. 6. Sect. 8.* ait consultum Proculum ibi varias quæstiones proposuisse, sed eas non resolvisse in particulari, sed doctrinam generalem subjecisse, ex qua resolvi possent, scilicet quoties fera in tuam potestatem venit, tuam esse; ex qua doctrina alii potiùs contrarium colligunt, eo quòd fera irretita jam venerit in potestatem ejus, qui laqueum tetendit, ac præparavit. Molina autem censet, Proculum in errorem inductum fuisse, eo quòd non attenderit, quòd, quamvis ex feræ illaqueatione dominus instrumenti non acquirat dominium feræ, comparet tamen jus, ut ipse solus eam efficiat suam, nec item adverterit, injustitiam, onusque restituendi non solùm oriri ex eo, quòd alter habeat dominium rei, quæ eo invito aufertur, sed etiam ex eo, quòd comparatum jus habeat ad eam suam efficiendam.

Ad 3. Q. Sciendum est, animalium naturali libertate gaudentium venationem, & piscationem, jure naturæ & gentium per se omnibus concessam, & licitam esse, etiam in fundo alieno, modo dominus fundi non prohibeat, nec ullum fundo nocumentum afferatur. Ita *l. 2. Instit. de rerum division. § feræ*; & ratio est, quia cùm ejusmo- 27

di animalia retineant naturalem libertatem, nec sint pars, nec fructus fundi, in nullius sunt dominio, atque adeò quivis per se jus habet præveniendi alios per honestam, & licitam occupationem.

Dixi jure naturæ, & gentium, ac per se; nam per accidens potest utique esse illicita & vetita, v. g. ratione scandali, aut periculi, ratione damni emergentis, ratione personæ, cui per legem Ecclesiasticam venatio prohibetur, prout de facto venatio clamosa, seu quæ fit cum magno clamore, & strepitu, interdicta est Clericis, & Religiosis in *cap. 1. & 2. de Cleric. venant.* & Trident. *Sess. 24. c. 12.* Item ratione juris à privato acquisiti, illique soli competentis, vel ratione legis positivæ à Principe latæ, qui sibi in certis locis jus venandi reservata, iisque venationem prohibet. Posse autem Principem sæcularem non tantùm in proprio, & communi fundo, sed etiam in proprio subditorum fundo licitè prohibere venationem, docet communis sententia cum Molina *tr. 2. D. 46.* Less. *l. 2. de just. c. 5.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 5. n. 16.* Lug. Palao, Covarr. Medin. aliisque contra præclaros Juristas apud Haunold. *hic tr. 5. n. 73.* Ratio est tum praxis multis in Regnis recepta, & approbata; tum quia potest Princeps multos habere titulos justos id prohibendi, cujusmodi sunt.

Primò, tranquilitas, & utilitas publica, ne v. g. subditi alia necessaria negligant, ne occasione venationis ad latrocinia, vel seditiones armentur, ne perimendo feras gravidas, & piscium, aviumque generationem intervertendo gravia communitati inferant damna.

Secundò consensus populi gratuitus, & tacitus, aut pactum, & conventio, ut Princeps vicissim aliquid remittat de tributis justè aliàs exigendis.

Tertiò, jus belli, seu per justum bellum acquisitum, aut si cum tali onere obtenta bona subditis tradidit.

Quartò, si jus venandi per legitimam præscriptionem obtinuit, aut à tempore immemoriali, quo jure juxta Laym. *l. c.* gaudet Cæsar, & alii Magnates.

Quintò, recreatio statui suo conveniens, & debita ad publica onera sustinenda; solam tamen recreationem, licèt possit ea esse titulus jus sibi reservandi in aliquibus locis, non tamen sufficere censet Less. cum aliis l. c. *dubit. 7.* ut Princeps id prohibeat in omnibus locis publicis, eo quòd inhumanum sit sui solumodò commodi, & oblectationis gratiâ universum populum privare omni recreatione, & utilitate venationis jure naturæ aliàs, & gentium sibi concessæ.

Porrò

Porrò licet Princeps ex justo titulo jus venandi sibi reservare possit, vel aliis jus acquisitum concedere in certo aliquo loco venandi, cavere tamen debet, ut notant citt. DD. ne feræ agris subditorum gravia inferant damna, & siquæ intulerint, compensetur, nisi fortè jure belli in terra hostili jus venandi sic obtinuerit, vel sub tali onere prædia subditis tradiderit, quia licet Princeps altum habeat dominium, necessitas tamen Reipublicæ non exigit damna subditorum, nec subditi, ut sic eorum jura lædantur, præcisa alia conventione, consentire censentur. His præmissis,

28 Ad 3. Q. venatorem suæ venationis limites egredientem, & in alieno loco, nullo speciali sepimento clauso, feras suam libertatem retinentes capientem peccare graviter, censet Bonacina *D. 1. de restit. q. 3. p. 7. n. 22.* cum aliis à se citatis, quia talis peccat contra justitiam, & lædit jus alterius cum damno. Laym. *n. 14.* ait peccari posse graviter, quia violatio talis juris soli alteri competentis solet magni æstimari, maximè si id fiat frequenter. Alii cum Diastillo *l. 2. de just. D. 9. n. 308.* Less. *n. 44.* Diana *D. 1. q. 3. p. 7.* Turrian. Burgh. *cent. 1. cas. 52.* arbitrantur regulariter non nisi veniale peccatum esse, saltem si non magna ferarum strages edatur. Verùm melius videtur relinquendum id esse judicio prudentum, & juxta præsentes circumstantias pro quantitate damni illi subsecuti, qui jus venandi habet, atque ex intentione iniqui venatoris dandi damnum, quod dare non potuit, judicandum esse, an culpa ad lethalem perveniat, an verò solùm venialis sit.

Porrò licèt talis venator in alienis limitibus venando peccet contra justitiam alienum jus violando, comparat tamen dominium ferarum captarum, quas proin in conscientia ante sententiam Judicis restituere non tenetur, & ratio est, quia feræ illæ non erant sub ullius alterius dominio, sed adhuc retinentes suam naturalem libertatem jure gentium erant communes; quæ autem sub nullius dominio existunt, fiunt primò occupantis, & quod alienum non est, sed communejure gentium fit capientis, & consequenter neque est restitutioni obnoxium. Nihilominus, etsi iniquus venator ipsas feras captas in conscientiæ foro restituere non obligetur, tenetur tamen juxta communem, ac probabiliorem DD. sententiam ad compensationem damni, lucrive cessantis, quod subsecutum est illi, qui solus jus venandi habet, quantum scilicet arbitrio prudentis sua intererat eas feras non esse captas, eo, quòd plura aliàs animalia per ipsum, & per suos fuissent capienda, nisi ea injustè capta fuissent. Ratio

est

est, quia qui in alieno loco venatur, peccat contra justitiam, & lædit jus illius, cui reservata est venatio: sed qui peccat contra justitiam tenetur ad compensationem damni, quod alter, cujus jus violatur, passus est, non quidem habita ratione valoris animalium ut dictum est, sed habita ratione damni, vel lucri cessantis, seu quantum moraliter æstimatur spes, seu jus eorum capiendorum, quô alterum privavit, nisi, ut notant Covarr. Molina, Medina, Diana, Sà & alii, is, qui solus jus venandi habet, contentus esse soleat solutione pœnæ, quod ex statuto, vel consuetudine ipsa judicandum est; nam si Dominus ultra pœnam exigere non soleat solutionem damni, censendum est, eum solâ pœnâ contentum esse, vel non curare solutionem damni ex quadam magnificentia, & generositate, prout de Principibus, & Magnatibus regulariter præsumendum esse ajunt citt. DD.

Dixi suprà juxta communem, ac probabiliorem; nam P. Vasq. *c. 5. de rest. dub. 7. n. 28. & 29.* quem sequuntur Turrian. *D. 36. dub. 2.* Burgh. l. c. & alii, non improbabiliter docet, venatorem in Sylva aliena venantem ob capturam animalium, quorum dominium acquirit, ad nullam restitutionem teneri; quia capit rem communem, nec alterum impedit, quin utatur jure suo, quod solùm ipsi conceditur, ut ipse in tali loco licitè, & impunè venerari possit, & alios venatores ab illo arcere, cujus sententiam probabilem dicit etiam Lug. n. 68. Ad rationem tamen Vasp. responderi potest, talem venatorem non teneri ad restitutionem præcisè ex eo, quòd rem communem accipiat, sed quia jus violat, quod alter solus habet à communitate, vel Principe ad capiendas feras in tali loco sibi concessum.



CASUS

CASUS V.

De Eleemosyna per dolum obtenta, & contractu dolosè inito.

PAuperius Opifex, licèt ex propriis mediis, & laborando se commodè sustentare posset, laborare tamen valens, sed nolens, mendicare non erubescit, sed ostiatim Eleemosynam colligit, quam ut liberaliorem obtineat, filiam, quam secum circumducit, à Dæmone obsessam fingit.

QUÆR. I. An qui, simulata paupertate, Eleemosynas à populo accipit, alioquin eas illi non daturo, teneatur ad restitutionem? etsi tenetur, an restitutio facienda sit ipsi danti, an vero pauperibus?

QUÆR. II. An, & qualis dolus vel error, dans causam contractui, sed non versans circa rei substantiam, vitiet contractum?

QUÆR. III. An qui denegavit Eleemosynam pauperi extremè indigenti, cui tenebatur succurrere, teneatur, transacta necessitate, aliquid postea restituere?

29 AD I. Q. Notandum est, dolum ac deceptionem aliquando versari circa causam finalem & motivum principale, aliquando circa causam impulsivam. Tunc dolus dicitur versari circa causam finalem, quando disponens non disposuisset, si dolus adhibitus non fuisset; versari verò circa causam impulsivam dicitur, quando quis cessante eo dolo dedisset quidem, vel emisset, sed non ita libenter aut non ita facilè, vel tam citò. Quod si sit causa extrinseca seu impulsiva tantùm, movet quidem voluntatem in genere causæ finalis, adeò ut nisi eâ voluntas impelleretur, sæpè non vellet, vel contrarium fieri vellet, non tamen movet principaliter, sicut tamen movet causa finalis, principalis; nam causa Propriè finalis, ac principalis movet per se voluntatem, tanquam substantialis pars objecti ejus, ut notat Laym. ideoque ex se sufficiens est ad disponendam voluntatem, postquam excitata est ad volendum, ut velit suum actum firmum, & efficacem esse, si causa seu motivum illud principale subsistat, etsi alia adjuncta & secundaria non subsistant: Unde fit, ut

si eleemosyna data sit homini hæretico, simulanti se catholicum, subsistat donatio, utpote, quæ principaliter facta est intuitu paupertatis, & misericordiæ, licèt donator non dedisset, si simulatio ei priùs innotuisset.

Notandum 2. Dolum vel errorem subinde dare causam donationi, & contractui; subinde incidere duntaxat in donationem, & contractus. Donationi, & contractui causam dare tunc dicitur, quando donans non erat donaturus, vel emens non empturus, nisi deceptio, & dolus, vel error interveniisset, ita ut ab his donans ad donandum, vel contrahens ad contrahendum fuerit inductus, ut si quis equum emat, illum non empturus, si sciret illum esse inutilem ad cursum, & immorigerum, vel si eleemosynam des propter paupertatem, aut vitæ sanctitatem, quam alteri ineſſe arbitraris, aliàs non daturus; ubi ea paupertas, aut vitæ sanctitas causa est talis donationis, seu eleemosynæ. Incidere in contractum tunc dicitur deceptio, dolus, vel error, quando etiam cognito dolo, vel errore deceptus nihilominus contractum inituras fuisset, licèt non eodem modo, vel tanto pretio aut tam promptè, & libenter, nisi dolo fuisset inductus. Porrò dolus duplici modo intervenire potest in contractibus, uno, per alterum dolosè contrahentem: altero modo, per tertium aliquem v. g. proxenetam, ignaris contrahentibus. His notatis.

Ad Q. 1. primum membrum. 30
R. 1. Accepta per simulationem, & dolum versantem circa causam finalem, & principale motivum restituenda esse. Ita communis cum Navar. *cap. 17. n. 107.* Medin. *q. 22. de* rest. Molin. D. 209. Lug. *D. 22. S. 6.* Vasque *de rest. Cap. 7. dub. 10.* Less. *l. 2. c. 17. dub. 5.* Bonac. *D. 3. q. 1. p. 2.* Azor. aliisque. Ratio est, quia intentio finis, & motivi principalis determinat actum electionis, ipsaque electio omnem vim, & mensuram suam accipit à fine, qui proin finis, & motivum principale promittentis & donantis meritò resolvitur in conditionem, v. g. dono tibi, si pauper es, quia consanguineus es, id est, dono tibi, si pauper es, si consanguineus es &c. dispositio autem facta sub conditione non subsistit, nec obligat, nisi sub tali conditione, eáque subsistente, & impleta. Unde Videtur dicendum in rigore speculativo, Pauperium opificem non posse ita accepta retinere, eò quòd dolus, & error commissus hîc fuerit circa ipsam substantiam, seu circa causam finalem, & principale motivum, scilicet circa ipsum Pauperium ita se pauperem simulantem, cujus paupertatem donantes hac ratione solumodò sublevare volebant, & intendebant: ergò invo-

lun-

luntaria, & nulla fuit donatio, utpote facta ob causam finalem motivam existimatam, non tamen subsistentem. Conf. quia talis deceptio dedit causam donationi: ergò, ut donantibus illata injuria reparetur, facienda erit acceptorum restitutio, tanquam datorum ob causam, causâ non secutâ. Nihilominus.

31 R. 2. Loquendo saltem de eleemosyna ordinaria, quæ communiter pauperibus elargiri solet, posse Pauperium retinere sic accepta, & collecta, nec pro praxi obligandum esse ad illorum restitutionem. Ita Molina *D. 210.* Less. *l. 2. cap. 18. dub. 17.* Vasquez l. c. Navar. l. c. Bonac. l. c. aliique. Ratio est, quia dantes eleemosynam consuetam, etsi animo sint ita constituti, ut non darent, si fraudem cognoscerent, non tamen ita comparati esse creduntur, ut nolint donationem subsistere, & rei datæ restitutionem fieri; plurimi enim sunt, qui licèt non darent, si fictionem scirent, posito tamen, quòd dederint, attentáque parva quantitate, quam quisque dat, volunt validam esse donationem, præsertim si accipiens dives non sit, & res accepta jam sit consumpta, non curantes, nec volentes restitutionem fieri, ex eo vel maximè, quòd ex una parte ipsi dantes idem meritum apud Deum habuerint, ac si causa, ob quam eleemosynam dederunt, mentita, non fuisset; ex altera verò parte restitutio hæc sit admodum difficilis deceptori, & sæpe vix moraliter possibilis; Ut adeò præsumendum non sit, dantem velle, ut qui ità accipit, restituere teneatur, quasi condonetur tunc eleemosyna ex præsumpta voluntate ejus, qui dedit, validaque efficiatur ad effectum, ut accipiens restituere non teneatur.

Dixi suprà saltem loquendo de Eleemosyna ordinaria. Nam aliud sentiendum foret, si hæc extraordinaria esset, & quantitas fraudibus obtenta valde magna, ac notabilis, ita ut ex concurrentibus circumstantiis & suppositа petentium fictione, actualis, aut quasi habitualis donandi animus nullatenus erui, aut præsumi posset.

Ad secundam. Q. 1. membrum, 32
an, quando ob dolum, & deceptionem præstanda est acceptorum restitutio, facienda ea sit ipsi danti, quando constat quisnam is sit, an verò acceptum pauperibus, aliisque piis operibus sit applicandum, non convenit inter DD. Non esse faciendam danti, sed pauperibus, affirmant Navar. citt. Molina citt. *D. 210.* Medina Adrian. Cajetan. aliique. Rationem dant; quia cùm talis eleemosyna intuitu honoris Divini, & cælestis gloriæ mercedem facta sit, isque, qui illam dedit,

dit, meritum, & satisfactionem sit consecutus, tanquam pecunia, quæ jam Christi est, habenda est, cujus dominium cùm in accipientem non transiverit, ea in subsidium pauperum eroganda est, quibus à dantibus jam priùs fuit destinata. Contrà verò restitutionem præstandam esse ipsimet danti, contendunt sotus *de Just. q. 7. a. 3. ad 4.* Bonac. l. c. Less. Rebell. & alii. Ratio est quia ipse dans dominium à se non transtulit in Christum, aliumve, sed amore Christi rem tradidit tali personæ, sub conditione, quæ conditio non subsistit, atque adeò ea non impleta dominium permansit in dante, cui proin, tanquam domino, res est restituenda.

33 Sententia hæc in rigore juridico loquendo, non displicet. Nihilominus in praxi & regulariter magis placet opposita, saltem si eleemosynæ quantitas non sit admodum magna. Ratio est, tum quia sententia hæc communior est: tum quia in praxi restitutio hæc non sine magna difficultate & cum modico cujusque dantis emolumento fieri potest, præsertim si multi sint, qui eleemosynam, & quidem non in magna quantitate, sunt elargiti: de quibus proin singulis præsumendum est, quemadmodum amore Christi & paupertatis alienæ sublevandæ eleemosynam dederunt, ita voluntatem eorum esse, ut amore ejusdem Christi, & misericordiæ eadem inter pauperes distribuatur, quibus aliàs ex bona intentione fuerat destinata.

Ad 2. Q. Satis certum est, 34
quando dolus est duntaxat concomitans, nec dat causam contractui, sed solùm incidit in contractum, etiamsi ab altero contrahentium commissus sit, contractum non reddi infirmum, aut infirmandum, sed in utroque foro validum, & firmum esse, etiam de jure positivo, ut passim docent DD. cum Molin. *D. 352.* & Sylv. *V. culpa. q. 7.* & patet ex *l. siquis 9. princ. ff. de dolo. & l. Julianus 13. §. si venditor 4. & §. seq. ff. de action. empt.* Ratio est, quia dolus iste consensum substantialem contractûs non aufert, cùm intentionem contrahentis non afficiat, utpote qui etiam dolo absente nihilominus consensisset, & conxisset, ut si emisti vinum Autriacum, persuasus esse Rhenanum, quod tamen emisses, etsi non ignorasses. Atque adeò, dolus hic naturali jure validum contractum relinquit, qui proin cùm nec à jure positivo irritetur, nec dolus sit causa contractûs, non est, cur hic infirmari debeat, etiam post acquisitam scientiam veritatis. Interim tamen decepto adversus decipientem actio competit, ut solvat, quanti interest, dolum adhibitum non fuisse. Pariter satis certum est apud Pal. *tr. 14. D. 2.*

p. 5. n. 22. Molin. l. c. Haun. *tom. 3. tr. 8. n. 83. & 95.* Less. Laym. & alios, nullo jure irritum esse contractum tam stricti juris, quàm bonæ fidei dolo etiam antecedente initum, si dolus non versetur circa substantiam actûs, & commissus sit non ab altero contrahentium, sed ab aliquo alio tertio, etiamsi contractui causam dederit, prout colligitur ex *l. & eleganter 7. ff. h. tit. l. 2. ff. de proxenetis.* Et ratio est, quia ex una parte adest substantialis consensus, ex altera verò parte contrahens nullam injuriam decepto intulit: ergò nihil est, quod contractum infirmet & vitiet; datur tamen decepto actio adversus tertium, qui dolo usus est juxta citt. l. 2. Intelligenda autem hæc sunt, uti & priora, de casu, quo consensus paciscentium non alligatur certæ qualitati, seu tali circumstantiæ accidentali.

35 Dubium hîc duntaxat est, & controversum inter DD. validusne, an irritus sit contractus, quando dolus ab altera parte contrahente non sine injuria commissus est, deditque causam contractui, substantiam tamen illius non afficit. Ubi talem contractum ipso jure irritum, & nullum esse contendunt Bartol. in *l. & eleganter* & n. 9. Abb. in *c. cùm dilecti 3. de empt. & vend.* Sylv. l. c. Molin. l. c. Covar. Rebell. Perez. aliique complures, id, quod probant. 1. ex *l. & eleganter 7. ff. de dolo, & l. 3. ff. pro socio,* quibus locis habetur, bonæ fidei contractus, dolo malo initos ipso jure nullius momenti esse. 2. Quia æquitas naturalis non patitur, ut aliquis per injuriam jus & actionem consequatur, *arg. c. 1. de eo, qui duxit in matrim.* ibi, *neque dignum est, ut lucrum de dolo suo reportet.* Ergò dolosо nulla actio competit, neque jus ullum ex tali contractu acquiritur. 3. Quia contractus onerosus est ultro citroque obligatio: ergo si ex parte decepti non datur obligatio, neque ex parte decipientis dabitur: atqui ex parte decepti non datur obligatio, quia datur exceptio, *l. si dolo. & §. 1. Instit. de exception.*

Contra verò, etsi dolus, dans causam contractui, proveniat ab altera parte contrahente, non sine injuria, contractum tamen subsistere, & validum esse, affirmant complures alii non inferioribus ducti fundamentis, quamvis talis contractus rescindi possit, ac debeat, si deceptus velit, & contractus sit dissolubilis, è quorum numero ita nominatim sentiunt Gloss. in §. 1. *Instit. de except. V. efficax est.* Less. *l. 2. de Just. c. 17. dub. 5. n. 31.* Ægid. Coninck *D. 23. dub. 9. n. 73.* Palav. l. c. n. 19. Haun. *tr. 8. citt. n. 86.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 5.* Pirh. hîc n. 6. König n. 5. Wiestn. n. 12. Schmalzgr. n. 14. Pichler n. 6. aliique. Ra-

tionem dant, alias & ipsi Leges afferentes. 1. ex *l. si dolo, C. de rescin. vendit.* ubi dolo obtenta venditio rescindi jubetur, quod non obscurum argumentum est, ac signum contractûs validi, aliàs rescindi non posset, cùm quod nullum est, rescindi nequeat. 2. *Instit. de except. §. 1. ibi; si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere; palam est, jure Civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur dari te oportere, efficax est, sed iniquum est, te condemnari, adeóque datur exceptio, quod met. caus. aut doli mali.* 3. *Ex l. rem alienam 28. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur, quod emptio & venditio rei alienæ teneat; & tamen emptor tunc dolô inductus emit, putans rem esse venditoris propriam. Item *ex l. qui vas 48. §. fin. ff. de furt.* ubi deciditur, furem fieri dominum pretii pro re furtiva vendita: adeóque venditio tenet, licèt fur eam per dolum vendiderit, sciens esse rem furtivam. Prob. 4. ex eo, quòd licèt dolus, & error circa qualitatem, dans causam contractui, faciat involuntarium secundùm quid, non tamen tollat voluntarium simpliciter, quando relinquit consensum substantialem, (intellige, quando consensus in rei substantiam est absolutus, & non duntaxat conditionatus) qui proinde sufficiens est ad producendam obligationem contractûs, uti patet in contractu matrimonii.

Utraque sententia hæc & ab auctoritate, & à ratione valdè probabilis est; posterior tamen, tanquam probabilior, ac verisimilior, magis arridet, præsertim etiam ex eo, quòd Leges pro utraque parte allatæ commodam patiantur interpretationem, easque utraque pars pro domo sua explicet, & exponat: Ut adeò jus positivum hac in parte dubium sit, & controversum. Quandocunque autem jus positivum dubium est, & potest cum jure naturæ conciliari, conciliandum cum eodem est juxta receptam Ictorum regulam. Atqui dolus accidentalis dans causam contractui, sive bonæ fidei sit; (ut emptio, venditio, conductio locatio &c.) sive stricti juris, (ut sunt contractus, qui per modum Stipulationis concipiuntur) non reddit contractum irritum, ut tenet communis sententia apud citt. DD. quia ejusmodi dolus, & per eum inductus error, cùm eidem intentio contrahentis non alligetur, non aufert consensum voluntarium; aliàs si hunc tolleret, pro irritis habendi essent contractus quàm plurimi, & matrimonia innumera, quæ tamen pro validis passim habentur, utpote in quibus persæpè ejusmodi dolus, aut error contingit, dum sponsa fingit 36

se

se nobilem, Virginem, divitem, quæ re vera non est, sicque sponsum inducit ad secum contrahendum, qui non contraheret, si sciret eam non esse divitem aut Virginem, sed pauperem, aut corruptam. Unde ad argumenta allata in contrarium responderi potest, ad 1. eos contractus ipso jure (Civili) nullius momenti esse, non secundùm substantiam, sed secundùm effectum, quia Judicis auctoritate rescindi possunt, ac debent, adeóque de se firmi non sint. Et in l. quidem *& eleganter citt.* venditio annullatur, eò quòd fuerit facta à minore sine Judicis authoritate, quæ ipso jura nulla est.

Ad 2. R. Deceptorem jus, & actionem consequi non ex injuria, sed ex mutuo, eóque absoluto, & substantiali consensu, ex injuria autem potiùs obligationem contrahere, ut contractum rescindi patiatur per oppositam exceptionem, aut actionem de dolo à decepto institutam: imò etsi deceptus nec excipiat, nec agat contra deceptorem; in conscientia tamen obligatus est deceptor ad resarciendum integrum damnum, quod ob eam causam deceptus incurrit, cùm tale damnum alteri suâ culpâ dederit.

Ad 3. R. Argumentum hoc solvi debere in contractu per metum extorto, qui ipso jure validus est, ut tenet communis, quamvis metum passus illius rescissionem petere possit, non item metum inferens. Cæterùm quando alter contrahentium sua culpa est per accidens causa, quòd ex parte alterius nulla oriatur obligatio, nullum omninò est absurdum, quòd ex contractu, ex quo alioquin utrinque obligatio oriretur, nascatur ex altera duntaxat parte, ut pluribus probat Molina citt. D. 352.

Ad 3. Q. An is, qui indigenti, 37
cui succurrere tenebatur, eleemosynam denegavit, transacta necessitate ad aliquid postea restituendum obligetur, responsio ex eo pendet, an pauper in extrema necessitate constitutus jus habeat ex Justitia ad illa bona, quæ accipit, ita ut Dominus non solùm ex misericordia, sed etiam ex Justitia teneatur illa dare. Ubi Prima sententia jus & obligationem ex Justitia negat. Ita Vasquez *In opuscul. de eleemos. cap. 3. dub. 3. n. 37.* Sotus *de Just. q. 3. a. 4.* Medina *de restit. q. 3.* Navar. *cap. 24. n. 7.* Less. *cap. 12. dub. 12. n. 25.* Thom. Sanch. l. 1. Cons. *cap. 5. dub. 5. n. 61.* Reginald. Turrian. Fill. aliique cum, & apud Coninck *de carit. D. 27. dub. 7.* Rationem dant. I. Quia, si præceptum misericordiæ, & charitatis ad subveniendum proximo aliquando graviter obligat, tunc vel maximè stringit in extrema necessitate: ergò in casu extremæ necessitatis non datur obli-

obligatio Justitiæ; nam id, quod debetur ex Justitia, non est Eleemosyna, sed solutio debiti. 2. Quia actus Eleamosynæ fundatur in indigentia proximi: ergo ubi major est indigentia, ibi est major ratio Eleemosynæ: indigentia autem major est in necessitate extrema: ergo. 3. Quia si dives teneretur indigenti succurrere ex Justitia in posito casu, tunc si non succurreret, teneretur postea ad restitutionem damni: hoc autem dici non potest, ut arguit Vasq. *l. c.* aliàs etiam ille, qui in extrema necessitate tenetur vitam proximi defendere, ne occidatur ab inimicis, teneretur ad restitutionem damni, si eum, cùm posset, non defenderet, quod tamen ab omnibus negatur. Plures tationes pro hac sententia affert Coninck. *l. c.*

Altera sententia opposita obligationem Justitiæ in casu posito adstruit, ac tuetur cum Cajetano *q. 118. a. 3. & 4.* Petr. Navarr. *l. 3. c. 1. n. 343.* Aragon. *2. 2. q. 32. a. 6.* Spino, Sarmiento apud Vasq. *n. 37.* aliisque. Ratio est 1. quia impediens pauperem, ne in extrema necessitate capiat bona, quibus indiget, peccat mortaliter contra Justitiam: ergo etiam qui non facit Eleemosynam in tali necessitate, peccat contra Justitiam, & per consequens, transacta necessitate tenetur ad restitutionem. Quod ex eo

Confirmatur; quia si indigens non haberet jus Justitiæ ad rem illam, non posset eam, invito domino, accipere, etiamsi dives ex alia virtute teneretur ad dandum, sicut si aliquis ex voto promisisset, vel ex pœnitentia à Confessario injuncta deberet Eleemosynam, non ideò possent pauperes ejus pecunias occultè accipere.

2. Prob. ex eo, quòd in extrema necessitate omnia bona sint communia: qui autem impedit, ne bona communia capiantur, peccat contra Justitiam, ut contingit, quando quis alterum impedit volentem piscari, aut venari in locis communibus.

3. Prob. Dives cogi potest per Judicem ad dandam Eleemosynam indigenti: ergo signum est, divitem teneri ex justitia ad Eleemosinam pauperibus tradendam. 38

Ex duabus hisce sententiis probabilibus prior, utpote communior, ac probabilior, præferenda est; præplacet tamen hîc distinctio Lug. *D. 16. S. 7.* aliquid tribuentis utriusque partis fundamentis, dum ait, extremam necessitatem dare quidem jus indigenti, ut possit rem alienam accipere, & acceptatione ipsa acquirat jus in re ipsa, vel ejus usu, prout necessitas exigit, ipsum tamen Dominum non habere obligationem ex Justitia, sed ex misericordia illam dandi; postquam verò indigens utitur jure suo, & eam accipit, Dominum obligari ex Justitia ad non impediendum per vim illius usum, nec ad ipsam rem auferendam; atque adeò necessi-

cessitas & indigentia non facit indigentem Dominum formaliter, sed remotè, quatenus facit rem communem ita, ut sicut res, quæ non sunt in ullius dominio, possit aliquis sibi accipere justè, & validè; sic indigens possit rem alienam sibi accipere justè & validè perinde, ac si in nullius bonis esset. Cæterùm antequam ab eo accipiatur, Dominus non perdit ejus dominium, sed solùm habet obligationem ex charitate, & misericordia eam dandi, non verò ex Justitia; quia sicut circa rem communem, ante ejus occupationem, non habet Petrus jus Justitiæ, ratione cujus alii obligentur ad eam Petro offerendam, ita nec pauper jus Justitiæ ad id habet ratione necessitatis, sed habet duntaxat titulum, ut rem occupare possit, sibique propriam facere: unde postquam pauper rem occupavit, vel utitur jure suo ad eam occupandam, nemo sine injuria potest eum impedire, quia sicut jus habet ad rem occupandam, ac si esset in nullius bonis, sic jus habet, ne impediatur ab ejus occupatione, quod jus aliàs læderetur.

Ex his facilè respondetur ad utriusque partis fundamenta.

Ad 1. ergo prioris sententiæ fundamentum R. non obligari divitem ex Justitia ad subveniendum, sed ex misericordia, quia licet ex Justitia teneatur ad eum per vim non impediendum ab occupatione rei, non tenetur ex Justitia ad eam offerendam, sed ex misericordia; quia licet indigens habet jus ad eam accipiendam, non tamen est sua, donec acceperit.

Ad 2. & 3. R. divitem, non dando, non peccare contra Justitiam sed misericordiam, quia ad dandum non tenetur ex Justitia, ut dictum est, sed ex misericordia, atque adeò nec teneri ad restitutionem, si non det.

Ad posterioris sententiæ rationes, ad 1. & ad Conf. responsio patet ex dictis; n. enim c. quia licèt pauper in eo casu jus habeat ad accipiendam, & occupandam rem, dives tamen non tenetur ex Justitia ad eam dandam, sed ex misericordia duntaxat.

Ad 2. R. argumentum hoc non urgere Lug. sed potiùs ejus sententiam confirmare; non tamen sequitur, divitem teneri rem pauperi tradere ex Justitia; nam licèt indigens jus habeat ad rem occupandam, res tamen non fit indigentis, donec eam occupet, sed dominium manet penes possessorem, cum hac tamen obligatione, ut si indigens eam occupet, non impediat per vim, nec eam auferat, quia indigens utitur jure suo, quod in necessitate habet ad eam occupandam. Patroni verò primæ sententiæ respondent, peccare quidem eum contra Justitiam, qui impedit, ne capiantur bona, quæ nul-

lum peculiarem habent Dominum, ut contingit in locis communibus; in posito autem casu bona non ita esse communia, quin extet aliquis peculiare jus habens, qui non tenetur illa tradere ex Justitia.

Ad 3. R. n. c. nam, ut notat Vasq. dives cogi potest per Judicem ad dandam Eleemosynam, non quia tenetur ex Justitia, sed quia sic postulat charitas, & commune bonum.

Ex dictis sequitur, eum, qui denegavit Eleemosynam pauperi, non teneri, transacta necessitate, aliquid restituere, eò quòd negando Eleemosynam non peccaverit contra Justitiam, sed contra charitatem, & misericordiam.



CA-

CASUS VI.

De Juramento, contractibus, & præscriptione debiti indefinitè contracti.

MAuritius Minorenis absque Tutoris præscitu sub juramento promittit Titio centum aureos, si ejus industriâ, &patrociniô Officium aliquod à Magistratu civico obtinuerit. Paulò pòst operâ Mauritii obtinet optatum Officium, sed promissam pecuniæ summam non persolvit, paratus tradere, si peteretur. Post complures annos Titius coram Mauritio mentionem facit factæ promissionis juratæ; Sed Mauritius, prætenso jam factæ præscriptionis jure se nihil ampliùs debêre respondet, & idcircò nec ipsi Mauritio, nec, eo deficiente, ejus hæredibus quidquam persolvit.

QUÆR. I. An juramentum firmet contractus jure positivo nullos, & invalidos, quibus adjicitur?

QUÆR. II. An & quando obligatio juramenti promissorii homini præstiti transeat ad hæredes tam jurantis, seu promittentis, quàm Promissarii?

QUÆR. III. An à debitore præscribi possit debitum indefinitè contractum?

39 AD 1. Q. Notandum est, quæstionem hîc non esse de illis actibus, pactis, & contractibus, qui à Jure naturali, aut positivo, vel à Lege Civili prohibentur, & irritantur principaliter ob bonum commune, vel qui turpitudinem continent, qualis v. g. est promissio jurata solvendi usuras, aut metu vel dolo extorta; sed sermonem duntaxat esse de illis actibus, & contractibus, qui à jure civili immediatè irritantur ob privatum subditorum bonum, quales v. g. sunt, quibus Mulier consentit in alienationem fundi, vel alterius rei dotalis; quibus filiafamilias, acceptâ dote, renuntiat hæreditati paternæ; quos Minor super re-

rebus ſuis init ſine authoritate Tutoris, & Judicis decreto. &c. Hoc notato,

40 Celebris eſt controverſia, maximis DD. ſtudiis agitata, an ejusmodi actus, & contractus dicto modo infirmi, & invalidi ita juramentô confirmentur, & validi evadant, ut non ſolùm naſcatur obligatio Religionis erga DEum, quæ naſcitur ex omni juramento valido, ſed etiam inducatur inſuper obligatio Juſtitiæ reſpectu hominis, ſive Promiſſarii, ita ut huic acquiratur jus adverſùs promittentem, & promittens maneat obligatus ad ſervandum contractum, quantumvis adjectum juramentum à legitima poteſtate relaxetur. Ubi

Negativam ſententiam, quòd ejusmodi actus jure civili invalidi non confirmentur per adjectum juramentum, defendunt Jaſon *in Auth. ſacramenta pnberum C. ſi adverſùs vendit. n. 37.* Ant. Merenda *controv. l. 1. c. 1.* Pontius *l. 12. de Matr. cap. 7. n. 42. & 47.* Perez *C. de reb. credit. n. 8.* Wieſtn. *hic n. 78.* Et hoc teſte ex modernis alii non pauci & magni nominis DD. Ratio, quâ nituntur, hæc unica eſt, quia non poteſt oſtendi, unde juramentum vim habeat confirmandi actus jure nullos, & invalidos; non enim hanc vim habet ex jure naturali, & ex natura ſua, quia ex natura ſua plus non exigit, quàm ut jurans opere exequatur id, quod juramentô interpoſitô promiſit, ne DEi nomen aſſumptum ſit in vanum, quæ eſt obligatio Religionis, & impleri poteſt, etiamſi contractus maneat in ſe invalidus, ut patet ex juramento, quod uſurariis, aliisque contractibus injuriâ extortis adjectum eſt.

Neque hanc vim habet ex alicujus Juris diſpoſitione; non ex juris civilis diſpoſitione; quia in Jure civili nullus eſt textus, qui hanc vim juramento tribuat; imò contrarium potiùs eruitur ex *l. non dubium 5, in fin. C. de Legib.* Ubi imperator prohibet apponere juramentum contractibus Lege reprobatis, & appoſitum irritat, & annullat. Non ex Jure Canonico; quia textus Juris Canonici in contrarium citari ſoliti vel loquuntur de Contractibus aliàs validis, vel ſi de invalidis loquantur, intelligendi ſunt de obligatione Religionis; atque adeò manebit homo in poſſeſſione ſuæ libertatis, quamdiu de obligatione Jure naturali, aut poſitivo introducta non conſtat, *arg. l. Arrianus 47. ff. de O & A.* Sententia hæc eſt valdè probabilis, oppoſita tamen affirmativa communis eſt, ac probabilior, cum qua proin,

R. Contractus Jure civili invalidos ob utilitatem privatam, qui ſecundùm ſe non ſunt inhoneſti, nec injuſtitiam continent ex parte recipientis, aut exigentis, per adjectum 41

jectum juramentum validum probabiliùs confirmari, fierique ex invalidis validos. Ita Gloss. *in c. 2. de pact. v. servari in 6.* Covar. *in c. quamvis de pact. p. 2. §. 1. n. 26.* Imol. *in c. cùm contingat 28. h. t.* Abb. *ibid. n. 8.* Lugo *D. 22. de Just. Sect. 8.* Gutier. *de Juram. p. 1. c. 40. n. 3.* Sanch. *l. 3. c. 12. n. 5. & 11.* Azor. *p. 1. c. 40. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 3. c. 8. n. 1.* Haunol. *de J. & J. tom. 5. tr. 8. n. 135.* Pirh. *hîc, n. 132.* Gonz. *n. 11.* König. *n. 35.* Schmalzgr. *n. 86.* & apud hos alii quàm plurimi.

Prob. 1. Quia Jura eos contractus, qui invalidati sunt ob utilitatem privatam, & secundùm se non sunt inhonesti, dicunt esse omninò servandos, conceduntque actionem in foro externo: ergo per appositum juramentum validantur, quia actio fundatur in jure, quod quis habet adversus alium: atqui si non validarentur, non daretur jus, seu obligatio Justitiæ, sed tantùm Religionis. Ant. prob. ex variis Juris textibus, & 1. ac præcipuè ex *cap. cùm contingat 28.* ubi mulier ex constitutione *Innoc. III.* jubetur servare juramentum sine vi et dolo spontè præstitum super alienatione rerum dotalium, quamvis consensus in hanc alienationem de Jure civili aliàs irritus sit, & nullus. Unde & Pontifex Bonifacius VIII. in *c. licèt 2. h. t. in 6.* decernit, Judices sæculares, qui mulieres hujusmodi contra prædictas alienationes audiunt, per locorum Ordinarios censurâ Ecclesiasticâ compellendos ad servandum Jus Canonicum de hoc introductum. Neque hoc Statutum de sola Religionis obligatione intelligi potest; quia vi citt. textûs juramentum sine vi, & dolo præstitum aliam insuper, & majorem parit obligationem, quàm si sit vi, vel dolo extortum, hoc ipso quòd etiam juramentum, in quo vis aut dolus intervenit, hanc Religionis obligationem inducat, & servandum sit, quoties sine dispendio salutis servari potest: ergo necesse est, ut Pontifex de alia loquatur obligatione, quàm de obligatione Religionis, aliàs frustra adderetur in citt. c. hæc conditio si juramentum *sine vi & dolo spontè sit præstitum*; alia autem convenientiùs adstrui nequit, quàm obligatio Justitiæ orta ex pacto per juramentum firmato. Quod

Conf. ex *c. quamvis 2. de pact. in 6.* ubi idem Bonifacius constituit, pactum, quo filia renuntiat hæreditati paternæ, quamvis Jure Civili improbetur, si tamen juramento firmatum fuerit, observandum esse, utique non solùm ex virtute Religionis; quia à Papa observandum dicitur non solùm juramentum, ex quo obligatio Religionis nascitur; sed etiam ipsum pactum, ex quo obligatio Justitiæ inducitur, juramento nec vi, nec dolo præstito firmatum esse, & observandum.

Prob. 2. ex Jure Civili, scilicet *Auth. sacramenta puberum C. si adversùs vendit.* ubi Fridericus Imper. *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiri* jubet; non autem essent inviolabiliter custodienda, si contractus Jure invalidus non confirmaretur, sed potiùs is, cui juramentum præstatur, cogendus necessariò esset, ut juramentum remitteret, quia esset præstitum in contractu nullo, & invalido, de qua tamen obligationis remissione Leges, & Canones nihil memorant, sed contrarium insinuant, ut patet ex dictis.

Prob. 3. ratione; quia si contractus juramento non confirmaretur, posset juramentum relaxari, & si non relaxaretur, etsi Jurans teneretur eam obligationem exsolvere, ad hæredes tamen jurantis obligatio contractûs sic jurati non transiret, utpote quæ esset obligatio duntaxat Religionis, adeoque merè personalis; contrarium autem tenet receptissima DD. sententia teste Schmalzgr. *n. 88.* Ergo.

Conf. ex eo, quia ubi jura dicunt, quòd juramenta sint servanda in contractibus non validatis per adjectum juramentum, uti est contractus de solvenda usura, etsi dicant juramentum servandum esse ob virtutem Religionis, concedunt tamen repetitionem dati, ajuntque accipientem teneri ad restitutionem; in præfatis verò contractibus, dicunt, eos omninò debere servari, nec locum esse repetitioni, & obligationi restituendi acceptum: ergo videntur jure supponere in his contractibus, tanquàm validis pactis, jus alteri acquiri, non item in aliis contractibus manentibus invalidis.

Ex dictis patet responsio ad rationem fundamentalem oppositæ sententiæ, videlicet juramentum vim confirmandi contractus invalidos habere à Jure positivo, quod in honorem sacramenti validam reddit promissionem, quæ aliàs sine juramento nulla esset, ut adeò confirmatio contractûs invalidi, cui adjicitur juramentum, sit potiùs effectus Juris; dicitur tamen ea confirmatio ex juramento provenire; quia posito juramento, Jus ipsum in reverentiam ejusdem, sublata irritatione, hanc promissioni firmitatem concedit, quæ proinde cùm sit distincta ab obligatione Religionis per juramentum aliàs introductæ, juramento relaxato, manet, & ad hæredes transit. Ita Bald. *in Auth. citt. n. 4.* Suarez *tom. 2. de Relig. l. 2. de Juram. c. 28,* Sanch, Palao, aliique supra relati. Ad legem *non dubium* citt. respondet Perez *l. c.* eam esse correctam per Auth. sacramenta puberum citt. alii ajunt eam loqui duntaxat de illis contractibus, qui Jure reprobati sunt eò, quòd contineant turpitudinem, ex parte accipientis, 42

vel

vel qui cedunt in præjudicium tertii, quos utique juramentum non confirmat, hoc ipso, quòd sit de re mala, & illicita; ut ergo juramentum confirmet contractum, requiritur 1. ut ipsum juramentum sit validum, 2. ut contractus confirmandus neque ex parte jurantis, neque ex parte illius, cui juratur, contineat turpitudinem contra jus naturale, vel Divinum, aut bonos mores.

3. ut nec juramentum, nec pactum, aut contractus, cui apponitur, directè, & principaliter cedat in præjudicium boni publici, vel in damnum tertii, ut suprà insinuatum est.

43 Ad 2. Q. 1. memb. an juramentum promissorium homini præstitum transeat ad hæredes jurantis? Ratio dubitandi esse potest, quia si Testator juramentò promisit dotem puellæ pauperi, vel certam pecuniam in pauperes erogandam, defuncto Testatore, hæredes obligantur ad dotem dandam, vel talem pecuniam inter pauperes distribuendam: ergo obligatio juramenti non est merè personalis. 2. Si major pars capituli, vel communitatis sub juramento se obstrinxit ad aliquid præstandum, tenetur ad id etiam minor pars Capituli, vel Communitatis: ergo. Verùm.

Dicendum est cum S. Th. *2. 2. q. 98. ad 4.* Abb. *in c. veritatis 14. h. t.* Suarez *l. 2. de juram. c. 31. n. 12.* Palao *D. 2. p. 11. n. 1.* Sanch. *l. 3. Moral. c. 13. n. 1.* Haun. Bonac. Laym. & communi aliorum, juramentum promissorium homini præstitum secundùm propriam obligationem Religionis non transire ad hæredes, sed solum jurantem afficere. Ratio est. Quia obligatio juramenti ex propria virtute Religionis, & ex parte jurantis omninò personalis est, solúmque jurantem afficit; sicut enim nemo jurat, nisi sua voluntate, ita nec obligatur juramento alterius, nisi in illud consentiat & consentiendo suum faciat. Atque adeò ex vi juramenti neque hæredes jurantis nec Successor obligantur ad præstandum id, quod juramentò promissum fuit à Testatore, vel antecessore; quia obligatio propria juramenti cum auctore suo extinguitur. Siquidem juramentum non sit confirmatorium promissionis, sed per se stans; nam si defunctus promissionem homini factam, & acceptatam juramento firmavit; tunc quia duplicem obligationem contraxit, Religionis, & Justitiæ, extinctâ per mortem ejus obligatione priore, seu Religionis, posterior, quæ est Justitiæ, transit ad hæredes; quia hæres succedit in omne jus defuncti, activè & passivè, *l. ex contractibus 49. ff. de O. & A.* Quod tamen intelligendum est de promissione valida, seu tali, quæ alteri, in cujus gratiam juratum est, jus contulerit. Unde ad ratio-

rationem dubitandi R. non teneri hæredes exequi juramentum erogandi in pauperes certam pecuniam, dotandi pauperem puellam, ædificandi Ecclesiam &c. ex vi juramenti, sed aliunde, ex dispositione scilicet utriusque Juris, quod non aliter permittit hæredem adire hæreditatem nisi, cum onere implendi, & exequendi Juramenta & vota realia defuncti, ut patet ex *c. licèt 6. de vot. c. si hæredes 6. de testam. & ex l. si quis 2. ff. de pollicit.* Pariter non obligatur minor pars Capituli, Collegii, Communitatis ad servandum tale juramentum à majore parte præstitum vi juramenti, sed vi pacti, legis, vel consuetudinis, quia minor pars ex mutua quadem conventione in re, quæ utilis est Reipubl. communitati, Capitulo &c. tenetur se conformare majori, & hujus suffragia, aut conventionem sequi. Unde si major pars Capituli, aut Communitatis se obstringeret juramentô ad aliquid præstandum, quibusdam contradicentibus, vel non consentientibus, hi non obligarentur ex vi juramenti, & sub perjurii reatu.

44 Ad 2. memb. Q. 2. R. obligationem juramenti promissorii respectu ejus, cui juratum est, esse realem, & ad hæredes, vel successores transire illius, cui juramentum præstatur, atque adeò, si Petrus v. g. juravit, se daturum Paulo equum, si Paulus ante equi traditionem moriatur, obligari Petrum ad tradendum equum hæredibus Pauli ex vi juramenti Paulo præstiti. Ita Abb. *in c. veritatis n. 3. de juram.* Covar. *c. quamvis pactum p. 1. §. 7. n. 7.* Suarez *l. c. n. 14.* Sanch. *l. c. n. 6.* Palao *l. c. n. 3.* Laym. *l. 4. v. 3. c. 10.* Haun. *tom. 5. tr. 3. n. 861.* aliique communiter. Prob. *1. ex l. si pactum, ff. de probat.* ubi habetur, quòd pactum, sive promissio tibi facta ad hæredes quoque extendatur, licèt expressa mentio hæredis non fiat, *quia*, inquit, *plerumque tam hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cavemus.* Juramentum autem suscipit naturam, & conditiones promissionis, vel contractûs, cui adjicitur: ergo etiam juramentum ad hæredes extenditur, qui proin id jus obtinent, quod ille obtinuit per juramentum, cui juratum est.

2. Prob. ex citt. *c. veritatis 14.* ubi habetur, Vasallum, qui juravit Prælato fidelitatem, aut obedientiam, eandem etiam sine novo Juramento debere successoribus, quamvis eorum expressa mentio facta non fuerit, ut cum aliis docet Abbas n. 2. Quod tamen rursus intelligendum est, si Juramentum præstitum sit Prælato, ut Prælato, sine ratione Officii, & dignitatis, ut si dicat, promitto, & juro obedientiam Episcopo Augustano; quia dignitas, & Officium cum persona non extinguitur, sed ad successores transit, *arg. c. si gratio-*

sè

se 5. de rescript. in 6. Porrò licèt necessarium non sit, ut cùm alicui juratum est ratione Officii, & Dignitatis, Juramentum renovetur apud successorem ejusdem in Dignitate, & Officio; præcipitur tamen interdum renovatio Juramenti ad majorem solemnitatem & securitatem, ut notatur in *c. longinquitate 12. q. 2.*

45 Ad 3. Q. an debitum indefinitè contractum præscribi possit? Affirmativè respondent P. Schmier de *Præscript. c. 5. s. 1. à n. 22.* & P. Pichler, *hic n. 32. & 33.* cum Panormit. Bartol. Hostiens. & aliis. Rationem dant. 1. quia si solutioni nullum est præfixum certum tempus, tunc quamdiu Creditor non exigit debitum, tamdiu debitor non peccat non solvendo; quia prudenter existimat, se ante debiti exactionem non esse obligatum ad solvendum: ergo absque peccato injustitiæ poterit tandem præscribere post lapsum temporis legitimi. 2. Quia possunt servitutes rusticæ præscribi ab eo, qui scit, se eas debere, si Dominus iis non utatur, v. g. possum præscribere contra eum, qui habet jus servitutis in meo fundo, si ipse hoc suo jure non utatur certo tempore ad præscriptionem requisito, etiam si sciam illum habere tale jus, & eô non uti &c. ut colligitur *ex l. sicut 13. C. de servitut.* ubi dicitur, *ut omnes servitutes* (rusticæ) *non utendo amittantur.* Ergo etiam poterit debitum præscribi, si Creditor illud non exigat, etsi sciat se debere. 3. Potest reus præscribere pœnam, quam ex lege, vel sententia Judicis scit se debere ob commissum delictum *ex l. neque 2. c. de Vectig. & commiss.* ergo poterit & debitor præscribere debitum.

Sed contrarium tenendum est 46 cum Covar. *Reg. possessor, p. 2. §. 11. n. 3.* Lug. *D. 7. de præscript. sect. 4. n. 49.* Molin. *tr. 2. D. 66. àn. 1.* Palao *D. un. p. 22. §. 6.* Haunold. *tom. 1. tr. 5. c. 2. n. 191. & 193.* Felino *in c. fin. hic n. 3.* Imola *ibid. n. 24.* Viestn. *hic post n. 37. v. Infertur.* Schmalzgr. *hic n. 62.* Engel. Rath. Gail. & Mynf. (qui suam sententiam præjudiciis Cameræ firmant) aliisque.

Prob. 1. Qui sciens rem esse alienam, eam nihilominus possidere incipit, vel continuat, violat jus alterius, & est in malâfide: ergo etiam qui scit jus alienum, & illi nunquam satisfacit, violat jus alienum, & est in mala fide. Sed

Dices, illa tantùm scientia juris alieni obest bonæ fidei, quæ est conjuncta cum peccato injustitiæ: sed scientia juris alieni non est talis, quia debitor paratus est solvere, si debitum exigatur. Ergo.

R. tr. maj. n. min. rationem additam dist. Si sit paratus solvere quocunque demum tempore exigetur, tr. (nam si certum tempus constitutum non est, debitum solvendum est tempore, quod ex tacita intentione juxta morem Regionis ex consuetudine, & usu observari solet) si non sit paratus solvere quo-

cunque demum tempore, quo debitum exigetur, n. Conditio hæc imbibita *si exigetur*, semper manet adimplenda ad libitum Creditoris, nec aliundè probari potest, quòd circa ejusmodi debita contracta conditio illa impleatur, aut tollatur per Juris dispositionem. Accedit, quòd ad præscribendum in tali casu requireretur animus recusandi aliquando solutionem, & sic inchoand possessionem absolutam libertatis, qui animus jam esset peccaminosus, atque adeò ineptus ad inchoandam præscriptionem.

Prob. 2. vel talis debitor conscius sui debiti, suæque obligationis animum habet & voluntatem solvendi, vel non habet? si non habet, tunc hoc ipso non habet bonam fidem, sed peccat peccato injustitiæ. Si priùs, seu si habet animum solvendi, tunc hoc ipso non possidet jus non solvendi, seu libertatem à debito, quod vult solvere; sicque nunquam potest præscribere, vel ob defectum bonæ fidei, vel ob defectum possessionis civilis ad præscribendum requisitæ, quæ fit adminiculo juris, & animi, habendi scilicet id pro suo, quod præscribitur. Quod

Confirmatur à Lug. l.c. quia cum conscientia debiti non adest possessio bonæ fidei; nam sicut depositarius, aut commodatarius non possidet utiliter ad præscribendá rem, quia non habet animum possidendi ut suam, sic debitor non possidet suam libertatem à debito, quamdiu conscius est debiti; quia solùm habet quasi commodatam ad tempus illam libertatem, & auferibilem ad libitum Creditoris, cùm habeat animum solvendi. Quòd si dicas, eum habere animum quidem solvendi, sed duntaxat sub conditione, *Si & quando Creditor exiget*, tunc negatur, quòd unquam possit præscribi, quia semper manet obligatio solvendi, quamdiu manet potestas exigendi in Creditore, vel hæredibus illius, quibus deficientibus, deficiet quidem obligatio, sed non vi præscriptionis, ut patet. Neque dicas eam potestatem exigendi in Creditore tolli per ipsum adventum temporis legitimi ad præscriptionem à Jure requisiti; nam hoc ipsum est in quæstione, & tibi restat probandum, quòd tunc ea potestas exigendi ex parte Creditoris cessel, & ex parte debitoris ea omnia adsint, quæ Jura requirunt in eo, cui beneficium præscriptionis concedunt. Unde

Prob. 3. Quando obligatio de Jure naturæ est certa, & deobligatio de jure positivo est incerta, & dubia, standum est jure naturæ certo; quia obligatio certa non tollitur per remissionem incertam, & dubiam: atqui Jus naturale, quòd debitum aliàs liquidum sit solvendum, & nemo debeat fieri locupletior ex re aliena, est certum, & quòd debitor in posito casu eximatur à debiti solutione, & gaudeat legitimè beneficio præscriptionis, est incertum, & dubium, ut patet ex contrarietate DD. & rationibus supra àductis: ergo standum est Jure

natu-

naturali certo, atque adeò solvendum est contractum debitum. Neque obest, si dicas Jus naturale esse duntaxat conditionatum, nisi scilicet Jus positivum ex gravi ratione aliter statuat, ac disponat, nam si conditio illa non purificatur *certò*, manet Jus naturale conditionatum certum: in posito autem casu conditio *certò* non purificatur: ut patet ex dictis: ergo. Unde

Ad argumenta sententiæ oppositæ R. ad 1. n. c. nam vel debitum indefinitè contractum, ex tacita intentione contractum est in illud tempus, quod ex consuetudine, & usu observari & subintelligi solet, & tunc elapsum tempus interpellabit. Vel saltem subest conditio hæc, *si, seu quando Creditor exiget*, & tunc nequit unquam præscribi, quia manet semper obligatio, quamdiu manet potestas exigendi in Creditore, ut suprà dictum est.

Ad 2. R. n. cons. & parit. disparitas est, 1. quia in servitutibus leges ita statuerunt, eò quòd Domino non utente, cùm est occasio utendi, videatur servitutem habere pro derelictâ, utpote parùm sibi utili, aut omninò inutili; aliàs si utilis esset, aut necessaria, intra id temporis frequentiùs eâ uteretur: unde si etiam circa debita indefinitè contracta extarent aliquæ leges, quæ ob bonum publicum, aliamve gravem causam statuerent, ut talia debita post lapsum certi temporis extinguerentur, Creditore sciente, & non exigente, ex præsumptione, quòd debitum vellet habere pro derelicto, tunc paritas benè ambularet. 2. Quia cùm in præscriptione harum servitutum non detur possessio ad præscriptionem requisita, eò quòd libertas, quæ præscribitur, verè & in rigore non possideatur, hoc ipso, quòd præscribens sciat non esse suam, nec velit eam habere, ut suam, ne faciat contra jus illius, cui servitus adhuc debetur, idcircò casus hic circa has servitutes est singularis, ut ait Lugo *l. c. n. 52.* in quo absque vera civili possessione, nec animo verè possidendi civiliter libertatem à servitute, adhuc beneficio legis cum bona fide præscribitur cum sola possessione naturali illius; in quo etiam casu non requiritur bona fides, qua putes illam libertatem non esse alienam, sed solùm, qua putes, te licitè eam libertatem possidere naturaliter, quia cùm bona fides potissimùm exigatur in ordine ad possessionem, quam fides denominat bonæ, vel malæ fidei, qualis est possessio requisita, talis etiam erit bona fides, unde in aliis præscriptionibus, in quibus requiritur possessio non solùm naturalis, sed civilis, requiritur etiam bona fides de possessione naturali, & civili, qua putes, te & naturaliter, & civiliter posse rem possidere, hoc est, ut tuam; in hac verò speciali præscriptione, in qua leges non requirunt, nisi possessionem, vel quasi possessionem naturalem; bona etiam fides debet esse solùm de possessione na-

turali, hoc est, quâ credas, te licitè frui posse illa libertate, nec teneri te de jure suo certiorem facere eum, cui servitus debeatur. Hæc citt. Author.

Quod autem simile quid à lege statutum sit etiam circa præscriptionem debitorum, tibi restat probandum.

Ad 3. R. n. rursus conf. & parit. disparitas colligitur ex suprà dictis, quia etiam hæ præscriptiones beneficio legis fiunt absque possessione civili, aliàs ad præscriptionem requisitâ, quia exemptio à pœna verè, & propriè non possidetur à præscribente, hoc ipso, quòd pœnam, si exigatur, non solvendi animum nunquam habeat. Dein etiamsi reus diceretur possidere exemptionem à pœna, cùm tamen pœna proximè non debeatur, nisi exigatur, nec debeat reus esse executor talis pœnæ sed Judex, vel Fiscus &c. idcircò si hi suo officio non fungantur, à lege privantur jure suo potiùs ob negligentiam suam, quàm ex actione præscribentis, ut observat Less. *l. 2. c. 6. n. 21.* cum Molin. *tr. 2. D. 66. n. 3. & 10.* Quòd autem etiam Creditor privetur jure, & facultate exigendi suum debitum quocunq; demum tempore, ex legibus non probatur nec prudenter præsumi potest, Creditores pecunias sibi debitas, præsertim notabilis summæ statim remittere, aut pro derelictis habere, etiamsi certo tempore non exigant; possunt enim id facere ex prudenti motivo, eò quòd v. g. sciant, debitorem intra tale tempus non esse solvendo, vel non posse commodè satisfacere, vel quia non audent petere v.g. subditus à Principe, vel quia vident suam exactionem nullum sortituram effectum &c.

Quod si ponas, ex occurrentibus circumstantiis prudenter præsumi posse debitum à Creditore remissum esse, tunc utique debitor à debiti solutione immunis, & liber erit.

Porrò debita rerum mobilium æquè, ac immobilium præscribuntur cum bona fide contra Creditores spatio 30. ann. *L. 3. (de præscript. 30. ann. & L. 1. §. ad hæc, C. de annali except.*

)o(

CA-

CASUS VII.

De contractu locationis, & pensione minuenda, & augenda.

Nilus, cùm ex suo prædio ob loci distantiam minùs à se exculto exiguum emolumentum indè perciperet, illud ad triennium elocavit Titio sub pensione annua 100. fl. quam duobus primis annis integram quidem solvit, sed tertio anno, cùm ob anni sterilitatem damnum passus sit, eam integram persolvere recusat. Peracto triennio Nilus prædium vendit Titio pro 2000. fl. ita justo pretio à peritis æstimatum. Titius solvit statim 1000. fl. totidem soluturus post biennium, concessa à Nilo dilatione ad solvendum. Interim Nilus post prædii traditionem fructus ex illo percipit, correspondentes alteri parti pretii, cujus expectat solutionem.

QUÆR. I. An licitus sit contractus, quo Nilus fructus divenditi prædii percipit, correspondentes alteri parti pretii, cujus interim expectat solutionem?

QUÆR. II. An, & quando ob anni sterilitatem, alluvionem, aliúmve casum fortuitum de pensione aliquid remittendum sit, & an pensio augenda sit ob uberiores fructus ex fundo locato provenientes?

QUÆR. III. An, quando res locata periit apud Conductorem, damnum præstare debeat Conductor, an locator?

47 AD 1. Q. notandum est, non esse hìc sermonem de fructibus pendentibus, nam hos omnes sive maturos, sive immaturos, peracta venditione partium consensu, nisi aliud conventum fuerit, ad emptorem pertinere, patet ex *l. Julianus § si fructibus ff. de action. empti, l. fructus, l. post perfectum Cod. eod.* & docet communis DD. sententia cum Covar. *1. resol. c. 15. n. 2.* & Molina *D. 368. concl. ult.*

Sed quæstionem, & controversiam esse de iis fructibus, qui post venditionem nascuntur: Ubi Covar. *l. 3. variar. c. 4. n. 1.* Molina *tom. 2. D. 368. citt.* Angel. *V.* 48

emption. 5. Jo. Bapt. Lupus *tr. de usur. §. 7.* aliique Jurisperiti affirmant, fructus post venditionem natos deberi venditori, donec emptor pretium solverit; Quod si res tradita fuerit, & emptor hos fructus percipiat, eum fore obligatum ad illos pecuniâ compensandos, etiamsi emptor non fuerit in mora solvendi, ut dum ei concessus est terminus ad solvendum; & hinc justum esse ajunt hunc contractum, quo venditor rei venditæ dominium in emptorem transfert per traditionem cum pacto, ut donec is non solvit pretium vel partem pretii, restituat æstimationem perceptorum fructuum secundùm proportionem pretii non persoluti.

Probant suum assertum 1. ex *l. Curabit. 5. de action. empti* quæ ita sonat: *Curabit Præses Provinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percipit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor, licèt nulla mora intercesserit, generavit.* Et ex *l. Julianus 13. §. ex vendito ff. de act. empti*, ubi dicitur, *Nam cum re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii deperdere.*

P. 2. Quia videtur repugnare æquitati naturali, ut emptor & fundo simul, & pretio fruatur; venditor autem utroque careat: Unde

P. 3. ex eo, quòd inter contrahentes debeat esse æqualitas, neque unus teneatur implere contractum, nisi vicissim & alter impleat, juxta *l. bona fides ff. de action. empti*: emptor autem non præstitit quod ex parte sua debebat, dominium scilicet, usum, & commoditatem pretii transferendo in venditorem: ergò neque venditor tenetur dominium, usum, & commoditatem rei venditæ emptori cedere, sed eousque sibi retinere potest, donec emptor de pretio ipsi satisfaciat.

P. 4. Quia rei utilis proprietas vendi potest retento dominio fructuum: ergò.

Contrariam sententiam tanquam communiorem, & æquitati conformiorem tuentur Theologi cum S. Antonino in *summ. p. 2. tit. 1. c. 7. §. 20.* Sylvest. *V. usura 2. q. 11.* Gabriel. *in 4. sent. d. 15. q. 11. a. 2. concl. 4. clas. 3.* Less. *lib. 2. c. 21. dub. 13. n. 109.* Petr. Navar. *l. 3. c. 2. n. 148.* Laym. *lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 18.* Lopez. Rosell. Armili. Rebell. Comitol. reiicientes præfatum contractum tanquam injustum & iniquum. 49

Ratio est 1. quia post venditionem absoluto partium consensu peractam fructus omnes, etiam producendos, jure emptionis ad emptorem pertinent, fructus quippe naturaliter consequuntur sub-

stan-

stantiam rei frugiferæ, seu insunt in substantia, & potentia rei frugiferæ: ergò dum emptor justo pretio emit substantiam rei frugiferæ, simul etiam emit jus, atque potentiam fructuum pecunia credita, quæ justum efficit pretium. Id, quod innuit *l. de eo, §. sæpiùs, ff. ad exhibendum*, ubi dicitur: *Quod ex re nostra fit, nostrum esse verius est*; fructus autem ex substantia fundi, ex proprietate, ratione fructifera, & semente fiunt, quæ omnia emptoris sunt post conventum pretium justum, & traditum fundum: ergò.

2. Quia juxta æquitatem ei res afferre debet fructum, & commodum, cui adfert periculum diminutionis, sterilitatis, amissionis: Sed res empta hoc periculum adfert emptori, non venditori, utpote qui nullum subit periculum pretii, quod omninò habebit, & pecunia per se, seu se ipsa nullum afferat fructum. Contrà verò periculum rei determinatæ in specie, seu potiùs in individuo venditæ, licet nondum traditæ, ad emptorem pertinet, ita ut si absque venditoris culpa res pereat, diminuatur, deterior fiat &c. nihilominùs cogatur emptor integrum pretium solvere, ut patet ex §. *cum autem*, juncta Gloss. Inst. *de empt. & vendit. l. quod sæpe, §. si res ff. de contrahend. empt. & l. necessariò ff. de peric. & commod. rei venditæ*. Ergò etiam res vendita fructum, & commodum afferre debet emptori, & non venditori: imò hic non posset pro tanto pretio fundum vendere, nam res sine fructu multò minoris est, quàm cum fructu: venditor autem hîc traderet mediam partem fundi sine fructu, adeóque tanto minus deberet etiam esse pretium, quod tamen non fit.

3. Quia ex communi TT. omne pretium solvendum, & futurum intelligitur cum mutuo implicito; est enim pecunia, dum eam non recipit venditor pro re venali, ad tempus emptori concessa: ergò si pro ejusmodi pecunia quidquam accipiat, usuræ crimen committit; nec secùs judicandum esse statuit Decretalis consuluit de usuris Urbani III. videtur enim venditor illos fructus percipere ob dilationem solutionis, cùm eos non percipiat ratione alicujus periculi, utpote qui totum periculum in emptorem reiicit: neque ratione lucri cessantis, ut fatetur Covar. adversarius, aliàs sinullum lucrum ei cessaret, non posset illos percipere, quod tamen Covarruvias negat. Deinde vel venditor patitur interesse ex dilatione solutionis, vel non patitur: si non patitur, æquum non est, ut exigat fructus, vel eorũ compensationem, rejecto periculo rei in emptorem, ut colligitur ex dictis. Si verò patitur interesse, eique lucrum cesset; quia venditor v. g. pecunias negotiationi exposuisset, si solutio tempestivè fuisset præstita, tunc potest illud deducere in pactum ab initio contractûs, & hoc modo sibi

satis

satis cavere. Unde justè potest venditor hunc contractum instituere, ut ex communi docent Azor *l. 8. cap. 15.* & Navar. *cap. 17, n. 248.* hoc prædium, vel hic ager, quem pretio constituto, emendum offero, interea, donec pretium solveris, pro pensione annua conductus sit, periculo interitûs ad me pertinente. Vel, ut ait Laym. cum aliis l. c. si venditio fiat cum pacto, ut emptor pro pretio, vel parte pretii non soluta, annuam pensionem solvat, ratione censûs super eodem fundo constituti.

Confirmatur prior ratio. Mutuum dare nil aliud est, quàm rei, quæ usu consumitur, & cujus ipse es dominus, alteri usum concedere; sed pecunia tibi solvenda pro tuo prædio tua est, & tibi debetur ab emptore, & est res, quæ usu distrahitur, illiusque usum concedis emptori: ergò mutuam illi das: ergò ob pecuniam, quâ interim cares, nihil potes exigere ratione contractûs.

Conf. 2. Sicut si tibi nunc pro tuo agro pecuniam solverè, & eandem statim à te mutuam peterem, nihil fructûs ob eam capere posses; ita nec potes, cùm tibi ex tua voluntate nunc illam non solvo, sed ex tuo consensu ad tempus aliquod eâ tanquam mutuâ utor. Unde

Ad argumenta pro sententia contraria adducta respondeti potest. 1. Ad legem *Curabit* dici potest cum comitol. & aliis citt. legem illam fovere usuras, ac propterea iniquam esse, præsertim cùm à duobus Imperatoribus Christiani nominis capitalissimis hostibus lata sit, scilicet à Diocletiano, & Maximiano & idcirco legem illam, qua parte concedit usuras, esse abolitam Jure Canonico, ut notat Less. l. c. vel si honos legi habendus est, dicendum est cum Comitol. eam legem rationem habuisse interesse, non usurarum, ita ut emptor cogatur compensare interesse (scilicet cessantis lucri, aut consecuti damni) si vel sit in mora, vel si ab initio deductum sit in pactum. Idem secundùm Less. l. c. respondeti potest ad l. *Julianus* citt.

Accedit quòd Lex Julianus *in* §. *offerre ff. de action. empti & venditi*, tantùm dicat, rem venditam à venditore tanquam pignus retineri posse, cùm pretium non est persolutum, ut advertit citt. Comitol. Si autem loco pignoris duntaxat venditor rem retinere potest, nequit fructus facere suos. Qui enim fructus ex pignore capit, juxta communem DD. debet eos in sortem conferre. Nec obstat, quòd in citt. §. *ex vendito*, dicatur, cùm emptor re fruatur. Æqũm esse, eum usuras pretii dependere; R. enim id æquum esse, si venditor patiatur tantundem incommodi ex dilatione pretii, vel si præstet periculum rei, & fructus æquivaleant illis usuris, idque ab initio deductum

sit

sit in pactum, ut suprà insinuatum est, secùs id iniquum esse.

Ad 2. R. Venditorem non cariturum pretio rei venditæ habendo tempore partium consensu constituto, utpote quod ad tempus duntaxat differtur, & quidem ex venditoris consensu & voluntate. Cæterùm si quid ratio illa in contrarium allata probaret, tollendæ forent omnes venditiones & commutationes, quæ creditâ pecuniâ fiunt, id, quod non sine ingenti civitatum, & humani generis detrimento, & contra ipsam æquitatem fieret; duplicem enim illam rationem contrahendi præsenti, & futura pecunia humanæ vitæ necessitas, & genus ipsum commerciorum invenit.

Ad 3. R. dari æqualitatem inter rem venditam, & pretium illius justum; De cætero discrimen est manifestum inter mercem frugiferam, v. g. agrum, & inter pecuniæ pretium; ager enim per se, & suaptè natura fructus, & utilitatem profert, quæ in æstimationem venire possunt; secùs pecunia, quæ secundùm se sterilis est, neque ullam utilitatem, & fructum progignit, nisi interveniente industria negotiantis: Unde si venditor eâ negotiaturus non fuisset, uti ponitur, nequit usuras exigere; vel si ea negotiatus fuisset, potuisset, aut debuisset ab initio lucrum cessans inpactum deducere.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Ad 4. R. posse utique dominium proprietatis à dominio fructuum secerni, sed probandum est, id in, & vi prædicti contractûs fieri, aut factum esse.

Ad 2. Q. an ob anni sterilitatem 50
aliquid de pensione remittendum sit conductori? Conveniunt DD si superveniens sterilitas (unde unde superveniat) absque conductoris culpa, tanta sit, ut nihil omninò fructuum colligatur, ita liberari conductorem à solutione pensionis præstanda, ut nihil omninò illius solvere teneatur. Constat id ex l. *si merces* §. *vis major.* & ex *leg. ex conducto*, § *si vis*, *vers. sed & si. ff. locati.* ubi dicitur: *sed & si labes facta sit, omnémque fructum tulerit, damnum Coloni non esse, ne, supra damnum seminis amissi, mercedes agri præstare cogatur.*

Quòd si sterilitas valdè notabilis sit & magna, non tamen tanta, ut nihil omninò percipiatur, pro rata remittendum esse de pensione, uti habetur citt. *l. ex conducto*, §. *si vis tempestatis* &c. *l. licet Cod. de locato, cap. propter sterilitatem*, & citt. § *si vis major*: ubi hæc habentur: *Vis major non debet Conductori damno esse, si plus, quàm tolerabile est, læsi sunt fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet Colonus.* Ex quibus liquet, si Colonus magna, & plus quam tolerabili clade affectus est ex Cœli injuria, aliave vi extrinseca, sine culpa sua, remittendum esse de pensione, non quidem

ita, ut pensio tota ei remittatur perinde, ac si omnes fructus periissent, sed ut de pensione pro rata habita ratione sterilitatis, remittatur. Contrà verò ob damnum, sive infortunium modicum, nihil esse de pensione Colono remittendum, sicut pariter, si Colonus ob unius, vel alterius anni fertilitatem majus aliquod commodum capiat nihil ipsi aufertur, nec pensio augetur, uti nec tunc, quando antecedentium, vel etiam consequentium annorum fertilitate damnum compensatur, uti habetur in citt. *l. ex conducto* §. *Papinianus*, & citt. *c. propter sterilitatem.*

51 Porrò quando sterilitas fructuum dicenda sit tanta, ut pensio pro rata minuenda sit, variæ, & multæ sunt DD. opiniones, quas inter magis præcipuæ, ac probabiliores sunt sequentes.

Prima, eáque communis DD. post Bartol. *leg. licet, C. de locat.* apud Molinam *D. 445.* ait, tunc censendâ esse sterilitatem sufficientem, ut remissio pensionis pro rata fiat, quando tam parvi fructus colliguntur, ut si ex illis semen & expensæ detrahantur, & ex reliquo pensio integra solvatur, conductor læsus maneat ultra dimidium justi pretii, aut ultra dimidium persionis, quàm solverit pro re locata, ut si v. g. decem modii tritici sint pensio solvenda, & fructus percepti sint adeò pauci, ut deducto semine, aliisque expensis, maneant minus, quàm quinque tritici modii, tunc reliquos usque ad decem de pensione solvenda remittendos esse, si verò maneant quinque modii, aut plures, nihil esse remittendum.

Secunda opinio, quam cum 52
Gloss. *l. si uno in princ. verb. etiam ejus, ff. locat.* complures sequuntur, relati à Covar. *de pract. qq. c. 30.* §. *sed & hæc*, affirmat, tunc censendam esse sterilitatem sufficientem ad prædictum effectum, quando conductor non percipit dimidiam partem fructuum, qui communiter ex eo fundo percipi consueverunt.

Tertia multorum cum Gloss. *l. licet, verb. sterilitas C. de locat. l. si merces citt.* §. *vis major*, asserit, tunc censendam esse sterilitatem sufficientem, ut de pensione pro rata aliquid remittatur, quando secundùm communem vulgi opinionem in aliquo loco sterilitas in eo esse affirmatur, adeóque vicinorum communem opinionem attendendam esse.

Ad 2. memb. Q. 3. an augenda sit 53
pensio ob uberiores fructus ex fundo locato provenientes? conveniunt DD. quando extraordinarium fructuum augmentum provenit ex industria Conductoris, aut coloni, pensionem non esse augendam; Quando verò aliunde augmentum provenit, æquitatem postulare, ut pensio augeatur, si fructus longè uberiores ex fundo aliquot annis proveniant, sicut notavit Gloss. in

citt.

citt. §. *si vis major.* & tenent Abb. in *c. propter* citt. *in fin. de locato.* Bartolus, Gomez, & alii. Quia æquum est, ut qui damnum diminutionis pensionis sentit ob insolitam, sterilitatem, sentire etiam debeat commodum augmenti pensionis propter insolitam ubertatem.

Hoc tamen multi cum Navar. in *man. c. 17. n. 191.* Molina l. c. Sylvest. *V. Locatio* Greg. Lop. aliisque, intelligunt, locum duntaxat habere, quando ob fortuitum eventum accrescunt fructus in ea abundantia, ut si quis v. g. conduxerat molendinum, ac postea alia vicina impetu aquarum destruantur, idque causa sit, ut longè plus solito reddat; tunc augendam esse pensionem ajunt juxta proportionem augmenti; sicut ob contrarium fortuitum eventum minuenda est pensio; secùs verò, si ob anni fertilitatem fructus multum supra solitos accrescerent, etsi ad id multum conferret bonitas fundi. Id, quod apertè colligitur ex citt. §. *vis major*, ita statuente: *Modicum damnum æquo animo ferre debet Colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.*

54 Ad 3. Q. quisnam damnum rei conductæ, quæ periit apud Conductorem, præstare debeat, seu ex qua culpa Conductor locatori, & hic illi teneatur? R. 1. Conductorem, si res conducta periit apud ipsum, regulariter non teneri præstare casum fortuitum, prout constat ex *c. unic. de commod.* §. *item is.* l. *sicut certò*, §. *nunc videndum*, l. *in rebus in princ. ff. commod.* l. 1. C. *eodem tit.* l. 11. §. *is verò*, *ff. de action. & oblig.* Et ratio est, quia casus fortuiti sunt extra humanam prudentiam.

Dixi regulariter; quia etiam de casu fortuito tenetur, juxta citatas LL. 1. si id inpactum deductū sit, 2. si ipse suâ culpâ causam casui fortuito præbuit; secùs autem si occasio non fuit, ut res eo casu periret; quia simili modo, ea occasione sublata, res erat peritura. Exemplum suppeditat *lex videamus*. §. *si hoc, &* §. *ultim. ff. locati*, ut si inter Locatorem, & Conductorem conventum sit, ut nullus omninò ignis esset in re conducta, tunc si ignis nihilominus ibi poneretur, & ex illo sine omni culpa cujusque casu fortuito res exureretur, teneretur conductor de eo casu fortuito, quia ignis ille à locatore prohibitus, & tamen à Conductore positus, occasio fuit ejus incendii. Simili modo si quis equum conduxit ad iter faciendum ea lege, ut solùm sex leucas quotidie conficeret, Confecit autem septem, & equus mortuus est, tenetur pretium illius restituere, si id causa, aut occasiò fuit, quòd equus moreretur. Secùs verò si neque causa, neque occasio fuit, quòd perierit, quia simili modo erat periturus, ut regulariter contingit, si morbô interiit, eò quòd conficere unam leucam, ultra sex. non soleat sufficiens esse causa, ut moriatur, quando alioquin non esset similiter moriturus.

R. 2. Conductorem, qui rem locatam accepit, teneri solùm locatori de dolo, culpa lata, & levi, non verò de culpa leviſſima, niſi aliter conventum ſit. Ita communiter DD. cum Gloſſ. *Inſtit. de locat. & conduct. §. penult.* Ratio eſt; quia hic contractus eſt in utriusque partis commodum; quando autem contractus eſt in utriusque partis commodum, contrahentes non tenentur, niſi ſolùm de dolo, lata culpa, & levi, non verò de leviſſima, aut caſu fortuito, niſi aliud inveniatur expreſſum. Excipiunt tamen hîc, niſi res locata eſſet valdè pretioſa, ut vaſa aurea, vaſa vitrea pretioſa, vaſa vini aſportanda, columna marmorea elaborata aliò transferenda &c. ubi conductus ad ea aſportanda teneretur ad eam diligentiam, ne periclitentur, ac frangantur, qualem diligentiſſimus adhiberet, adeóque de culpa leviſſima, ut habetur *l. ſi merces, §. qui columnam. ff. locat.* & ratio eſt; partim quia talia ſuapte natura exactiſſimam ſervandi diligentiam poſtulant: partim quia nemo ea, niſi cum tali conditione, locare vellet.



CASUS

CASUS VIII.

De obligatione compensandi damnum datum &c.

CLepander fur noctu cum lumine domum Caii ingressus horologium, vestes, aliáque mobilia domestica furtô surripit, & relicto domûs ostio aperto aufugit, dumque domo egreditur, casu, & præter suam intentionem domum incendit. Horologium furtivum postea pretio 30. fl. vendit Titio bonæ fidei emptori, qui rursus illud distrahit pretio 30. fl. quos omnes donat Antonio nepoti suo ad Studia abeunti.

QUÆR. I. An Clepander fur teneatur damnum resarcire, quod ex incendio domûs passus est Cajus?

QUÆR. II. An fur relinquens ostium domûs, in qua furatus est, apertum teneatur etiam ad compensandum damnum datum ab alio fure, qui reperiens ostium apertum, domum & ipse ingreditur, & furatur?

QUÆR. III. An Antonius nepos, & ipse Titius, rescientes postea horologium fuisse furtivum, ad aliquam restitutionem teneantur?

56 AD 1. Q. Tenendum est cum Molina *D. 728. n. 2.* Lug. *D. 18. Sect. 4. n. 87.* Dicastill. *D. 3. n. 72.* aliisque Clepandrum non obligari ad compensanda damna per illud incendium Cajo illata. Ratio est, quia, ut arguit Molina, Clepander neque tenetur ad damnum compensandum ex contractu, neque ex lege aliqua positiva, cùm nulla talis reperiatur, & siqua foret, esset illa pœnalis, & ante sententiam non obligaret, neque tenetur ex delicto, seu injusta acceptione, quia actio illa quoad eas circumstantias non fuit formaliter injusta, sicut injusta non esset, si Clepander non animo furandi ex legitima causa domum illam ingressus fuisset; incendium enim non prævidebat, & illa luminis gestatio non erat formalis læsio juris, quod Cajus habebat in domum suam, hoc ipso, quòd talis gestatio ex se non afferat proximum periculum incendii domûs, nec gestare lumen per domum alienam ex se sit contra justitiam; quia illud periculum incendii est valdè remo-

tum, & per accidens, nec justitia obliget ad præcavenda pericula adeò remota, & non prævisa.

Quòd si in posito casu Clepander ingrederetur Caji domum ad furandum vestes, aliaque, & præter intentionem incenderet domum, & sic etiam vestes conburerentur, quas furari volebat, neque tunc pretium vestium restituere teneretur; quia obligatio restituendi valorem rei furtivæ pereuntis apud furem oritur ex furto in effectu posito; non autem ex affectu furandi, quia quamdiu furtum non est commissum cum effectu, non est illata injuria cum effectu circa rem illam, sed solùm in affectu, quod non sufficit ad inducendam obligationem restituendi.

Quòd si vestes quidem apprehendisset, sed tamen eas aliò non deportasset, sed dum alia simul accipere tentat, ortô incendiô, etiam illæ conburerentur, eo invito, adhuc non obligaretur vestium pretium restituere, quia hæc sua acceptio non fuisset causa efficax damni, hoc ipso, quòd eodem modo fuissent conburendæ, quamvis non attigisset; quoties autem res furtiva perit apud furem eodem modo peritura apud Dominum, per se non datur obligatio restituendi.

57 Ad 2. Q. Dicendum est in posito casu Clepandrum ostium domûs apertum relinquentem obligari ad resarcienda damna etiam ab alio fure illata. Ita Lugo l. c. Dicastill. n. 70. Tambur *l. 6. c. 4. §. 2.* Sporer *tr. 4. c. 2. n. 193.* la Croix *l. 3. p. 2. n. 169.* aliique. Ratio sumitur ex regula communiter recepta, quòd scilicet dans operam rei illicitæ non teneatur ad compensandum damnum, quando illius actio propter periculum damni inferendi non est prohibita ex debito justitiæ, sed est duntaxat contra aliam virtutem, nec ullo modo prævideatur damnum inde per accidens oriturum, ut si v. g. die festo labores, & hac occasione præter tuam intentionem, accenso igne, conburantur alienæ segetes. Econtra verò dari obligationem compensandi damnum tunc, quando actio propter tale periculum est contra justitiam, seu contra jus alterius, quod habet, ne talis actio ponatur. Atqui actio Clepandri effringendi fores, ostiumque aperiendi, atque illud apertum relinquendi, ut alii ingredi possint, est contra justitiam, seu jus Caji, quod habebat ad conservationem rei suæ in domo sua clausæ, propter periculum, cui rem familiarem exposuit, & quidem proximum, ac per se, quia occasio ostii aperti de se est allectiva furis ad furandum; atque adeò obligabitur ex delicto formaliter commisso etiam in ordine ad illam cir-

circumstantiam, & periculum illius damni ad illud inde ortum compensandum.

58 Ad 3. Q. Notandum, sciendúmque est, præscindendo à speciali contractu, & legis aut Judicis dispositione, duas duntaxat esse radices seu titulos restitutionis, ut tenet communissima TT. cum S. Th. *2. 2. q. 62. a. 6. & 7.* Prima est *res accepta*. Secunda, *injusta acceptatio*.

Ex radice, seu titulo *rei acceptæ* restituere obligatur quicunque rem alienam possidet, ac retinet, etiam sine sua culpa formali, sive dein res extet in se, sive in æquivalenti, inquantum scilicet factus est inde ditior, & quidem per se tenetur rem restituere, quàmprimùm intelligit, esse alienam; quòd si tunc eam omninò restituere nollet, non tantùm ex re accepta, sed etiam ex titulo injustæ acceptionis reddere teneretur, tanquam injustus possessor.

Ex radice, seu titulo *injustæ acceptionis* ad restitutionem tenetur quisquis alterum voluntariè, & per culpam, seu injuriam formalem damnificavit, etsi inde non sit factus locupletior, imò etsi ipse damnum inde passus esset, ut si v. g. meam domum incedendo, tua quoque vicina domus conflagrâsset; & hic quoque titulus fundatur in ipso jure naturæ dictante: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & si aliàs hic titulus non fundaret obligationem restitutionis, via panderetur innumeris fraudibus & furtis, rebusque humanis pessimè consultum foret, nec humana Societas, & Respublica satis conservari possent.

Ex his patet, graviorem esse obligationem restituendi ex injusta acceptione, quàm ex re accepta; ex hac enim non teneris, nisi res apud te formaliter extet, vel æquivalenter, inquantum factus es ditior, ut dictum est, adeóque si res aliena casu, aliove modo destructa fuerit, vel perierit absque tuo lucro, aut culpa, ad nihil teneris. Contrà verò ex injusta acceptione teneris, quamvis res nullo modo extet, nullúmque commodum, sed potiùs damnum inde retuleris, & insuper teneris omnia damna inde secuta relarcire,

Porrò ad contrahendam obligationem restituendi ex titulo injustæ læsionis duo sunt necessaria, scilicet ut damnum illatum sit, & ut sit illatum contra justitiam, sive per injuriam, non autem contra alias virtutes: Unde qui non succurrit proximo indigenti, quando tenetur, non dando v. g. Eleemosynam, peccat quidem, 59

dem, sed ad restitutionem non tenetur.

60 Ex modò dictis colligitur responsio ad 3. Q. Si enim Cajus bonæ fidei emptor rem alienam à se bona fide emptam alteri eodem pretio vendat, & ejus pretium Antonio nepoti donet, aliàs non donaturus, nec aliud donum reciprocum ab eo recipiat, nec Cajus, nec Antonius nepos tenetur ad aliquid rei domino restituendum. Non Cajus, quia ipse rem alienam nec in se, nec in æquivalenti detinet, adeóque non est inde factus ditior. Non Antonius nepos, quia hic non est factus ditior ex re aliena, sed ex pretio sibi donato, cujus dominium ipse Cajus, jure ita disponente, acquisivit per venditionem rei priùs à se bona fide emptæ factam, *leg. qui vas* §. *ult. ff. de furtis.* Item *leg. rem alienam ff. de contrab. empt.* & *l. ex empto, ff. de actionib. empti.* Aliud esset, si Cajus pretium alteri non donâsset, sed sibi reservâsset; tunc enim teneretur illud Domino comparenti restituere, si Dominus non posset rem suam aliter vindicare, quia tunc ex alieno factus esset locupletior, uti etiam tunc, si tantundem pecuniarum de suis aliàs donâsset Antonio nepoti; nam possessor bonæ fidei, qui rem alienam, putans esse suam, alteri donat, aliàs donaturus aliam rem suam æquivalentem, tenetur illam vel ejus pretium restituere, quia sic parcendo suis rebus factus est ditior, secùs si aliàs nullam ex suis donâsset, quia tunc non esset locupletior factus ex re aliena; hinc dixi suprà aliàs non donaturus &c.

Colliges 2. Eum ad nullam obligari restitutionem, qui bona fide equum alienum eodem vel minori pretio, quo eum emerat, alteri vendidit, quia etiam in hoc casu non plus pecuniæ habet, quàm habebat ante rei emptionem, adeóque per hoc non est ditior factus. Contrà verò si possessor bonæ fidei rem alienam vendidit, quam gratis acceperat v. g. à fure sibi donatam, teneri tunc restituere totum pretium, quia toto eo pretio factus est ditior.

Colliges 3. Possessorem bonæ fidei, qui rem emit 20. fl. v. g. & 30. fl. eam vendidit, teneri decem florenos restituere, quia his factus est locupletior, & pretium justum rei venditæ est quasi fructus illius; si tamen rei venditæ excessus proveniat præcisè ex sua industria, ad nihil eum obligari, quia illud auctarium est pretium, seu fructus industriæ, ad eum pertinens, qui industriam adhibuit.

Colli-

Colliges 4. Non posse possessorem bonæ fidei à domino exigere pretium pro restitutione rei alienæ, etiamsi ipsemet eam emerit, quia sic rem domini venderet rei domino, quod juri naturali, & humano adversatur; potest tamen ipse pretium rei emptæ à venditore repetere, si conveniri possit; secùs sibi, suæque in emendo incuriæ imputare debet, si pretii jacturam facere debeat.

Colliget 5. Possessorem malæ fidei teneri rem domino restituere, si extat, aut ejus æstimationem si perierit, quantumvis casu, & sine ejus culpa interierit: imò etsi apud dominum res æquè erat peritura per injuriam alicujus tertii, quia præveniendo alterius tertii injuriam suscepit in se obligationem, quam alter tertius habuisset. Præterea resarcire debere domino omne aliud damnum emergens, & lucrum cessans, cujus damni causa ipse extitit, quia tenetur ex radice injustæ acceptionis dominum rei servare indemnem, eúmque in integrum, & ad perfectam æqualitatem restituere, ut docet communis DD. & patet ex *l. bonæ fidei, ff. de acquir. R. D.*



CASUS IX.

De Debitore impotente ad solvendum, & alienante rem in fraudem Creditorum.

Titius mercator post contracta multa debita videns se ad ea solvenda impotentem, prædium, quod 1000. fl. emerat, vendit 800. fl. Cajo scienti Titium impotentem esse ad contracta debita expungenda, & ex 800. illis florenis, 400. tradit Calmo genero suo in dotem filiæ suæ Theresiæ.

QUÆR. I. An Titius conscius suæ impotentiæ solvendi Creditoribus, licitè, ac validè prædium vendiderit?

QUÆR. II. An Cajus, sciens Titium impotentem esse ad solvenda! sua debita, peccaverit contra Justitiam emendo prædium Titii, & teneatur in foro conscientiæ ad restitutionem creditoribus faciandam?

QUÆR. III. An Calmus dotem à Titio sic acceptam teneatur restituere Creditoribus, & an, & qualis detur actio contra Filiam Theresiam post mortem mariti?

61 AD 1. Q. Dicendum est, Titium illicitè quidem egisse prædium ita alienando, contractum tamen probabiliùs validum fuisse. Ita cum pluribus Cajetan *tom. 2. tr. 6. cap. 4.* Molina *D. 328.* Lugo *D. 20. 5. 6.* Ratio prioris partis est, quia id factum est cum injuria, & in fraudem, ac præjudicium Creditorum; tunc enim in fraudem Creditorum censetur aliquid alienatum, quando debitor aliquid alienat, videns per eam alienationem non remanere sibi sufficientia bona ad debita solvenda, ut *Cod. & ff. quæ in fraudem Creditorum*, habetur. *Inst. quibus ex caus. manumit. non liceat in princ. & §. in fraudem; atque Inst. de action. §. Item si quis in fraudem &c.* Neque, ut alienatio facta censeatur in fraudem Creditorum, requiritur necessariò intentio & animus eâ viâ defraudandi Creditores, sed sufficit sola scientia, ut ex citt. jur. probat Molina l. c. Porrò satis convenit inter DD. etiamsi debitor sit jam impotens ad satisfaciendum omnibus Creditoribus, posse tamen

ab

ab eo per contractum oneroſum rem aliquam non hypothecatam alienari, & accipi, quando contractus ille nullatenus reddit debitorem magis impotentem, ut ſi debitor vendat domum pro pretio juſto, quod pretium expendere vult in rem aliam æquè, vel magis utilem ad ſolvenda ſua debita; quia tunc nulla fit injuria Creditoribus.

Ratio poſterioris partis, quòd ille alienationis contractus ſit validus, eſt, ut à pari arguunt citt. DD. contra Sotum *l. 6. de Juſt. q. 1. a. 4.* quia, qui vendit rem uni, & neque illam ei tradit, neque ſubjicit hypothecæ, & poſtea eandem rem vendit, & tradit alteri, ſecundus emptor in eo caſu comparat dominium illius, & contractus eſt validus ſed injuſtus, tam ex parte venditoris, quàm emptoris, ſi hic ſciebat rem eſſe alteri venditam, propter injuriam, quæ primo emptori irrogatur, qui tamen, quia ſolùm habebat actionem perſonalem in venditorem, & non realem in rem ipſam, non impedit, quominùs valida ſit ſecunda venditio, & dominium transferatur: ergò pari modo, in poſito caſu, quo prædium Titii debitoris non erat ſub dominio Creditorum, ſed alienantis, nec hypothecatum, nec ullum onus reale habebat, uti ſupponitur, ſed ſolùm actionem perſonalem contra debitorem, potuit ex voluntate Domini validè alienari, licèt id illicitè, & injuſtè factum ſit.

Ad 2. Q. An Cajus, non obſtante quòd dominium comparauerit, emendo prædium mala fide, ſeu cum ſcientia impotentiæ Titii ad ſolvendum, peccaverit contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur, variæ ſunt DD. ſententiæ, ut videre eſt apud Vaſquez de *reſtit. cap. 11. dub. 3.* 62

Molina l. c. ait. ſi ille, qui à debitore rem accipit, ex quo debitor impotens reddatur ad reſtituendum creditoribus, ſive eam titulo oneroſo, ſive lucrativo accipiat, ſciat, debitorem per hoc fieri impotentem ad ſolvendum ſuis Creditoribus, & tamen incitet & inducat debitorem ad ita alienandum in præjudicium, & damnum Creditorum, peccare contra Juſtitiam, & per conſequens teneri ex injuſta læſione ad reſtituendum Creditoribus pro damno dato; non ſecùs, atque is ad reſtitutionem teneretur, qui debitori ſuaderet, ne Creditoribus ſatisfaceret. Si verò ad id non incitet, ſed debitore offerente, ipſe acceptet rem oblatam, tunc ſi id, quod ita alienatum eſt, petatur à Creditoribus intrà annum à die ſcientiæ, teneri accipientem reſtituere id, quod accepit, vel ejus valorem, ſi non extet. Si

autem à Creditoribus non petatur id, quod ita in eorum fraudem accepit, vel petatur elapso jam anno à die scientiæ talis alienationis, nec in exteriori, neque in conscientiæ foro teneri ita acceptum restituere: Non in foro exteriori; quia jura in eo eventu solùm concedunt actionem rescissoriam intrà annum à die scientiæ talis alienationis, citt. §. *item si is in fraudem &c.* Leg. *penult. Cod. quæ in fraudem creditorum &c.* Unde si res non petatur, vel petatur elapso jam anno à die scientiæ, is, qui rem ita accepit, non cogetur illam in foro exteriori restituere.

Neque in foro conscientiæ; quia si non incitet debitorem, non peccat contra Justitiam, sed utitur jure suo intra Justitiæ limites, accipiendo, & suam efficiendo rem in se liberam, seu nulli alteri obligatam, cujus dominium per alienationem in se validam sibi comparavit, utendo peccato dantis in suum commodum; non secùs atque is, qui licitè accipit sub usuris, utitur peccato dantis in suum commodum; cùmque acceptatio jam supponat totam malitiam, positam ex parte debitoris, ea per acceptationem non augetur, nec causatur, sed ponitur duntaxat effectus illius malitiæ præcedentis. Huic sententiæ suffragatur etiam Less. *dubit. 19. n. 168.* cum aliis à se citt. additque, quando incitasti, & induxisti ad alienandum conscius impotentiæ debitoris, teneri te quidem ad restituendum, si verè hæc impotentia sit causa non solvendi; secùs si impotentia non sit causa, v. g. si debitor ea esset industria, ut posset facilè tantundem satisfacere, tunc enim, si non restituit, non est, quia alienavit, sed quia negligens est. Relicta hac opinione in sua probabilitate,

Dicendum nihilominus est cum 63
communi, & veriore sententia, eum, qui sciens rem alienari in fraudem Creditorum à solvere impotente, eam emit, in foro conscientiæ teneri ad restitutionem Creditoribus faciendam, non solùm intra annum, sed etiam anno jam elapso, quantum ex eo contractu læsi sunt Creditores, sive ad id inducat sive non inducat. Ita Lugo l. c. Vasq. *dub. 3.* citt. Rebell. *l. 1. de contract. q. 7. S. 2.* Bonacina *de restit. in gen. D. 1. q. 8. pun. 2.* Sylvest. Angelus Aragon. aliique apud Covar. *3. variar. cap. 3.* apud Azor. *3. p. l. 5. de usura c. 14.* & Valentiam *tom. 3. D. 5. q. 21. p. 3.* Ratio est; quia ille, qui mala fide accipit, seu conscius fraudis, & damni Creditorum, eo ipso peccat peccato injustitiæ contra Creditores; cooperatur enim sic accipiendo actioni injustæ damnificativæ, & impedimento, quo debitor reddit sibi impossibilem solutionem, & quidem cooperatur non indifferenter, sed determinatè, cùm facta tali alienatione, non sit in potestate debitoris postea solvere, vel non solvere: atque adeò adjuvat sic debitorem ad actionem injustam,

stam, & ad damnum injustè Creditoribus inferendum, quod nullo proprio lucro, aut emolumento excusari,aut justificari potest, cùm sit cooperatio omninò determinata,ex qua necessariò sequitur damnum Creditorum.

Confirmat id Lugo argumento ad hominem; nam si emptor inducat debitorem ad alienandum, peccat contra Justitiam, ut concedunt Adversarii; quia tunc est causa damni injusti Creditoribus illati: atqui non minùs tale damnum causat acceptando rem gratis, vel pro pretio oblatam, quàm si induceret: ergò etiam tunc delinquit contra Justitiam. Minor. prob. quia ad damnificationem Creditorum non minùs conducit acceptatio tua, quàm inductio. Si enim tu non acceptares rem,maneret adhuc penes debitorem,& ipse non esset impotens ad solvendum: ergò per acceptationem non minùs, quàm per inductionem cooperaris ad damnum, quod Creditoribus infertur; imò damnum,quod per oblationem debitoris solùm erat inchoatum,per tuam acceptationem perficitur,& ponitur in effectu.

64 Unde dicendum est, Cajum peccare contra Justitiam emendo prædium à Titio impotente ad solvendum suis Creditoribus, siquidem impotens erat tempore initi contractûs, & rei traditæ; nam si contraxit, quando Titius adhuc potens erat solvere omnibus, etiamsi postea fieret impotens ad solvendum, poterit rem promissam ab eo accipere,sicut alii Creditores, ut notat Vasq. *l. c. n. 72.* servato tamen ordine debito Creditorum,& proportione in solutione. Ex his colligitur responsio ad fundamentum adversæ sententiæ negantis,eum peccare contra Justitiam; peccat autem non ideò duntaxat, quia cooperatur malitiæ debitoris, sed quia cooperatur damnificationi Creditorum, & fugæ injustæ, qua debitor se liberare conatur ab eorum potestate ob impotentiam solvendi per eam alienationem causatam; & quia acceptans est causa alienationis efficacis, quæ intrinsecè constituitur ex acceptatione, atque completur tanquam exparte essentialiter requisita, ita ut neque acceptatio sine alienatione consistere posset, nec sine acceptatione alienatio, ut adeò sicut alienatio est injuriosa,ita & acceptatio.

Ad 3. Q. An Calmus ad re- 65
stitutionem dotis ita acceptæ teneatur?R. sub distinctione; vel enim Cajus dotem accepit conscius impotentiæ dantis, vel illius ignarus? Si Calmus dotem accepit conscius impotentiæ Titii dantis dotem,tenetur restituere Creditoribus ejusdem Titii, ut docent Navarr. *in manual. cap. 17. n. 21.* Lugo l. c. Molin; Sylvest. & alii citt. ob rationes suprà insinuatas de emptore sciente venditorem impotentem

esse ad sua debita solvenda ; si tamen dos data fuit filiæ eò, quòd talis dos necessaria fuerit ad decentiam statûs sustinendam, ita ut ea de causa possit debitor licitè, & justè cum præjudicio Creditorum restitutionem differre, vel omittere, eo in casu nec filia, nec ejus Vir ad aliquid tenebuntur ; sicut nec alii, qui ob similem causam aliquid à debitore accipiunt. Si verò gener non scivit, dotem datam fuisse in fraudem Creditorum, tunc dabitur quidem actio rescissoria contra filiam post mortem viri, sive ipsa conscia fuerit, sive non fuerit, non tamen dabitur adversùs generum durante matrimonio. Ratio discriminis est, quia ipse non habuit dotem titulo lucrativo, sed titulo oneroso ; filia verò titulo duntaxat lucrativo, uti habetur, *l. ult. §. si à socero, ff. quæ in fraud. Cred.* contra quam proin datur actio, quæ durat solùm per annum à scientia Creditorum, ut suprà insinuatum est. Quod si filia haberet filios superstites ex viro suo defuncto, non cogeretur juxta Molinam, & alios, restituere dotem, quia si revocaretur dos, redundaret id in damnum filiorum, & per consequens in damnum viri, qui eam dotem titulo oneroso accepit.

Porrò notandum est, quando 66
prædicta rescissoria actione aliquid idcirco reddendum est, quòd in Creditorum fraudem fuerit alienatum, reddendum esse cum fructibus, quos, quando alienatum est, habebat pendentes, esto maturi tunc non essent. Reddendum præterea esse cum fructibus, quos à puncto contestatæ litis, qua, actione rescissoria, id repetitur, habuerit ; Fructus verò reliquos medio tempore perceptos non esse restituendos, sed ad possessorem rei illius eo medio tempore pertinere, uti habetur *l. ul. §. si procurator vers. non solùm. ff. quæ in fraud. Credit.*

CA-

CASUS X.

De observatione somniorum, & restitutione pretii pro exercitio magicæ artis accepti.

DAmpinus somniis suis, quæ frequenter habet, non modicam fidem tribuit: Vnde quoties noctu de rixis, & homicidiis somniat, die sequenti domi manere solet, ne aliquod infortunium sibi accidat; cúmque non nunquam somniâsset, pecuniam sibi furto sublatam fuisse, & arcam pecuniariam semel lustrasset, advertit, revera magnam pecuniæ summam furtim ablatam fuisse: Quare illicò maleficum adit, & oblatis 50. fl. ut sibi furem indicet, ab eo petit.

QUÆR. I. An, & quale peccatum sit somnia observare, iisque credere?

QUÆR. II. Unde dignosci possit, quòd somnia aliquos eventus futuros significantia sint à Deo, vel à Dæmone?

QUÆR. III. An pretium, receptum pro usu, & exercitio artis magicæ, sit restituendum, præsertim si effectus, ob quem datum est, non obtineatur?

67 ANte 1. Q. Resolutionem præstat nôsse, ac notâsse, somnia à diversis causis provenire posse, iisque partim corporalibus, partim spiritualibus, ut notat S. Thom. *2. 2. q. 95. a. 6.* & fusè tractat Greg. Nyssen. *l. de hominis opific. cap. 13.* quæ ad duplicem corporalem, duplicémque Spiritualem reducuntur. Corporalis alia est interior, exterior alia, quæ vel est corpus circumstans, vel Cœli temperies, quæ aliquando solet phantasiam ita immutare, ut ad illius similitudinem somnia succedant. Interior, ac præcipua naturalis causa somniorum est dispositio, affectio, & temperametum corporis humani; si enim istud abundat sanguine, læta somniantur; turpia, si spermate abundat. Si atra bilis prædominatur, tristia repræsentantur; si verò flava bilis prævaleat, pugnæ, rixæ, & lites cogitantur. Si phlegma redundat, fontes, flumina imbres

imbres &c. objiciuntur. Si quis siti laborat, se bibere cogitat, si fame, epulas apprehendit.

Proprietates porrò temperamentorum corporis humani, quæ aliud non sunt, quàm temperies, seu mixtura primarum quatuor qualitatum, hisce versibus in compendio expressit Anton. Zenno Policola.

Sanguineus. Largus, amans, hilaris, ridens rubeíque coloris,
Cantans, Carnosus, satis audax, atque benignus.

Choleric. Versutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Impiger, & gracilis, siccus, croceique coloris.

Phlegmat. Hic somnolentus, piger, ac sputamine plenus,
Est hebes huic sensus, pinguis facies, color albus.

Melanch. Invidus, ac tristis, cupidus, dextræque tenacis,
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

Spirituales autem causæ somniorum, una pariter est intrinseca, extrinseca alia. Intrinseca est cogitatio præcedens habita in vigilia, & habitus ex ea genitus, causans in phantasia similes repræsentationes; secundùm enim studia, ut ait D. Augustin. *l. de spiritu, & anima, c. 25.* quæ quisque exercuit, somniat, & solitarum artium simulacra in præsentia mentis impressa apparent in somnis. Extrinseca verò somniorum causa vel est bonus, vel malus spiritus; sæpè enim à spiritu bono somnia immittuntur, non solùm piis hominibus, ut Joseph, Jacob, Danieli, & aliis; sed etiam sceleratis, ut Pharaoni, Nabuchodonos. Aliquando verò à malo spiritu causantur, Dæmone scilicet humores corporis permutante, & permiscente, quibus sic permixtis somnia, quæ tibi arrident, immittit. His præmissis.

Ad 1. Q. R. 1. Somnia observare quatenus bonam, vel malam corporis affectionem, & temperamentum indicant, licitum est, & culpâ caret; ut notat Suarez cum aliis *l. 2. de superst. Cap. 13. n. 6.* quia somnia habent virtutem naturalem ad indicandum humorem prædominantem, & ita Medici somnia infirmorum perconctantur, ut humor prædominans cognoscatur. Pariter licitum est investigare, à qua causa somnia, quæ nos crebrò infestant, territant, conturbant, proveniant, ut rationem aliquam ineamus eam molestiam à nobis depellendi, exemplo veterum Patrum & Monachorum causas somniorum diligenter investigantium, 68

tium, ut notant Cassianus *collatione 22. Dilrio l. 4. disquis. magic. c. 3. q. 6. concl. 3.* Suarez l. c. & alii.

R. 2. Somnia observare; tunc illicitum est, quando extendunt se ad ea, quæ per ipsa cognosci nequeunt, ut sunt velle per ea cognoscere futura contingentia, vel quæ ex arbitrii libertate pendent, certiùs quàm ex somniis cognosci valeant, atque adeò quoties probabile non est, somnium à Deo esse, peccatum grave est ex illo prænotionem futuri eventûs, vel alicujus effectûs occulti colligere, ut tradunt Suarez *l. c. n. 25.* Less. *n 52.* Valent. *D. 6. q. 12. p. 3.* Sanch. *l. 2. c. 38. n. 53.* Palao *D. 1. p. 5. n. 6.* aliique communiter. Rario est, quia cùm ex somniis nequeat haberi de futuris contingentibus, nisi ad summum levissima conjectura, suspicionis limites non excedens, nec ipsum somnium effectus illos significare possit, ex impositione causæ Superioris, scilicet Dei vel Dæmonis provenire necesse est: si igitur probabile non est, somnium à Deo assumi ad significandos tales effectus, restat, ut à Dæmone significationem habeat: ergo ex tali significatione effectum prænuntiare, est instructionem Dæmonis expectare, & ejus disciplinæ se subjicere; ideoque gravissimè peccas, si per somnium procures prænotionem futuri eventûs, aut effectûs occulti, quemadmodum procurabant Gentiles, qui certa dispositione, modo, & situ ad somnum se componebant, ut sibi per somnia revelarentur occulta; est enim hoc Dæmonis instructionem procurare, & exspectare, tametsi dicas, nolle te ab eo instrui, sed à Deo; quia facto ipso, quod vanum est, Dæmonem invitas, atque invocas. Credere tamen aliqualiter, & aliquando somnio, seu aliqualiter ex illo timere aliquid adversi, vel sperare prosperum, à peccato gravi excusant Suarez, *n. 25.* Less. *n. 53.* Palao *l. c.* Navar. *cap. 11. n. 33.* Cajetan. *V. somniorum observatio*, Sanch. *l. c. n. 22.* quia cùm à Deo id esse possit, licèt regulariter non sit, occasionem præbet alicujus suspicionis, unde venialiter duntaxat te peccare, ajunt, si semel, vel iterum ob somnium habitum facias aliquid, vel omittas, modò non sit aliunde obligatorium, & contra aliquod præceptum; graviter verò te delinquere, si continuò à somniis ad operandum movereris, eò quòd tunc convincereris, fidem somniis habere majorem, quàm par est, quámque per ea cognosci potest.

Quare meritò Cajetan. *2. 2. q. 95. a 6.* testatur, se nunquam somniis variis sibi contingentibus fidem aliquam habere ausum, quamvis interdum eorum veritas effectu sit comprobata; quòd vel casu res postea sic accidat, vel id procurante Dæmone, ut faciliùs ad

fidem somniis habendam homines attrahat: unde rectè Valentia *citt. q. 12. p. 3.* ait tunc vel maximè cavendum esse, ne somniis assentiamur, cùm eventu comprobari videntur, ob ante allatam rationem.

69 Ad 2. Q. discernere à qua causa somnia proveniant, an scilicet à naturali, anue à Deo, vel à Dæmone, perquàm difficile est; cùm enim à qualibet ex his causis possint provenire, quis de illis justum, tutúmque feret judicium, & conjecturam? Unde Confessarii, & prudentis, probíque Viri erit, ea, eoque modo, iisdemque regulis discernere, quibus divinæ revelationes â falsis discernuntur ut ait Delrius *l. c. concluſ. 5.* ubi fusè explicat, quibus indiciis divina revelatio à Diabolica secernatur.

Valentia cum aliis l. c. breviter duo indicia, seu signa affert, ex quibus id conjectari possit, desumpta ex somniorum fine, & effectu, quem somnia post se relinquunt.

Primum est, considerare, ad quid somnium impellat, si enim somnia sint inhonesta, vel ad malum impellant, aut animum turbatum, vel tepidum, & ad virtutem indispositum relinquant, haud obscurum est indicium, ea à malo spiritu immitti.

Secundum. Si somnia sint honesta, & hominem promptiorem reddant ad benè operandum, animúmque serenum, ac pacatum relinquant, probabile est indicium à Deo provenire non tamen certum; cùm sæpe Dæmon in Angelum lucis se transfiguret, ut faciliùs postea decipiat, & vana, ac falsa ex somniis suadeat, & repræsentet. Quandò autem facta investigatione dubium est, an somnium sit à Deo, vel à Dæmone, tutissimum est, illud, ut à Diabolo immissum, contemni, ut docet citt. Delrius cum aliis; Quia Deus, cùm aliquid per somnum significare intendit, solet talibus circumstantiis somnium vestire, ut de eo somniantem certùm reddat, ut notat cum aliis citt, Suarez *cap. 13. n. 20.* Quapropter consilio Confessarii, vel prudentis Viri in hac parte standum erit, neque proprio judicio fidendum.

Ad 3. Q. an pretium receptum 70
pro usu, & exercitio magicæ artis sit restitutioni obnoxium? Respondent aliqui cum Gratiano *cap. qui habetis 14. quæst. 5.* illud, tanquam turpe lucrum, restituendùm esse pauperibus, præsertim si effectus intentus non obtineatur. Tum quia est malè acquisitum & videtur tunc cessare voluntas concedentis, tum quia ob turpitudinem commissam videtur dans privatus esse jure illud recuperandi. Sed Meliùs alii distinguunt cum Sanch. *l. c. n. 96.* Palao *l. c. p. 13.* aliisque; & quidem si maleficus suæ artis conscius, operam suam apposuit, & media, quæ sibi

sibi visa fuerunt sufficientia ad effectûs consecutionem, non tenetur pretium receptum restituere in conscientia, nisi ad id condemnetur; quia pretium non fuit datum sub conditione, ut effectus obtineretur, sed sub conditione, ut divinaretur, seu ut maleficus operam suam & media secundùm regulas suæ artis ad effectum consequendum apponeret; sicut pretium, quod datur Medico, non datur sub conditione, ut infirmo reapse restituat sanitatem, sed ut illi procuret salutem per apta media secundùm regulas suæ artis medicæ: ergo si maleficus, vel divinator operam suam, etsi turpem & media apposuit, & arte Diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere; acceptum enim pro opere turpi juxta veriorem sententiam non est obnoxium restitutioni; neque etiam tenetur, etsi res non ita evenerit, quando ipse diligentiam suam adhibuit arte Dæmonis ad eum effectum necessariam, utpote pretio æstimabilem, idque ob rationem paulò ante insinuatam, sicut Medicus non tenetur pretium restituere ægro, etsi hic non recuperet sanitatem, quando juxta præcepta suæ artis applicuit medicamenta, quæ ad eum effectum apta, & idonea videbantur.

Si verò maleficus ignarus suæ artis magicæ nullam operam apposuit, aut ex malitia media ad effectûs consecutionem noluit apponere, ut id arte Diaboli sciret, quod nullo alio pacto sciri potuit, haud dubiè tenetur pretium restituere danti; utpote qui deceptus est, siquidem pecunia datur propter operam à malefico impensam, & quidem utilem ad effectum consequendum, quod tamen factum non est. Et quamvis dans, seu ita consulens maleficum deliquerit offerendo pretium pro re turpi, verior tamen sententia, teste Sanch. citt. docet, restituendum id illi esse, donec per sententiam, ut datum pretium amittat, condemnetur.

CASUS XI.

De restitutione famæ defunctorum, rerúmque iisdem furtô sublatarum.

TOrquatus miles gregarius defunctum Ducem suum acatholicum ad tumulum cum aliis comitatus advertit, eum tumulo inferri indutum satis pretiosis vestibus, quàpropter subsequente nocte tumulum adit, & effossum cadaver vestibus expoliat, & composito, ut priùs, tumulo aufugit, de quo etiam non nulla postea spargit, & evulgat, quæ non leviter defuncti famam imminuunt.

QUÆR. I. An, qui mortuis etiam damnatis, graviter detrahit, graviter peccet contra Justitiam, & ad restitutionem teneatur, et si tenetur, cui, & quomodô facienda sit famæ restitutio?

QUÆR. II. An, & cui vestes, & alia, cum quibus defuncti humati sunt, furtò sublata, restituenda sint, & quæ pœna ejusmodi furibus jure Statuta?

QUÆR. III. An liceat Catholicis comitari funus hæretici cognati sui, aut amici?

71 AD 1. Q. 1. membrum sciendum est, detractionem esse occultam, & injustam denigrationem, seu læsionem famæ propriæ, vel alienæ, occultam, inquam, ad distinctionem contumeliæ, quæ non occultè, & in absentia, sed in præsentia illius fit, cujus honor violatur, quæque proin differt specie à detractione, sicut rapina à furto differre dicitur. Fama porrò est bona communis opinio de aliquo circa aliquod ipsius bonum, quæ lædi potest & factis, & verbis, factis, ut si v. g. adulterium Bertæ manifestes, appendendo cornua ante januam domûs, quo facto, & uxoris, & mariti famam graviter lædis. Verbis verò, variis modis fama per detractionem lædi potest, qui ex S. Th. *q. 73. a. 1. ad 3.* ad octo reducuntur, hisce versibus comprehensos.

Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

Vi-

Videlicet 1. imponendo alteri crimen falsum.

2. Augendo, & amplificando verum crimen. 3. Manifestando, ac revelando crimen occultum. 4. Benè factum in malam partem, seu sinistrè interpretando, ac temerè exteriùs judicando. 5. Negando rectè facta & bonum alterius. 6. Diminuendo merita, & laudes alterius. 7. Silendo, & reticendo bonum alterius, quando manifestari deberet. 8. Ita frigidè laudando, ut hoc cedat in diminutionem famæ, & vituperium ipsius, qui laudatur.

Primis quatuor modis directè læditur fama proximi, reliquis indirectè.

Porrò detractio est peccatum mortale ex genere suo, ut docet communis DD. quia ex natura sua infert damnum notabile proximo in fama; sicut enim peccatum mortale est, auferre alteri pecunias, ita multò magis est peccatum mortale auferre famam proximi per detractionem, cùm melius sit bonum nomen, quàm divitiæ multæ, *Proverb. 22.* Sæpe tamen est, aut esse potest, peccatum duntaxat leve ratione inadvertentiæ, & indeliberationis, vel ratione parvitatis materiæ, ut si levem tantumodo defectum, aut veniale peccatum de aliquo manifestes.

Sciendum 2. ad hoc ut aliquis ad famæ restitutionem teneatur, requiri sequentia. 1. Ut fama verè fuerit ablata, & infamia re ipsa secuta. 2. Ut infamatus alia via famam amissam non recuperaverit, aut obligationem non remiserit. 3. Ut qui famam alienam verè læsit, contra Justitiam peccaverit eam lædendo non solùm materialiter, sed etiam formaliter Justitiam transgrediendo: Unde qui licitè famam proximi lædit, utendo jure suo, vel illicitè quidem, sed contra solam charitatem v.g. ex odio & animo nocendi ad restitutionem non tenetur, uti nec ille, qui invincibiliter ignorat se nocere famæ alienæ, nisi hic post famam injustè materialiter læsam, eam sine suo detrimento resarcire posset. Tunc enim teneretur, eò quòd causa fuerit damni eo modo dati, & in ejus potestate sit eam causam auferre, & impedire, ne datum damnum ulteriùs serpat, & continuetur. His præmissis,

Ad 1. Q. an referre grave delictum alicujus defuncti, seu graviter detrahere de fama alicujus mortui, peccatum sit mortale, & contra Justitiam? Ratio dubitandi est, tum quia qui non est, non habet jus, quod per injuriam lædi possit: homo autem post mortem jam non est, sed fuit, atque adeò non habet jus ad famam, sed habuit, quod non respicitur à Justitia; nam hæc non respicit jus, quod quis habuit, 72

sed quod habet, ne illud lædatur. Tum quia homo, qui jam non est, non plus entitatis habet, quàm homo merè possibilis, qui nec fuit, nec erit; atqui si de tali homine merè possibili multa diceres crimina, non peccares contra Justitiam: ergo &c. Sed respondendum est, graviter delinqui contra Justitiâ, & obligationem induci ad famæ restitutionem, saltem si non constet, defunctum, cui detrahitur, damnatum esse. Ita Molina *tom. 5. tr. 4. D. 28.* Less. *cap. 11. dub. 21.* Lugo *D. 14. Sect. 4.* Rebell. *l. 4. de restit. q. 3.* Azor. *3. p. l. 13. c. 4. dub. 9.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 2.* aliique communiter.

Ratio est, quia per gravem detractionem gravis quoque injuria defuncto infertur, dum bona opinio, quam habet apud homines, eidem aufertur; homo enim etiam post mortem censetur possidere suam famam, & per illam vivere in hominum memoria, atque adeò bonum nomen etiam post mortem bonum est valde appetibile, & æstimabile, cujus obtinendi gratiâ homines in hac vita & multa egregia agunt, & plura patiuntur. Idque verum est non solùm, quando gravis infamia redundat in alias personas, illi conjunctas, sed etiam si in alios nihil omninò redundaret, quia per injustam famæ læsionem ipsi defuncto injuria irrogatur, quæ fama etiam post mortem est quoddam illius bonum æstimabile, ad cujus proin injustè ablati restitutionem gravis datur obligatio.

Excipit Molina l. c. cum Maldero aliisque, nisi constaret defunctum damnatum esse, neque damnum illius famæ illatum redundare in alios illi conjunctos; quia damnati jam sunt hostes Dei, & nostri, nec sunt ampliùs proximi nostri, undè Justitiæ obligatio, quæ solùm proximum respicit, ad damnatos non extenditur. Hinc dixi suprà saltem si non constet, defunctum damnatum esse. Contrarium tamen, æquè, vel magis verisimiliter tuetur Lugo l. c. cum Bonac. l. c. Salon. & aliis. Ratio est, tum quia damnum injustè illatum resarciendum est per restitutionē) nisi creditor voluntariè eam obligationem remittat.

Tum quia sequeretur, te posse sine culpa gravi dicere de hæretico nobili nunc mortuo, fuisse perduellem contra Regem, parricidam &c. Sine ullo veritatis fundamento; non enim ex eo, quod damnatus sit hostis Dei, habemus jus ad imponenda illi falsò alia crimina; sicut nec ex eo, quòd aliquis sit hostis Reipublicæ possumus statim sine gravi scrupulo eum infamare in omnibus materiis alia quæcumque crimina illi imponendo; uti nec peccatorem ex eo, quod sit Dei inimicus. Nec constat, Deum per sententiam suam condemnatoriam privâsse adhuc damnatos bono famæ,

mæ, quam apud homines justè possident. Et ratio ulterior à priori est; quia etsi damnatus non sit jam ordinatus ad eundem finem supernaturalem, manet adhuc tamen proximus noster quoad naturam humanam. Unde

Ad rationem dubitandi suprà insinuatam R. hominem mortuum, quamvis jam non sit homo, retinere tamen eandem voluntatem in anima adhuc superstite, in qua residet dominium morale, & jus ad famam, quod proin læditur per detractionem. Et hinc homini merè possibili ideò non fit injuria, quia per nihil sui est; uti nec homini futuro quà tali, quia illius anima nondum existit, quæ capax sit juris, quod lædatur.

73 Ad 2. Q. 1. membrum cui facienda sit famæ restitutio? R. in foro conscientiæ, non hæredibus aut consanguineis, sed ipsi defuncto restitutionem famæ faciendam esse, nisi etiam in eos redundaret; nam si cum defuncti fama, læsa etiam esset fama filiorum, aliorúmve conjunctorum, tunc utique & ipsis restitutio deberetur, non quidem famæ defuncti, sed famæ ipsorum unà cum defuncti fama injustè læsæ. Ratio est tum quia restitutio facienda est illi, qui damnum injustè patitur: Tum quia bonum famæ, & honoris non est transferibile ad hæredes, neque hi hæreditario quodam jure ad ea bona jus habent; atque adeò restitutio pro infamia, quatenus defuncto est injustè illata in foro conscientiæ non ipsis consanguineis debetur, sed ipsi defuncto, quamdiu infamia perseverat. Pro foro tamen externo, quando injuria quoad honorem, & famam facta fuit defuncto post illius mortem, ad hæredes, & consanguineos pertinet, intentare pro ea injuria actionem, eámque prosequi, ut notat citt. Molin. *D. 38. & 45.* uti etiam pro casu, quo defunctus actionem injuriarum intentaverat pro fama sibi læsa, & lite contestata è vivis excessit. Idque Jure Civili meritò sancitum est, ut ea injuria, atque infamia defuncto illata non maneret impunta, essetque, qui in hac vita partes defuncti ea in re ageret.

Porrò defuncto fama restitui potest, retractando, & revocando 74
quod falsò de illo dixeras, vel laudando defunctum in aliis ejus bonis, ut hac via tantum famæ, seu bonæ æstimationis illi accrescat, quantum illi detraxeras: vel si crimen verum sed occultum sit, dicendo, te malè dixisse, errâsse, injuriam illi fecisse, alióve utendo modo ex alibi insinuatis; Melius tamen hîc videtur, ut censent Molin. Rebell. Bonac. & alii; si restitutio defuncto fiat potiùs per exhibitionem suffragiorum & bonorum spiritualium, quàm alia ratione; quia hæc

magis

magis proficua, & accepta illi erit, quàm alia satisfactio.

75 Ad 2. Q. R. furantes vestes, aut alia, cum quibus defunctus humatus est, teneri utique non solùm ad restitutionem ablatorum, sed etiam ad compensandũ damnum, si quod, ut eas furarentur, illatum fuit, idque non solùm in foro conscientiæ, sed ad id in foro quoque externo cogendos, & puniendos esse, *l. Prætor ait, §. adversus ff. de sepultur.* Juxta quam hujusmodi fures, si id armati more grassatorum efficiant, morte plectuntur; si verò sine armis, ad metalla damnantur.

Qui verò corpora defunctorum, seu eorum ossa in contemptum de sepulchro extrahunt, proiiciunt, aut aliter inhonorant, si humiliores sint, morte plectuntur; honestiores verò ad metalla damnantur, vel relegantur, pro majore, vel minore delicti, & injuriæ illatæ gravitate: Ob injuriam autem defuncto illatam, si vel quoad corpus illius, vel quovis alio modo ita ad contemptum, & infamiam illius pertingat, ad hæredes defuncti pertinet, intentare actionem injuriarum. *l. 1. §. etsi fortè, ff. de injur.* eò, quòd unum cum defuncto, in cujus bonis succedunt, reputentur.

76 Porrò cui sic ablatorum restitutio facienda sit, an ipsi defuncto per suffragia, an hæredibus, aut ecclesiæ? ex eo pendet, ad quem hujusmodi vestes & alia, cum quibus defuncti humati sunt, pertinere censenda sint. Qua in re videtur, eas res ad illam Ecclesiam spectare, eidemque acquiri, in qua de jure defunctus sepeliendus est, ut cum aliis censet Bonac. *D. 3. q. 21. p. 4.* quia sunt veluti sequela cadaveris, & accessorium, quod sequitur suum principale, scilicet cadaver, quod ad Ecclesiam pertinet: Unde si defunctus in aliena Ecclesia sepultus fuit, in qua non erat sepeliendus, cadaver, seu ossa restituenda sunt cum omnibus oblationibus illi Ecclesiæ, in qua de jure defunctus sepeliendus erat, nisi amicabilis conventio fiat, ut colligitur *ex cap. ex parte, & cap. in nostra de sepultr.* & tenent communiter DD. cum Sylvest. *V. sepultura, n. 11. vers. secundum.* & ratio est, quia nihil retineri potest invito eo, cui debetur. Cæterùm regulariter loquendo quilibet sepeliendus est in sua Parochiali Ecclesia, nisi sepulturam alibi elegerit, aut nisi aliud ferat locorum consuetudo, *cap. is qui, cap. cum quis,* & *cap. licet, de sepultur. in 6.* nam jus sepeliendi communi lege competit Ecclesiæ Parochiali, in qua recipiuntur sacramenta.

Quod si sit Viator, sepelitur in Cathedrali, aut Parochia, in qua decedit, & quidem si pauper sit, gratis sepeliendus est à Parocho, juxta

juxta declarationem S. Cardinal. Congreg. apud Jul. Lavorium *l. vaiar. tit. 2. c. 11. & 16.*

77 Ad 3. Q. R. cum Laym. Bonac. Becam. & aliis, in iis locis, in quibus Catholici cum Acatholicis permixti vivunt, usu receptum esse, ut Catholici ad sepulturam comitentur cadaver sui cognati, & amici hæretici. Tum quia id obsequii præstant causa necessitudinis & cognationis; tum quia talis cooperatio ad sepulturam valdè remota est, & materialis, & idcircò ejusmodi comitantes non veniunt nomine sepelientium, ut docet Gloss. in *Clement. 1. verb. sepelire,* cum Navar. *cap. 27. & l. 5. Consil. 12. de hæret.* Tum quia talis comitatus cognationis, & necessitudinis causâ præstitus, potiùs ad communicationem politicam, quàm ad spiritualem spectat. Imò teste Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 4.* in quibusdam Germaniæ locis, ubi Catholici cum Acatholicis permixti vivunt, ex diuturna consuetudine sepeliuntur Acatholici à suis Ministris in locis sacris, quæ tamen consuetudo, si posset, utique tollenda esset, & curandum, ut Catholici sacrum sepulturæ locum ab Acatholicis separatum haberent, ut notat. citt. Laym.

CASUS XII.

De dote, & pactis dotalitiis.

Berta indotata egit cum Cajo cognato suo, ut mutuò sibi daret 200, fl. quos cùm accepisset, adiit Titium alterum cognatum suum, eique ostensis 200. fl. subjecit: ecce hos 200. fl. donaturus spopondit mihi Cajus frater tuus, si & tu centum adjeceris, ut honestum mihi oblatum matrimonium consequi possim. Quo audito adptomisit Titius petitos centum florenos, sed cùm eos statim solvere non posset, pactum fecit cum ejus sponso Bertoldo, daturum se singulis annis 5. fl. pro censu eousque, donec promissos 100. fl. persolveret. Annuit Bertoldus sponsus, & matrimonium init cum Berta, eo pacto, ut si ipse moreretur improlis, vel si ipse & nascituri liberi ante ipsam è vita excederent, ipsa Berta hæres esset omnium suorum bonorum. Contracto ita matrimonio post annum vix elapsum moritur Bertoldus maritus, relictâ post se unicâ filiâ, paulò pòst Patrem secutâ & Bertâ viduâ, quæ etiam post mortem mariti pergit adhuc exigere 5. fl. annuos, quousque Titius Cognatus centum sibi in dotem promissos persolvat.

QUÆR. I. An Berta in conscientiæ foro obliganda sit ad restitutionem centum fl. à Titio cognato ita obtentorum?

QUÆR. II. An Berta possit tutâ conscientiâ exigere post mortem mariti, & accipere 5. fl. annuos quoad usque centum fl. promissi persolvantur?

QUÆR. III. An pactum Bertoldi cum Berta fuerit nullum ob inæqualitatem dotis cum contradote?

78 AD 1. Q. pro pleniore intelligentia notandum est, causam, quæ movet, posse esse extrinsecam, seu impulsivam tantùm, vel finalem & Principalem. Causa tantùm impulsiva vocatur, quæ movet quidem voluntatem in genere causæ finalis adeò scilicet, ut nisi

nisi ab ea voluntas etiam impelleretur, sæpè non vellet, vel etiam contrarium vellet, non tamen movet principaliter. Contrà verò causa propriè finalis ac principalis est, quæ per se movet voluntatem tanquam substantialis pars objecti ejus, atque adeò ex se sufficiens est ad movendam voluntatem, ut velit suum actum firmum, & efficacem esse, si causa illa seu motivum subsistat, etsi fortasse alia secundaria, & adjuncta non subsistant.

Notandum 2. ex Molina *D. 209.* aliud esse, conferentem in ea esse dispositione, ut si sciret causam, ob quam confert, non subsistere, re vera non conferret; aliud verò esse in ea dispositione, ut si sciret causam non subsistere, vellet collationem nullam esse. Hoc secundum invalidam reddit gratuitam collationem; sed primum non semper facit invalidam. Multi quippe sunt, qui, si scirent causam, à qua ad conferendum moventur, vel falsam esse, vel non esse tantam, quantam existimant, re vera non conferrent, quod conferunt, & tamen postquam semel contulerunt, animum non habent, ut invalida sit dispositio: Qualis porrò fuerit donantis animus, atque intentio, tum ex quantitate rei datæ, tum ex affectione, & liberalitate dantis tum ex aliis circumstantiis judicandum erit. His præmissis, ac notatis.

R. ad Q. 1. cum Laym. *tr. 4. c. 5.* 79
Bertam, nisi aliud aliunde constet de intentione donantis Titii, à restitutione acceptæ pecuniæ excusandam esse. Ratio est, quia licèt Titius errore illo impulsus fuerit ad dandam illam pecuniam Bertæ in dotem adeò, ut si illa deceptio ei priùs innotuisset, minimè forsan dedisset, attamen videtur absolutè, & simpliciter donâsse, ob sufficientem causam dandi, quam habuit propriè finalem, & objectivam, videlicet, quia ipse cognatus est & dives; Berta autem pauper, & indigens, cujus idcircò indigentiæ succurrere voluit dotem suppeditando, ut sic honestum sibi oblatum matrimonium consequi posset.

Ad 2. Q. An Berta tutâ conscientiâ possit exigere, & accipere 80
5. fl. annuos quousque tota summa persolvitur, respondet Cajetan. negativè *2. 2. q. 78. a. 2. ad sext.* Rationem dat.

1. Quia in *cap. Salubriter de usuris* id solùm permittitur marito, cui, superstite dote, incumbit onus alendæ familiæ; interrogatus enim ibi Papa Innoc. III. num, qui uxorem duxit, certa dote sibi à socero constituta, qui pecuniam tunc temporis non dederat, sed genero quasdam possessiones in pignus tradiderat, quousque dos esset illi persoluta, possit accepti pignoris fructibus gaudere, aut potiùs eosdem

debeat in sortem computare, respondit summus Pontifex, non esse in sortem computandos, sed à genero absque usura percipi posse, cùm frequenter dotis fructùs non sufficiant ad onera matrimonii supportanda, cujusmodi onus est, ut maritus uxorem, & familiam alat, integra, & salva persistente semper dote, id, quod in aliis oneribus non contingit: ubi ususfructus pignoris universaliter computandi sunt in sortem. Cùm ergo illa concessio marito facta à jure sit exorbitans, non est ad mulierem viduam extendenda.

2. Quia cessante causa, cessat effectus, & id, quod non est, non potest effectum operari: atqui mortuo marito non est matrimonium, ob quod dos, & lucrum dotale conceditur: ergo non poterit Berta ꝑ. illos fl. exigere & accipere absque labe usuræ. Nihilominus Dicendum est cum Soto *de Just. l. 6. q. 1.* Bald. *C. unde vir, & uxor l. 1. fi.* & communi aliorum. Posse Bertam tutâ conscientiâ mortuo marito quotam illam exigere, & accipere, etiamsi in viduitate persistat, usque dum illi dos persolvatur. Ratio est, quia majus onus incumbit mulieri viduæ, quàm nuptæ; siquidem viduæ incumbit onus gubernandæ familiæ, filiosque alendi, ac statum ejus, cujus erat uxor, honestè, & honorificè conservandi: si ergo id poterat exigere, & accipere maritus ad alendam uxorem, cur non poterit Berta vidua ad alendum se simul & filios?

2. Quia, ut notat Bald. *l. c.* viduæ dicuntur habere dotem, non alia ratione, quàm, quòd matrimonium, etsi quoad vinculum post mortem viri sit dissolutum, remaneat tamen virtute quoad onus alendæ familiæ, & statûs dignitatem conservandi: ad hoc igitur onus sublevandum, interim dum dos sibi non persolvitur, poterit portionem dicto oneri convenientem singulis annis percipere, & quidem absque periculo labis usurariæ, cùm hujusmodi lucrum ultra sortem non accipiat ob solutionis moram, aut lucri cessantis rationem, vel temporis prorogationem, sed ob alimenta jure matrimonii sibi debita, propter quæ dos conceditur, qua non data jus alimentorum non amittitur. Unde

Ad rationes in contrarium R. ad 1. n. a. nam licèt id lucri concedatur ibi marito ratione oneris matrimonii, negandum tamen non est, etiam post mortem mariti non remanere ulteriùs in vidua onus alendæ familiæ, & statûs maritalis honestatem conservandi, ratione cujus poterit vidua, cui dos non solvitur, ad illud sublevandum convenientem quotam singulis annis percipere, donec ipsa dos persolvatur; manente enim eadem causa, debet idem effectus pro-

produci; causa verò concessionis lucri in matrimonio, quando dos non solvitur, est onus matrimonio ex natura rei annexum, quod perseverat etiamnum in vidua, & licèt matrimonium sit dissolutum quoad vinculum per mortem viri, manet adhuc tamen virtute quoad onera prædicta: Quando autem dicitur, dotem non esse, nisi sit matrimonium, intelligendum id est, nisi verè sit aut fuerit matrimonium, quod ratio dotis includit. In vidua autem verum præcessit matrimonium, ratione cujus obtinuit dotem, qua salva, tanquam suo, & filiorum patrimonio sustentari debet. Ex his patet etiam responsio ad 2. rationem in contrarium allatam.

8 Ad 3. Q. Videtur pactum Bertoldi cum Berta nullum esse, atque adeò Bertæ non competere jus ad successionem bonorum mariti defuncti.

Ratio est 1. quia non succedit ratione contradotis, seu donationis propter nuptias; in contradote enim, seu donatione propter nuptias servanda est æqualitas, ita ut contradotis quantitas dependeat ex conventione, quantum dotis uxor dare, & maritus accipere velit: *argum. Leg. si ego, §. 3. ff. de jure dotium. l. si constante 19.* Item *authent. æqualitas*: In posito autem casu non servatur æquilitas à lege requisita, ut scilicet quanta dos marito constituitur, tanta vicissim donatio propter nuptias uxori decernatur; cùm bona mariti longè excedant dotem uxoris. Neque succedit Berta ratione pacti, aut contractûs privati; tales enim contractus, cùm lites foveant, non respiciuntur, nec ullum jus conferunt, nec pacta disparia inter conjuges valent. 2. Quia donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum prohibita est, & nulla per *l. stipulatio hoc modo concepta, ff. de verb. oblig.* talis autem videtur esse donatio Titii Bertæ nuptiarum causâ facta: ergo.

Confirmatur ex *l. licèt 19. C. de pact. l. hæreditas 5. C. de pact. convent.* juxta quas pactis hæreditas dari nequit ob periculum captandæ mortis ejus, cujus hæreditas promissa est.

Nihilominus dicendum est, prædictum Bertoldi pactum cum Berta validum esse, atque adeò Bertæ competere jus in bona mariti defuncti.

Ratio est. 1. quia tale pactum, neque jure naturali est irritum & nullum, neque jure positivo: ergo valet. Non jure naturali, quia ad valorem pacti, & contractûs ex jure naturæ non aliud requiritur, quàm duorum, vel plurium in idem placitum consensus, qui consensus ponitur adfuisse. Neque jure positivo; nam Leges civiles præcipientes æqualitatem dotem inter, & contradotem universali

jam consuetudine sunt, hodie legitimè abrogatæ, prout testantur Andr. Gaill. *l. 2. observ. 78.* Panormit. *in cap. donatio, de donat. inter virum, & uxorem,* Lauterbach. *ad tit. ff. de J. D. §. 41.* Guido *decis. 265.* Engl. *hic n. 10.* Schmier *l. 4. tr. 2. §. 6.* Schmalzgr. *hic n. 92.* aliique, ipsaque docet locorum praxis. Authent. quoque citatam hodie plerumque non observari, notant Gloss. in cit Authent. Abb. *in cap. ult. n. 12. de donat. inter virum, & uxorem.* Nicol. Everardus *t. 1. consil. 40. n. 47.* Laym. *l. 3. tr. c. 13.* aliique citt. cùm fieri soleat, ut sæpe vel nulla constituatur donatio propter nuptias, vel non æqualis doti; sed minor, aut major, vel sub alia forma: imò licitam esse sponsis & validam dispositionem, & pacta non solùm circa dotem & contradotem, sed etiam circa lucra, & alia, docent complures DD. apud Wiestner. *l. 4. decret in tit. 20. n. 17.* contendentes, validam esse renuntiationem lucrorum constante matrimonio quæsitorum & quærendorum, ab uno in favorem alterius conjugis factam ante ipsum matrimonium, eò, quòd non tam donatio sit, quàm contractus onerosus, cùm integrum sit cuique matrimonium contrahere sub certis conditionibus de futuris lucris acquirendis. Unde & citt. Gaill. n. 5. cum aliis contendit, inæqualitatem donationis propter nuptias etiam de jure communi subsistere posse, siquidem pacta de lucranda dote, vel donatione propter nuptias fiant pro casu non existentium liberorum, & antequam contrahatur matrimonium per verba de præsenti; quia, inquit, jura Communia solùm prohibent ejusmodi pacta constante matrimonio facienda, ne scilicet conjuges mutuo amore se exspolient, quæ ratio cessat in matrimonio nondum contracto; nec hæ sunt donationes inter conjuges, de quibus jura loquuntur, sed inter sponsos, imò strictè loquendo nec sunt propriè donationes, cùm habeant rationem contradotis, & fiant Uxori in securitatem, & remunerationem dotis. Cùm ergo & pactum Bertoldi cum Berta factum fuerit ante matrimonium contractum, & quidem non absolutè, sed sub conditione, si ipse, & nascituri filii moriantur Berta superstite; non est, cur non subsistat. Unde

Ad 1. rationem in contrarium R. n. maj. ejusque rationem; nan æqualitatem dotis & contradoti propter nuptias ex generali qua dam omnium ferè locorum con suetudine non observari, testatu citt. Gaill. cum aliis & praxis, qu constat fieri pacta disparia, no solùm quoad constitutionem, & præstationem, sed etiam quoad pa cta lucrorum, loquendo saltem d pactis ante contractum matrimo nium initis.

Ad 2. rationem R. donationes ab-

absolutam omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum, quæ actu dominium transfert, irritari à Jure; non item conditionatam duntaxat pro casu secuturæ mortis unius partis, & bonorum solùm præsentium, qualis fuit donatio Bertoldi propter nuptias. Ratio enim à LL. adducta, irritandi donationes & contractus absolutos actu dominii translativos, est, ne donans omnibus sic bonis spoliatus pauperem, & miseram vitam vivere cogatur, amissa omni spe & potestate omnis dispositionis; Id quod non evenit in pacto Bertoldi utpote facto duntaxat sub conditione secuturæ mortis, remanente adhuc potestate faciendi in vivis omnes dispositiones, & donationes, resque suas ad libitum in alios transferendi. Accedit, quòd, ut ex communi sententia docent Molina *l. 2. de primogen. c. 10. n. 17.* & Pal. *de Just. D. 2. p. 24.* §. *1.* donationes omnium bonorum onerosæ, & ob causam non sint prohibitæ, eò quòd deficiant à natura propriæ donationis, & ex altera parte decreta odiosa, & libertatem restringentia strictè sint interpretanda; contrados autem habet rationem donationis onerosæ, adeóque etiam ex hoc capite non prohibitæ.

Ad Conf. R. ejusmodi pacta hodie consuetudine sustentari, & LL. ibi citatas loqui duntaxat de pactis hæreditatis acquirendæ, non conjugum, sed aliorum privatorum, ut explicant citt. DD. eò quòd in pactis inter conjuges mutuus eorum amor excludat mortis captandæ periculum, & suspicionem, quod periculum non semper abest respectu alterius privati.

CA-

CASUS XIII.

De acceptione personarum, collatione, & venditione Officiorum Sæcularium publicorum.

MAgistratus Macedonianus in conferendis publicis Officiis sæcularibus sæpè promovet indignos, vel minùs dignos, & idoneos, relictis dignioribus, aut etiam dignissimis. Subinde ejusmodi Officia vendit emptoribus plus offerentibus, nulla habita ratione majoris dignitatis, & aptitudinis ad illa administranda: Unde

QUÆR. I. An conferentes Officia publica sæcularia, si assumant indignos, vel minùs dignos, relictis dignioribus, aut dignissimis, peccent mortaliter & ad restitutionem teneantur?

QUÆR. II. An hujusmodi Officia publica sæcularia licitè vendi possint?

QUÆR. III. Quibus in casibus locum habeat acceptio personarum?

82 AD 1. Q. R. 1. eos, qui indignum eligunt ad Officia sæcularia majoris momenti, ex quibus multùm pendet Reipubl. bonum, uti sunt Officium Gubernatoris oppidi, Prætoris, Judicis, Consiliarii, Commissarii Capitanei, Quæstoris &c. per se peccare graviter, & teneri Reipubl. resarcire damna inde secuta. Ita communis DD. teste Less. *l. 2. cap. 32. dub. 3.* Lug. *D. 34. §. 2.* Valentia *D. 5. q. 7. pun. 2. §. 6.* Sot. *l. 4. de just. q. 6. a. 3.*

Ratio est, 1. quia Officiorum Collatores, ut sunt Principes, Gubernatores &c. ex debito sui Officii tenentur ex justitia procurare Reipublicæ Ministros idoneos, cùm ratione talis Officii stipendia, & tributa accipiant à populo, sicut Oeconomus, cui gubernatio domûs commissa est, tenetur ex Officio, atque adeò ex justitia conducere famulos, & operarios idoneos. Idem est, si hujusmodi Officia ex commissione conferantur; quia qui ex commissione aliquid facit, non minùs tenetur, quàm qui commissionem dedit, nam hoc ipso, quòd commissionem, seu mandatum

tum acceptet, se ipsum obligat ad illud ritè exequendum.

Conf. Principes, & Gubernatores tenentur ex justitia Rempublicam rectè administrare, & quantùm commodè possunt, ejus damna impedire: hoc autem facere non possunt, nisi ejusmodi Officia conferantur idoneis ministris, & Officialibus, cùm pleraque per tales ministros abeunda sint, & executioni mandanda: ergo si indignos præficiant communitati, peccant contra justitiam, & tenentur resarcire damna, quæ inde patitur Communitas, aut Respulica; qui enim causam damni dat, damnum fecisse censetur, *cap. ult. de injuriis.*

R. 2. Si Collator, omissis aptioribus, & dignioribus Officium conferat minùs dignis, minúsque idoneis per se peccat quidem graviter, non tamen tenetur ad restitutionem, siquidem tales verè digni sint, & idonei. Ita Sotus *q. 6. t.* Solon. *q. 63. a. 2.* Less. *l. c.* Valentia *l. c.* Eman. Sà *V. electio.* Turrian. *D. 28.* Dian. Sylv. Petr. Arragon. Malder. Rebell. Reginald. Villalob. aliique. Quòd peccet, ratio est,

1. Quia injuriam quamdam facit digniori præferendo ei minùs dignum; qui enim aptior est, majus jus habet; hoc ipso enim, quòd eligendus sit Officialis ex tali Communitate, jam Communitas & partes illius habent jus aliquod ad illud officium, tanquam bonum commune juxta merita singulorum distribuendum; hæc tamen injuria est duntaxat contra justitiam distributivam, cujus jus consistit solùm in majore aptitudine, & proportione ad bonum distribuendum; non verò contra justitiam commutativam, quæ sola obligationem restitutionis inducit, & populus, quando ministrum habet idoneum, non confert invitus rationabiliter stipendia, siquidem ea meritò dignis ministris conferuntur.

2. Quia constituendo ministros minùs idoneos, quandò aptiores non desunt, collator facit contra fidelitatem, quam debet Reipubl.; tenetur enim saltem ex fidelitate procurare ministros quàm maximè idoneos, si potest, sicut Oeconomus, si fideliter officium suum præstare velit, tenetur conducere operarios, & ministros aptiores Domino suo, & quàm maximè idoneos, quantùm commodè potest: Unde sicut hic graviter peccaret contra fidelitatem Domino suo debitam, si in conducendis operariis solùm spectaret, ut pro suo affectu, ac favore suos amicos, & notos promoveret relictis aliis, qui longè plùs prodessent Domino suo; ita graviter peccant collatores, qui ad officia Reipubl. eos duntaxat promovent, qui Sanguine, & amicitia ipsis juncti sunt, vel munera obtulerunt, & privatis ipsorum intentionibus

nibus meliùs deserviunt, relictis aliis longè aptioribus, sicque præferentes commoda privata utilitati communi contra fidem Reipubl. datam.

Accedit, quòd plerumque graves nascantur offensiones & alienationes subditorum à Superioribus ob ejusmodi officiorum collationes, quæ interdum multorum sunt causa malorum, quæ ex officiis malè administratis persæpè oriuntur. Demum nisi in conferendis hujusmodi officiis summa cura adhibeatur, sensim Respubl. implebitur ministris inidoneis, politicis, ambiciosis, avaris, qui sua, & suos duntaxat curent, & promoveant, commune bonum negligant, omnia ad privatas suas intentiones dirigant, ipsúmque jus, & fas, justitiam, & Religionem aurô venalem habeant; ex quibus nihil aliud, quàm justitiæ, & Reipubl. eversio expectari possit, ut notat citt. Less. cum aliis.

R. 3. quando officium confertur indigno, prætermissô digno, vel digno; præterito digniore, collator non tenetur aliquid restituere digno, vel digniori prætermisso. Ita cum citt. DD. Covar. hîc *part. 2. §. 7. n. 6.* Navarr. *man. cap. 17. n. 73.* Adrian. *in 4. de restit. q. 15.* aliique. Ratio est, quia Superior ita conferens officium non peccat contra justitiam commutativam respectu prætermissorum, sed solùm contra justitiam distributivam, quæ non inducit obligationem restitutionis; dignus enim, vel dignior, antequam ei Officium collatum sit, non habet jus ad ipsum, neque *in re*, hoc est, quasi possideat illud; neque *ad rem*, quasi possit Collatorem in judicium vocare, ut ei Officium conferat; ut adeò nulla hîc detur obligatio justitiæ commutativæ, ac proin nec obligatio restitutionis, saltem extra concursum.

Ad 2. Q. an hujusmodi Officia publica sæcularia vendi possint? 84
Negativè respondent Medina *de rest. q. 4. de usur.* Adrianus *in 4. q. de usur. §. ex his* Less. *cap. 32. dub. 4.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. D. 23. dub. 2.* Angles quia ex voluntate Reipubl. talia Officia distribuenda sunt dignioribus, qui magis, meliúsque bonum publicum promovere possunt. Sed

Dicendum est, etsi per se loquendo, & spectata natura rei possint ea vendi; quia hujusmodi Officia, cùm non sint res spirituales, sed humanæ, & pretio æstimabiles, non est, cur per se vendi non possint; hinc videmus Barones, Comites, & Duces vendere suos titulos, status &c. ut probat consuetudo; Nihilominus non expedire ea vendere, eorumque venditionem plerumque illicitam esse, & perniciosam. Ita Cajetanus *v. officiorum venalitas.* Sotus *l. 3. q. 6. a. 4.* Tanner. *D. 4. de justit. q. 8. dub. 2.* Diana *part. 3. miscell. tr. 5. R. 108.* aliique communiter

niter cum, & apud Less. *citt. cap. 32. dub. 4.* Ratio est 1. Quia hac ratione ut plurimùm talia officia indignis, vel minùs aptis conferuntur, qui pecuniis supplent, quod meritis deest. 2. Quia ex tali venditione homines magis provocantur ad studium acquirendarum pecuniarum, quibus vident, se facilè ejusmodi officia, & dignitates consequi posse, quàm ad studium litterarum, probitatis, & bonarum disciplinarum, quarum nullam haberi rationem advertunt. 3. Quia qui hæc officia emunt, non administrant ea, sicut deberent, & bonum Reipublicæ postulat, sed ut recuperent pretium, quod solverunt, multa injustè extorquent, justitiam venalem habent, favent divitibus, & potentioribus, & causas pauperum negligunt: Quare hanc venditionem Reipublicæ pestem appellant DD. & hinc rectè à jure prohibetur *collat. 2. tit. ut Judices sine quo suffragio fiant, cap. 1.* ubi præcipitur, ut personæ, quibus conferuntur officia publica, pro iis nihil solvant.

Porrò vendere ejusmodi officia non est ita malum, ut eorum venditio concurrentibus certis circumstantiis, & conditionibus honestari, & licita fieri non possit, videlicet 1. si sit auctoritas in vendente, & vendantur digniori, quantum fieri potest, utpote quæ per se dignioribus sunt conferenda. 2. Ut pretio moderato vendantur, ne scilicet occasio emptori præbeatur multa iniquè extorquendi ad recuperandum pretium à se persolutum, uti fieri assolet. 3. Ut id fiat ob Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem; quia hæc officia non sunt bona Principis, vel alterius Collatoris propria, ut tributa, sed Reipublicæ communia, quorum administrationem, & collationem commisit Principi causa communis utilitatis, cùm id communi bono expediens videtur, ut si v. g. summa ad hunc finem esset conflanda, quæ aliter commodè haberi non posset.

Ad 3. Q. Præmittendum, 1. Acceptionem personarum peccatum esse ex genere suo mortale, ut ex communi docet S. Tom. *q. 63. a. 1.* utpote quæ vitium est contrarium justitiæ distributivæ, exigenti, ut bona communia secundùm proportionem dignitatis distribuantur, uti patet etiam ex Eccl. 42. v. 1. *Ne accipias personam, ut delinquas*, & Jacob *2. v. 9. si autem personam accipitis, peccatum operamini.*

Secundò, acceptionem personarum non habere locum in mera gratuita bonorum distributione, ut docet communis cum S. Th. l. c. & constat ex illo Matth. *20. v. 13. & 15. Amice non facio tibi injuriam* &c. & *aut non licet mihi, quod volo, facere?* & ratio ulterior est, quia acceptio personarum, cùm sit vitium justitiæ oppositum, solùm habet locum in bonis ex justitia debitis. His præmissis.

85 R. Personarum acceptio locum habet. *Primò*, in distributione bonorum spiritualium, seu in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione, electione, & præsentatione ad illa; hæc enim Beneficia jure naturali, ac positivo debent conferri dignioribus, hoc est qui optimè putantur officiô functuri: Unde si amicitia, consanguinitas, aut aliud quidpiam simile nihil ad officium pertinens in electione, præsentatione, aut collatione spectetur, omissis dignioribus, comittitur vitium acceptionis personarum, ut cum aliis notat S. Th. *l. c. a. 2. Secundò*, locum habet in conferendis officiis sæcularibus, ut cum aliis notat Cajetan. *v. personarum acceptio*, & colligitur ex dictis; nam ejusmodi officia non sunt bona propria Principis, sicut tributa, sed communia Reipubl. in hujus commodum instituta, quæ illa committit Principi administranda, & conferenda communis utilitatis causa, ut dictum est suprà.

Tertiò, locum habet in judiciis, quatenus debita in iis forma, ac proportio non servatur, dum Judex partibus jus dicit, ut docet cum aliis S. Th. l. c. & patet ex illo Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, juste judica proximo tuo.* & Prov. 18. *accipere personam in judicio, non est bonum.* Et ratio est, quia, etsi jus dicere sit actus justitiæ commutativæ, quatenus ex officio est debitum; attamen quatenus fit inter duos, habet modum, seu formam quamdam justitiæ distributivæ; jus enim, si consideretur ut in *potentia*, est suo modo bonum commune indifferenter per Judicem huic vel illi digno applicandum, vel ut loquitur Cajetan. distribuendum partibus, sive id oriatur ex commutatione, sive ex distributione: Unde si Judex in dicendo, & distribuendo hoc jure aliquid respiciat præter causarum merita, comittit hoc vitium acceptionis personarum, idque ut notat Less. non solùm quando Judex in ferenda sententia considerat personam potiùs quàm æquitatem causæ, sed etiam quando causas pauperum differt, & extrahit in longum; causas verò divitum citò expedit & terminat, vel etiam quando pro sua libidine, & gratificandi studio uni concedit longiorem terminum ad probandum, vel informandum, quàm alteri, cùm tamen par sit utriusque ratio.

Quartò, locum habet in exhibendo honore aliis debito, ut notat cum aliis S. Th. *l. c. a. 3.* ut si in publico consessu, capitulo, mensa, &c. non assignetur alicui locus, qui ei ratione scientiæ; eruditionis, vel gradûs debetur, siquidem id fiat dolo, vel lata culpa, alioquin non censetur injuria.

CASUS

CASUS XIV.

De restitutione damnorum ex detractione alienæ famæ secutorum.

RIchardus occultum grave delictum Caji, quod publicum, & satis notum esse putavit, manifestavit pluribus, ex cujus manifestatione Cajo non tantùm famæ, sed & bonorum fortunæ grave damnum subsecutum est; Quæ res ita afflixit Cajum, ut superveniente repentino morbo paulò pòst extinctus fuerit.

QUÆR. I. An, qui per culpam solùm venialem alteri detraxit, teneatur in conscientia reparare damnum grave inde secutum?

QUÆR. II. An detractor famam alienam graviter læsam reparare debeat non solùm apud eos, apud quos illam alteri abstulit, sed etiam apud alios mediatos, quibus isti postea dixerunt ac propalârunt?

QUÆR. III. An obligatio restituendi pro fama læsa transeat ad hæredes detractoris, quando ipse ante mortem non restituit? & an, quando detractor famam alteri ablatam non restituit eidem, dum viveret, teneatur aliquid restituere ejus hæredibus post ejus mortem?

86 ANte primi Q. resolutionem sciendum, notandumque est, per culpam theologicam levem posse grave damnum proximo inferri diversis modis, & quidem primò ex defectu plenæ deliberationis ad peccatum mortale requisitæ, ut si quis semisopitus, vel semiebrius, vel aliàs ex vehementi passione plenum rationis usum præpediente cum semiplena tantùm deliberatione alterum graviter damnificet.

2. Ex inadvertentia, aut ignorantia vel inculpabili, vel non graviter culpabili, ut cùm quis gemmam alterius pretiosam projicit in mare non cognoscens totum ejus valorem, sed putans esse vitrum constans tantùm uno, alteróve crucigero, vel si advertat, & agnoscat quidem gravitatem damni materialem, seu valorem ipsius rei constantis v.g. uno aureo, sed inculpabiliter existimet unum aureum non esse materiam gravem, seu

sufficientem ad mortale respectu talis personæ, vel dominum non esse hîc, & nunc graviter invitum. 3. Per furta minuta, quæ quis non advertit coalescere in materiam gravem, vel si per peccatum veniale debitam cautelam omittat, non advertens, vel non putans subesse periculum gravis damni, vel se obligari ad majorem diligentiam adhibendam.

Quæstio hîc ergo est, & controversia, an si re ipsa grave damnum alteri illatum est per culpam quidem theologicam, sed merè venialem ob defectum plenæ deliberationis, plenæ advertentiæ, cognitionis, consensûs &c. nihilominus sit obligatio gravis jure naturæ ad præstandam omninodam compensationem totius damni dati? Ubi.

87 Affirmativam sententiam amplectuntur P. Vasquez. *de restit. c. 2. §. 2. dub. 2.* Palav. *de just. n. 71.* Adrian. Medina Turrian. Panormit. Covar. Ang. aliique, contendentes totum damnum grave esse sub mortali restituendum.

Ratio est, *primò*, quia damnum semideliberatè datum cum culpa theologica, licèt veniali, est verè voluntarium, ac proinde injuria formalis: sed hæc fundat obligationem restituendi ex injusta acceptione: ergò.

Secundò, si ex duobus alteruter grave damnum ferre debet, æquiùs est, & optabiliùs, ut ille potiùs damnum ferat, qui alterum injustè læsit cum aliqua sua culpa, licèt veniali, quàm ille, qui citra omnem suam culpam ab altero injustè læsus est: ergo lædens jure naturæ obligabitur ad restitutionem etiam ex culpa theologica solùm semideliberata veniali. 3. Quando plures paulatim furantur rem alterius v. g. fructus vineæ, alii aliorum inscii, peccatum fuit tantùm veniale; postea tamen si sciant ab omnibus fuisse damnum notabile illatum, tenetur unusquisque sub mortali partem suam restituere, ut arguit Vasquez. Ergo sola illatio damni absque culpa mortali sufficiet ad obligationem gravem restituendi.

4. Potest quis in conscientia obligari ad reparandum damnum grave sine omni sua culpa datum, ut si quis feræ cupidus prævidens periculum occidendi alienum animal, & habens animum reparandi omne damnum, si quod inferat, in feram jaculatur, & simul alienum animal interimit: ergo multò magis orietur obligatio compensandi damnum ex damnificatione theologicè culpabili, licèt veniali.

5. Obligatio gravis non est improportionata culpæ levi etiam semideliberatæ: nam in altera vita propter exiguam injuriam, & culpam

pam levem infligitur pœna Purgatorii, quamvis longè gravior, quàm quælibet jactura bonorum temporalium. In hac verò vita peccatum veniale subinde punitur Excommunicatione minori, quamvis bona, quibus illa hominem privat, sint præstantiora bonis temporalibus: ergo non est, cur etiam in hac vita propter injuriam, quantumvis levem non imposuerit Deus gravem obligationem reparandi damnum grave.

88 Contrariam sententiam negantem jure naturæ dari obligationem gravem reparandi totum damnum, per culpam venialem ex defectu plenæ deliberationis vel advertentiæ ad jus alienum, & gravitatem damni materialem illatum, secluso speciali contractu, tenent, ac defendunt Sotus *l. t. de just. q. 7. a. 2.* Less. *l. 2. c. 7. dub. 6. n. 27.* Lugo *D. 8. sect. 5.* Tambur. *l. 8. t. 3. c. 2. §. 5.* Bonac. *de restit. D. 1. q. 1. p. 3. n. 9.* Haun. *t. 2. n. 194.* Jllf. *tr. 4. D. 3. n. 10.* Navar. *l. 2. de rest. c. 1. n. 48.* Eman. Sà *v. restitutio.* Henriq. *tr. de irregul cap. 15.* Salas. Esparz. Filliuc Platel. Rodriquez, aliique plures.

Prob. 1. obligatio naturalis, universalis, maximè ardua & difficilis, quam Viri pietate, & doctrina conspicui, & homines communiter non agnoscunt, non debet asseri, nisi efficacissima ratione probetur: sed talis est obligatio resarciendi damnum prædicto modo datum: ergo, min. prob. Ex una parte est maximè difficile vitare semideliberatas veniales noxas hominibus identidem subrepentes ex defectu deliberationis, advertentiæ, oblivionis, aliove pleni consensûs defectu: ex altera parte est summè arduum spoliare se ipsum re sua etiam magni momenti ob levem ejusmodi culpam, casu potiùs fortuito, quàm voluntate in vitando alterius damno admissam, & quidem sponte sua & ante Judicis sententiam; atque ideo noxia magis foret, quàm utilis, quia cùm ex natura rei, si daretur, gravis esset, plurimi eam ob nimiam difficultatem non observantes æternæ salutis discrimen adirent. Unde meritò censentur homines antecedenter ad quemcunque eventum particularem malle subjacere periculo damnum grave per ejusmodi leves culpas subreptitias valde difficulter evitabiles, sibi ab aliis fortè inferendum, patiendi sine spe compensationis, quàm subire obligationem cum tanta sua difficultate compensandi simile damnum, si fortè à se modo tam difficulter evitabili aliis inferretur.

Prob. 2. quia licèt obligatio restituendi ex delicto non sit propriè, & strictè pœna, imitatur tamen pœnam jure naturæ debitam, sequentem ex culpa theologica: ergo sicut ille nullam meretur pœnam, qui nullam commisit culpam theologicam, & consequenter ad nul-

lam per se obligatur restitutioné, ita non meretur pœnam gravem, nec incurrit obligationem gravem restituendi, qui non commisit culpam gravem theologicam.

Conf. pactum, juramentum, votum cum semiplena tantùm deliberatione editum ideò juxta communem DD. non inducit gravem obligationem naturalem, quia est actus in suo genere valde imperfectus, & imperfectè voluntarius, ineptus ad perfectam, & gravem obligationem inducendam: ergo nec actus imperfectè injuriosus, elicitus cum semiplena tantùm deliberatione ratione suæ imperfectionis inducet gravem obligationem reparandi damnum grave tali modo datum; cùm utrinque videatur esse par ratio, imò major pro voto, eò quòd per votum ex propria voluntate possimus nos obligare ad aliqua, ad quæ non possumus convenienter obligari ex jure naturali; ut adeò etiam hîc ex imperfecta, & impropria injuria non debeat nasci perfecta, sive gravis obligatio restituendi, cùm hæc obligatio non nascatur ex re ipsa, seu damno, utpote quod in ratione damnificationis *gravis* non cognoscitur, sed ex injuria.

89 Hæc posterior sententia communior est, ac probabilior, & idcirco in praxi tuta ac secura. Unde

Ad rationes in contrarium allatas pro priori sententia, R. ad 1. dist. M. damnum semideliberatè datum cum culpa veniali est voluntarium in ratione damni præcisè C. m. est voluntarium in ratione damni *gravis* saltem materialiter n. M. & dist. m. fundat obligationem restitutionis ex injusta acceptione, si sit voluntaria damnificatio in ratione damni gravis saltem materialiter, C. M. si sit voluntaria, præcisa tamen gravitate, n. m. & c. nam gravis compensatio imponenda non est, quando damnificatio sub nulla ratione gravitatis fuit voluntaria, sed tantùm theologicè levis, ut dictum est: quod enim citra gravem culpam nec in se, nec in alio annexo, quod directè volumus, agnoscitur (qualis est gravitas materialis damni) non est voluntarium, scilicet in ratione gravis damnificationis: ergo non dabitur obligatio gravis ad damnum grave reparandum.

Ad 2. R. d. a. æquius, & optabilius est, ut ille potiùs damnum ferat, qui alterum injustè læsit, si lædens damnum datum saltem materialiter totum cognovit, & sciens, ac volens deliberatè damnum intulit, c. a. si tantùm obreptitiè, & semideliberatè sine advertentia ad gravitatem materialem damnum dedit, n. a. & c. vel subdist. si in ferendo damno par esset utriusque difficultas, ac ejusmodi subreptitiæ damnificationes essent facilè

facilè omnes evitabiles, c. a. secùs, n. a. &c. ob rationes suprà indicatas.

Ad 3. n. ant. contrarium enim probabiliùs docent Lugo *D. 16. Sect. 3. §. 2.* Less. *l. 2. c. 12. dubit. 9.* Sanch. Navar. Sotus, Tann. Malder. Salas, & alii contra multos, quia nemo tenetur sub mortali ad restitutionem, nisi vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis; in eo autem casu, qui modicum accepit, neutro ex capite tenetur sub mortali; quia res accepta est exigua & aliquando absumpta absque eo, quòd accipiens factus sit locupletior; neque illa acceptio fuit injusta injustitia gravi, ut supponitur, quando ignorabatur damnum ab aliis datum, vel dandum. Et ratio ulterior est, quia per exiguam illam furis acceptionem non causatur grave nocumentum, sed per alias aliorum acceptiones, quarum tamen fur, seu accipiens illud parvum, nullo modo est causa, cui proin nullo modo grave nocumentum imputari debet. Deinde transmisso ant. negatur consequentia, quia in casu antecedentis, si quæ est obligatio, nascitur illa ex retentione rei notabilis, quam omnes jam scienter retinent per modum unius, & ideo omnes obligantur ad procurandum, ne Dominus re sua notabili carere debeat, quam detinent, quod aliter fieri non potest, nisi singuli suam partem restituant: ut adeò ea obligatio non nascatur ex delicto solùm præterito, sed ex delicto præsenti, quod debent vitare, non retinendo apud se totam materiam illam gravem: at verò in casu consequentis obligaretur homo ex defectu levi, ac veniali ad restituendum ex delicto aliquid magnum, v. g. quòd propter peccatum veniale levissimum, quod semidormiens commisit, teneatur sub mortali ad restituenda ex delicto multa millia aureorum pro re, quæ ex sua levi illa negligentia periit absque ullo suo commodo, quod incredibile videtur.

Ad 4. dist. ant. potest quis in conscientia obligari ad reparandum damnum grave absque omni sua culpa datum, ita ut ea obligatio nascatur ex tacito contractu, vel quasi contractu, c. a. secùs, n. a. & c. ac paritas, quia quamvis in eo casu non detur obligatio ex re accepta, vel fortè neque ex injusta acceptione, eo quòd Dominus possit esse non invitus, tenetur tamen ex quasi contractu, quem tacitè init cum Domino, quatenus vi sui propositi, quod habet reparandi damnum, tacitè se illi obligat, quem damnificat ad reparandum damnum, quod prævidet fortè secuturum ad positionem talis suæ actionis, eumque tacitè consentire putat in sui animalis cædem sub onerosa conditione damni plenè reparandi.

In noſtro autem caſu nullus ejusmodi contractus intercedit, uti ponitur; hinc dixi ſuprà, ſecluſo ſpeciali contractu.

Ad 5. n. a. ad hujus primam prob. R. argumentum illud nimium probare; probaret enim culpam etiam leviſſimam in hac vita juſtè puniri poſſe graviſſimâ pœnâ ignis, & verbum otioſum mereri puniri rotâ, & rogo, aut furem unius crucigeri mulctari poſſe privatione vitæ, vel omnium bonorum &c. cùm hæc ita puniantur in foro divino, & nulla pœna hujus vitæ adæquet minimum alterius vitæ ſupplicium; & ſi præter gravem Purgatorii pœnam, quam Deus pro levi delicto priùs non expiato infligit, in pœnam etiam gravis obligatio reſtituendi imponeretur, eſſet pœna adhuc gravior, & qui eam non exſolveret, æternum ſupplicium incurreret: Unde inter pœnas hujus, & alterius vitæ nequit rectè inſtitui comparatio; nam cùm in foro divino, & in altera vita per pœnam vindicetur divina inhonoratio, & injuria infinitæ Majeſtatis; in foro verò humano, & in hac vita id per pœnam intendatur, ut homines abſterreantur à malo, & ut bonum, & tranquillitas Reipublicæ promoveatur, hinc pœnæ illæ, quæ in foro humano ſunt ſatis graves, & ſufficientes ad prædictum finem, poſſunt eſſe leviſſimæ in foro divino, reſpectivè ad infinitam Majeſtatem læſam, reſpectu cujus offenſæ pœna ignis non eſt improportionata, & nimis gravis, ſicut tamen eſſet in foro humano.

Ad 2. negatur imprimis ſuppoſitum, quòd Excommunicatio minor ſit mera pœna; eſt enim medicina in bonum potiùs, quàm malum delinquentis, ordinata ad emendandum delictum, & frangendam contumaciam; reſtitutio verò eſſet pœna exterminativa, ut vocant, cedens in damnum delinquentis; Dein transmiſſo ant. negatur conſeq. & paritas; diſparitas eſt, quia Excommunicatio minor, licèt quatenus Euchariſtiæ uſu hominem privat, ſit quotamodo major quavis privatione boni temporalis; quoad alia tamen eſt longè minor; nam inprimis longè faciliùs vitari poteſt, quàm ſubreptitia, & ſemiplena damnificatio; cùm illa defacto non ſoleat imponi, niſi ob ſolam communicationem cum Excommunicato vitando, cujus communicationis, cùm reſpectu plerorumque rara, aut nulla ſit occaſio, facilè vitari poteſt, & ſi tamen incurratur, à quovis Confeſſario ordinario tolli poteſt, & damnum, quod ex privatione uſûs Sacramentorum inde provenit, facilè compenſari poteſt per frequentiorem uſum eorundem Sacramentorum. Contrà verò valde difficile eſt diu evitare leves ſubreptitias, & ſemideliberatas alterius damnificationes, & adhuc difficilius eſt ſe propterea ſponte ſua

ſpo-

spoliare propriis bonis etiam maximi valoris, sine spe ea ampliùs recuperandi. Dices, ex dictis sequitur, eum, qui alteri per culpam levem subreptitiam, & semideliberatam graviter detraxit, non teneri ad famæ restitutionem; sequela autem est utique nimis laxa: ergo.

R. vel ponis, posse detrahentẽ sine gravi propriæ suæ famæ, aliove gravi incommodo læsam famam alteri restituere, vel non? si non potest sine gravi suo incommodo, tunc ex injusta acceptione non obligabitur, sed potiùs tenebitur ex re accepta, quatenus tacendo videtur alios confirmare in mala alterius existimatione, & detractionem continuare, sicque quotamodo moraliter famam proximi penes se retineret. Cæterùm ordinariè ac communiter sine gravi lædentis incommodo fama facilè restitui potest, dicendo se alteri præter advertentiam, aut ex inconsiderantia injuriam fecisse, vel illi ablocutum esse &c. Secùs est in bonis fortunæ, ubi damnum non nisi valde difficulter, & sæpè non sine maximo lædentis incommodo reparari potest, ut patet ex dictis.

90 Dices 2. ex dictis probatur duntaxat, ex ejusmodi culpa levi non oriri obligationem gravem reparandi damnum grave, non verò non oriri obligationem saltem levem, idque ideo, tum quia obligatio levis est satis proportionata culpæ levi, quamvis difficulter evitabili. Tum quia probabiliter potest quis se voto obstringere ad materiam gravem sub obligatione levi. Tum quia ex culpa veniali perfectè deliberata, & voluntaria oritur obligatio perfecta, seu gravis reparandi damnum grave, quando totum damnum saltem materialiter est præcognitum, ut tenet complurium DD. probabilior sententia: ergo etiam ex culpa levi imperfectè voluntaria orietur imperfecta, seu levis obligatio reparandi damnum grave.

R. n. a. obligatio enim levis ad materiam gravem probabiliùs non imponitur à natura; quia obligatio naturalis non ex libera voluntate alicujus Legislatoris humani, sed ex ipsa rerum natura desumi debet, quæ proin si gravis est, obligationem quoque ad illas res præstandas gravem esse oportet, quia Author naturæ commetitur aptissimè obligationes rerum ipsis momentis & gravitati earundem rerum: hinc furtum summæ gravis per se nequit tantùm leviter prohiberi, quia levis obligatio per se non est idonea, & sufficiens ad absterrendos homines, & ad obedientiam ab iisdem obtinendam. Præterea obligatio etiam levis ad reparandum damnum grave est summè difficilis, & quoad effectum eadem cum obligatione gravi, cùm lædens tantam suorum bonorum jacturam faceret, quantam fecisset si graviter

obligatus fuisset: sicut ergo gravis obligatio est improportionata dictæ damnificationi, ita & levis. Unde

Colligitur responsio ad 1. & 2. rationem; nam etsi possit aliquis per votum, (quod tamen alii negant) se liberè, & sponte sub levi peccato obligare ad materiam gravem, quia voti obligatio non est major, quàm quantam vovens vult sibi imponere; Auctor tamen naturæ non ita obligare censetur, aut probabiliùs per se ita obligare potest, quia obligatio naturalis ex ipsa rerum natura desumenda est, & rerum capacitati, & gravitati respondere oportet.

Ad 3. rationem, c. a. n. c. & parit. disparitas patet ex dictis; tum quia probabiliùs obligatio naturalis levis ad materiam gravem per se dari non potest. Tum quia culpa plenè deliberata faciliùs vitari potest, & obligatio gravis ad damnum grave non est improportionata, estque æquitati naturali conformius, ut ille totum damnum alteri compenset, qui sufficienter totum damnum saltem materialiter cognovit, & cum plena deliberatione illud intulit, quàm qui involuntariè, & invitus damnum passus est, in quam proin obligationem homines meritò censentur tacitè consentire; non item in alteram in casu culpæ levis subreptitiæ difficillimè evitabilis, & potiùs noxiam, quàm utilem, ut suprà insinuatum est; & licèt etiam in priori casu injuria formalis seu injusta acceptio sit levis; obligatio tamen gravis non oritur tantùm in illa injuria levi, sed simul etiam ex damno gravi præcognito, & deliberatè dato, quod non contingit in casu posteriori, ubi lædens non ponitur advertere, & cognoscere gravitatem damni materialem, nec deliberatè damnum dare.

Porrò dictum est suprà non dari obligationem gravem reparandi *totum* damnum grave per culpam venialem subreptitiam, & semideliberatam datum; nam dari obligationem ad partem damni gravis proportionalem pro quantitate culpæ secundùm arbitrium prudentum, docent Molina *citt. D. 698* Bonac. n. 8. Sylvest. Regin Rebell. Dicastill. & alii, idque satis probabiliter.

Sed æquè, vel probabiliùs eam, obligationem negant alii cum Lug. l. c. Less. *l. c. n. 28.* Tambur. *n. 3.* Esparz. *q. 32.* Platel. *p. 3. n. 733.* nam vel pars illa esset levis? at hâc læsus, si restituatur, non erit contentus, nec erit proportionata, si datum damnum sit valde magnum; si autem non restituatur, obligatio alterius nihil illi proderit, sed potiùs nocebit, cùm & ipsum gravet in simili casu. Si verò illa pars in se sit gravis, redit argumentum, quòd hæc sit nimis difficilis respe-

respectu culpæ levis subreptitiæ tam difficulter evitabilis, & si ad quantitatem culpæ attendendum est, ut volunt Adversarii, cùm hæc non fuerit gravis, sed levis, non potest taxari obligatio ad restitutionem damni gravis, sed ad summum alicujus partis levis, quæ habeat proportionem cum culpa levi, aliàs non erit juxta, sed supra quantitatem culpæ, quæ levis est. Ad hæc si pars hæc gravis restitui debet, dic sub qua obligatione? num sub levi? Sed obligatio levis ad materiam gravem à natura non imponitur, ut suprà dictum est. Num sub gravi? at oppositum nimis arduum est, ut colligitur ex dictis, & ipsi Adversarii levem duntaxat obligationem admittunt cum, & apud la Croix *l. 3. p. 2. n. 191.*

91 Ad 2. Q. non nulli cum Philipp. Faber *de restit. in 4. sentent. dist. 15. q. 3. D. 53. cap. 1. n. 37.* existimant, satis esse, si retractatio, & famæ restitutio fiat apud immediatos Auditores; quia cum verba in infinitum propemodum ulteriùs promulgentur, impossibile est, detractorem apud omnes posse satisfacere.

Verùm communis DD. sententia cum Navarr. *de restit. cap. 4. n. 443.* Lug. *D. 15. sect. 2. n. 15.* Less. *cap. 11. n. 111.* Turrian. *D. 53. dub. 2. n. 9.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 14.* Rebell. *l. 4. de restit. q. 12.* Filliuc. *tr. 32. c. 9. q. 7.* distinguit in hunc modum. Si detractor dixit, seu crimen revelavit sub secreto alicui, vel aliquibus personis, de quarum taciturnitate, & constantia non dubitabat, sufficere apud has retractare, & famam restituere, quia tunc damnum secutum apud alias personas censetur casuale respectu primi revelantis; si verò crimen revelavit non sub secreto, sed coram iis, quos sciebat, vel dubitabat, an non aliis quoque idem crimen essent revelaturi, teneri apud omnes famam ablatam restituere. Ratio communis sententiæ est, quia totum illud damnum subsequens procedit ex injuria detractoris, præsertim si alii, quibus dixit, licitè postea crimen manifestent, existimantes illud verum esse, & publicum: ergo debet detractor resarcire totum illud damnum, cujus ipse fuit causa efficax injusta.

Quòd autem impossibile sit, id, quod dixit, apud omnes retractare, per accidens erit, & tunc ob impotentiam excusabitur, sicut in aliis materiis, per se tamen tenebitur, & ad inquirendum obligabitur, ut satisfaciat apud eos, apud quos potest, nec excusabitur, ut apud nullum satisfaciat, ut notat, & probat Lugo l. c. qui licèt sententiam hanc, spectata obligatione orta ex injuria præterita, certissimam videri pronuntiet, notat pariter in contrarium videri esse communem praxim Confessariorum, & pœnitentium: Confessariorum quidem, qui solùm ad hoc pœnitentes obli-

gant, ut apud eos retractent, coram quibus alterius fama injustè læsa est. Pœnitentium verò, qui sive ante Confessionem, sive post, sufficienter videntur sibi satisfacere, si apud eosdem satisfaciant;

Qua proin communi praxi suppositâ concludit citt. Lugo, licèt spectata prædicta obligatione contracta ex injuria præterita detractor per se teneatur resarcire famam apud auditores mediatos, & immediatos, eum tamen defacto ab hac obligatione communiter liberari, tum ob moralem impotentiam, quæ ut plurimùm datur; tum quia hoc ipso, quòd detractor apud immediatos auditores sua dicta retractet, & famam restituat, videtur illis implicitè committere, & relinquere, ut ipsi hanc suam retractionem aliis, si quibus dixerunt; divulgent, qui cùm id munus expressè non reliciant, tacitè acceptare videntur, cúmque detractor nesciat, quænam sint illæ aliæ personæ mediatæ, quibus id relatum est, nec scire possit, nisi ab ipsis auditoribus immediatis, eo ipso, quòd hi de infamia ulteriùs propagata detractorem non moneant, censentur eam curam in se suscipere, & detractorem ab eo onere liberare. Et hæ rationes satis probabiles sunt, & communem Confessariorum, ac pœnitentium praxim confirmant, ac suffultiunt.

92 Ad 3. Q. obligationem restituendi pro fama læsa transire ad hæredem detractoris, quando ipse ante mortem non restituit, censent Adr. *quod lib. 11. q. 1.* Navarr. *in man. c. 18. n. 46.* Molina *D. 45.* & alii ex eo fundamento, quòd cùm fama injustè ablata aliter restitui nequit, debeat pecuniâ compensari: unde cùm fama non fuerit priùs restituta à defuncto, hoc debitum, aliàs pecuniâ compensandum, transeat ad hæredem, sicut transeunt reliqua debita pecuniaria.

Verùm negativam sententiam tuenturLugo *D. 15. sect. 1.* Less. *dubit. 21.* Dicastill. *de rest. d. 12. n. 280.* la Croix *l. 3. p. 2. n. 1256.* aliique communiter, idque meliùs, ac probabiliùs.

Ratio est, quia hæc obligatio est personalis, & hæres solùm succedit defuncto in ordine ad jura, & debita fortunarum, non verò in fama neque in debitis famæ, quæ solam personam infamantis respiciunt. Neque ipse defunctus ante mortem ea de causa contraxerat aliquod debitum pecuniarium; nam quòd fama, quando aliter restitui nequit, non debeat compensari pecuniâ, tenet communior, & probabilior sententia contra citt. DD. & alios, eò quòd bona, & debita ordinis superioris non possint compensari in bonis ordinis inferioris ob incompossibilitatem æqualitatis, & inæstimabilitatem, cùm sit impossibile,

ut

læsus v. g. in fama, vita amissa &c. habeat ullo modo id, quod amisit injustè, quam tamen æqualitatem intendit formaliter justitia commutativa.

Unde in foro conscientiæ restitutio pro fama ablata, quatenus præcisè damnum defuncti respicit, non est ipsius hæredibus facienda, sed ipsi defunctò, ejus famam redintegrando, utpote qui non condonavit jus, quod habet ad suam famam, quod jus non transtulit in hæredem, sed semper remanet, donec fama restituatur, si fieri possit. Si tamen ipse hæres damnum propterea passus esset in bonis fortunæ, vel in propria fama, ipsi hoc damnum resarciendum esset. In foro tamen externo cùm hæres non solùm possit prosequi actionem defuncti intentatam ob injuriam acceptam, sed etiam de novo illam intentare, poterit ex hoc capite transactionem facere cùm debitore & pretium accipere, ut desistat ab actione, quam prosequi, vel intentare poterat in foro externo, quod pretium, seu pecunia non est pretium famæ ablatæ, sed juris, quod habet ad intentandam litem, quod jus ille vendit pro eo pretio. Unde patet responsio ad secundum membrum Q. 3.

CASUS XV.

De restitutione præstanda ab eo, qui alterum impedivit à consecutione legati, beneficii, alteriusve boni.

POntianus ob inimicitas cum Cajo habitas non quidem vi, aut fraude, sed tamen ex odio, & animo nocendi suadet Pontio testatori, ne legatum mille fl. relinquat Cajo, sed illud Patronillæ consanguineæ suæ viduæ leget. Præterea, cùm Nunnus frater Caij aspiret ad Beneficium Ecclesiasticum, suasione, & precibus Collatorem jam determinatum ad conferendum Beneficium Nunno Sacerdoti permovet, ut illud conferat filio suo, licèt minùs digno.

QUÆR. I. An, & quando ad restitutionem teneatur, qui precibus aut consilio absque

absque vi, & fraude alterum impedivit à consecutione alicujus boni aliàs obtinendi?

QUÆR. II An Pontianus absque vi, & fraude, sed tamen ex odio, & animo nocendi persuadendo Pontio, ne legatum relinquat Cajo, teneatur ad restitutionem Cajo faciendam?

QUÆR. III. Et an teneatur ad restitutionem faciendam Nunno à consecutione Beneficii ita à se impedito?

93 ANnte 1. Q. resolutionem notandum est, tripliciter posse aliquem impediri à consecutione alicujus boni.

Primò potest quis impediri à consecutione boni sibi debiti ex justitia, seu ad quod jus habet in re vel ad rem. Secundò impediri potest à consecutione boni ex justitia non debiti, sed conferendi ex libera alterius voluntate. Tertiò, impediri potest à consecutione talis boni suasione, precibus, consilio &c. vel vi, fraude, mendaciis &c. Hoc notato.

94 R. 1. qui voluntariè aliquem impedivit à consecutione boni ex justitia propriè debiti, quomodocumque concurrat ad impediendam boni consecutionem, tenetur ad damni illati compensationem. Ita communis DD. & ratio est; quia talis alterum ita impediendo violat illius jus, quod habet, & damnum illi infert injustum: ergo tenetur damnum datum compensare; attento tamen jure, ut notat Molina *D. 727. n. 6.* quod habebat, qui impeditus injustè fuit, & attenta certitudine, vel probabilitate majori, vel minori, quæ erat, ut id bonum consequeretur, nisi illo injusto modo fuisset impeditus: unde si non omninò certum erat, quòd id fuisset consecuturus, tunc, qui injustè impedivit, non erit cogendus, ut totam illius rei æstimationem restituat, sed solùm pro rata probabilitatis.

95 R. 2. quando bonum, à cujus consecutione aliquis impeditur, non erat ei debitum ex justitia, ita ut, salva justitia, integrum sit ei, qui illud conferre volebat, id non conferre, restituere non tenetur, qui absque vi, & fraude Collatorem suasione, aut precibus movet, ut illud non conferat ei, cui conferre animo destinaverat. Ita rursus communis DD. Ratio est, quia qui ita movet, ac persuadet collatorem, non peccat contra justitiam, sicut nec ipse Collator mutando suam voluntatem peccat contra justitiam: ergo ad nullam restitutio-

tionem tenetur ei, cui eâ viâ collatum non fuit bonũ, quod alioquin foret illi conferendum; cùm justitiam non violaverit, hoc ipso quòd is, qui impeditur, non habeat jus ad id, à quo impeditur.

96 R. 3. qui alterum per vim, & fraudem impedivit à consecutione boni alicujus, quod ex sola liberalitate erat ei conferendum, restituere illi tenetur, quantùm æstimabatur illud bonum, à quo fuit impeditus. Ita Molina *citt. D. 727.* Lugo *D. 18. sect. 5.* Vasquez. *D. 175. c. 2.* Sanch. *l. 2. in de calog. c. 22. n. 21.* Laym. *l. 3. tr. 2. c. 7.* Less. *dub. 18. assert. 1.* Sotus, Navar. Diana, Bannes, Medin, aliique contra non nullos apud Eman. Sà *v. restitutio, n. 21.* & Molinam n. 6. arbitrantes, ad nullam teneri restitutionem impedientem à consecutione alicujus boni, quod impedito non est debitum ex justitia.

Ratio communis sententiæ est, quia, licèt, qui ita impeditur, non habeat jus absolutum ad tale bonum, habet tamen jus conditionatum habendi illud, si alter conferre voluerit, & habet insuper jus absolutum, ne per fraudem, aut vim ei impediatur potentia passiva, quam ipse, & unusquisque habet ad recipiendum à quocumque, quod gratuito titulo voluerit, & potuerit ei conferre: ergo impediens contraveniendo huic juri facit injuriam impedito, & contra justitiam adversus eum delinquit, atque adeò restituere ei tenetur, quantùm æstimabatur damnum ita injustè datum. Ex quo constat, falsum esse id, quod adversa pars in contrarium affert, quòd, quandocumque aliquis impeditur à consecutione boni, quod illi ex justitia non erat debitum, impediens ad nullam restitutionem teneatur.

Ad 2. Q. an Pontianus absque vi, & fraude, sed tamen ex odio, 97
& animo nocendi persuadens Pontio, ne Cajum legatarium instituat, teneatur ad compensationem damni Cajo faciendam? Affirmant non nulli apud Molinam n. 3. cum Paludan. & Richard. id, quod videtur colligi ex *l. 1. §. iidem ajunt 2. ff. de aqua pluvia arcend.* ubi dicitur, si quis fodiat puteum in suo proprio agro, præcidatque venas aquæ, quibus in puteum, aut in fontem, alterius fundi aqua dirivabatur, idque in causa sit, ne derivetur, non dari actionem adversus ita præscindentem venas in prædio suo, quando id non fecit, ut noceat alteri, quia usus est jure suo: ergo à sensu contrario, si id animo nocendi fecit &c.

Et ratio dubitandi esse potest, quia in multis animus nocendi alicui facit, ut sit contra justitiam id, quod aliàs sine eo animo contra justitiam non esset, nec obligatio-

nem restituendi afferret, ut fusè probat Lugo *D. 8. de injuriis in gen. sect. 6. & D. 18. sect. 5.*

98 Verùm communis sententia negat apud, & cum Molina, *l. c. n. 4.* Lug. *l. c. n. 98.* Vasq. *tr. de benefic. c. 2. §. 3. n. 127.* Sanch. *l. 2. Consil. c. 2. dub. 49.* Less. *dubit. 18. n. 129.* Palao *Dep. 11. §. 5.* Dian. Adrian. aliisque, qui ad colligandū quandonam animus nocendi eam obligationem inducat, vel non, hanc generalem regulam statuunt: quotiès aliquis neque contra justitiam peccaret, neque ad restitutionem teneretur, impediendo collatorem cujuscumque boni, nullo interveniente odio, animóque nocendi; neque etiam peccare contra justitiam, neque teneri ad restitutionem, etsi impediat ex odio, animóque nocendi; ut adeò quando absque injustitia posset directè velle illud nocumentum inferre, intentionem nocendi, & affectum odii non transferre actum illum in speciem injustitiæ, neque inducere obligationem restituendi.

Et ratio regulæ est; quia odium, & animus nocendi in iis rebus, in quibus potest quis alioquin nocere absque injustitia, non est peccatum contra justitiam, sed contra charitatem, ut si judex malefactorem, aliàs morte dignum simul ex odio erga illum, interfici jubeat ob delictum, quod commisit, non peccat contra justitiam, sed solùm contra charitatem: cùm igitur peccatum contra solam charitatem commissum non inducat obligationem restituendi, consequens est, ut qui ex odio, animóque nocendi impedit collatorem beneficii, legati, aut cujuscumque alterius boni in casu, quo, secluso odio nec peccaret contra justitiam, nec ad restitutionem teneretur, etiamsi odium, & nocendi animus in illo eventu interveniat, neque contra justitiam peccet, nec ad restitutionem teneatur.

Cùm ergo Pontianus non peccâsset contra justitiam, etsi odium, & animus nocendi abfuissent, eò quòd absque vi & fraude impediverit Cajum à consecutione legati nec Cajus jus habuerit ad id, à quo fuit impeditus, consequens est, ut etiam odio, & animo nocendi interveniente, nec contra justitiam peccaverit, nec ad restitutionem sit obligandus. Unde

Ad legem 1. citt. & in contrarium relatam R. eam non habere locum in foro conscientiæ: imò neque in foro externo in posito casu de legato, ut notant Molina *l. c.* & Navar. *in Man. c. 17. n 71.* Nec argumentum à contrario firmum esse in jure, præcipuè cùm contrarium absolutè dispositum est, prout absolutè dispositum est, te nullam obligationem habere, cùm proprio jure uteris, *l. 1. §. denique ff. de aqua pluv. l. Proculus, & l. stamnum, §. fin. de damno inf.*

Ad

99 Ad 3. Q. eum, qui impedivit dignioremetiam absque vi, & fraude à consecutione Beneficii Ecclesiastici, ut illud conferretur digno, teneri ad restitutionem digniori præstandam, affirmant complures apud, & cum Diana *D. 1. q. 3. p. 12. n. 7.* Rationem dant, quia talis impediens violavit jus, quod dignior habebat, ut præferretur digno; digniorem autem habere jus, ut sibi beneficium conferatur, censent, Cajetan. *2. 2. q. 62. a. 2.* Palud. *in 4. dist. 15. q. 2. a. 2.* Sylvest. *v. restitutio, 3. q. ult.* Petr. Navar. *l. 2. de restit. c. 2.* Bart. Medina *l. 1. c. 14. §. 32.* Vasq. *de benefic. c. 2. §. 3. dub. 17.* Rodriquez. Petr. Ledesm. Lop. Aragon. Bannes, salon. aliique contendentes, omittentem digniorem, & beneficium conferentem digno peccare peccato acceptionis personarum & contra justitiam distributivam, esseque injustum distributorem respectu dignioris, & delinquere adversus obligationem proprii officii, vi cujus obligatus erat beneficia dignioribus conferre.

100 Nihilominus contraria sententia satis probabilis est, quæ, secluso concursu, negat, eum peccare contra justitiam & ad restitutionem teneri, qui Ecclesiastici Beneficii collatorem, jam determinatum ad conferendum alicui Beneficium, suasione aut precibus eò permovet, ut illud sibi, vel alteri minùs digno conferatur. Ita Adrian. *in 4. de restit. §. consequenter.* Sotus *l. 4. q. 6. a. 3.* Navar. *c. 17. n. 27.* Covar. *reg. peccatum, p. 2.* Less. *c. 34. dub. 15.* Tolet. *l. 5. c. 19.* Valent. *tom. 3. D. 5. q. 7. p. 2.* Sà *v. restitutio, n. 22.* Palao *l. c.* Laym. *l. 3. tr. 2. c. 7. n. 2.* Molin. *de primog. Hisp. l. 2. c. 5. n. 57.* Azor *l. 6. c. 15. q. 2.* Gutierez *l. 2. can. qq. c. 11. n. 47.* aliique.

Ratio est, quia æquè probabile, vel probabiliùs est, digniorem ante electionem, præsentationem, aut collationem beneficii nullum habere jus propriè dictum, ut sibi, extra concursum, Beneficium Ecclesiasticum conferatur: ergo nec Collator Beneficii propriè injuriam digniori infert, si, eo prætermisso, conferat digno, nec consequenter illi infert, qui collatorem suasione, aut precibus ad id faciendum movet. Ant. prob. 1. quia Beneficium Ecclesiasticum est stipendium ministrorum laborantium in vinea Domini, quod datur ob officium ibi impensum; non tamen est præmium ministris ob eorum dignitatem constitutum, quod Conf. si beneficia tanquam bona communia essent Clericis debita ob eorum dignitatem, collatio facta digno, omisso digniore, nequaquam subsisteret; utpote de re aliena, & alteri debita; consequens autem est contra communem DD. sententiam, affirmantium collationes, & electiones sic factas de jure subsistere, nec per

sententiam rescindendas, uti colligitur etiam ex *c. cùm nobis 19. c. cùm inter 21. &c. de elect.* ergo dicendum est nequaquam digniori beneficium propriè deberi.

2. Quia nullus, etsi dignissimus, jus habet ad beneficium, nisi sub conditione, quòd conferens illud ei conferre voluerit: ergo antecedenter ad hanc voluntatem, solùm habet jus ex quadam decentia, & proportione in ejus dignitate fundata, quæ postulat, ut potiùs ipsi quàm aliis beneficium conferatur, sicut operarii digniores jus hoc imperfectissimum habent, ut potiùs illi, quàm alii ad laborem vocentur, qui tamen hanc vocationem ex justitia petere non possunt.

Unde negatur, Collatorem peccare contra justitiam commutativam, quæ ad restitutionem obligat, esseque injustum, nec peccare contra obligationem ortam ex officio, sed solùm adversus obligationem ortam ex præcepto, & mandato Ecclesiæ, cui infidelis, & inobediens est; non tamen injustus, ut notat Palao *l. c.*

Dixi suprà, secluso concursu, seu extra concursum; nam in beneficiis, quæ ex consuetudine; vel statuto conferenda sunt per concursum seu oppositionem antecedentis examinis, dari obligationem restituendi digniori, concedunt passim DD. utpote cui jus quæsitum est petendi beneficium, si dignior repertus fuerit in examine, quod idcirco subiit.

CA-

CASUS XVI.

De depoſito, & culpa depoſitarii.

FLorianus in depoſitum accepit ciſtam continentem pecunias, & non nulla alia pretioſa à Flaviano ſibi traditam, quam reponit in ſuo cubiculo clauſo, non tamen in arca, in qua pecuniæ propriæ aſſervabantur; cùm autem Florianus non nunquam famulis ſuis aliàs ſemper fidelibus clavem cubiculi ſui committeret, unus eorum oblatâ ſibi opportuna occaſione aliqua clam ex depoſita ciſta ſurripuit. Poſt aliquod tempus Flavianus repetit & accipit depoſitum; ſed dum ea luſtrat, quæ in ciſta continebantur, deprehendit, non omnia inveniri.

QUÆR. I. Ex qua culpa teneatur depoſitarius deponenti, ſi res depoſita apud ipſum pereat, vel deterior fiat?

QUÆR. II. An Florianus teneatur reſarcire damnum Flaviano à famulo illatum?

QUÆR. III. An, & quando, cùm ciſta in cuſtodiam tradita reſtituenda eſt, & non omnia in ea repoſita inveniuntur, peti poſſit compenſatio damni à deponente?

101 ANte reſolutionem hujus caſûs, notandum hîc eſt, duplicem eſſe culpam, Theologicam unam, & Juridicam alteram. Culpa Theologica, ſeu in foro interno, prout hîc ſumitur, eſt peccatum formale contra juſtitiam, ſeu formalis injuria. Culpa Juridica, quâ ſcilicet aliquis in foro externo culpabilis evadit, & pœnæ ſubjacet, eſt voluntaria omiſſio debitæ diligentiæ, ex quâ alteri provenit aliquod damnum, aut incommodum. Quòd ſi omiſſio talis diligentiæ fuit theologicè peccaminoſa, jam non eſt culpa merè Juridica, ſed Juridica, & Theologica ſimul. Dividitur autem culpa Juridica in *latiſſimam, latiorem, latam, levem, leviſſimam.* Culpa *latiſſima* eſt, de qua prudenter dubitari non poteſt, quin animo nocendi admiſſa ſit: Unde dolus apertus dicitur.

Latior dicitur dolus præsumptus, seu talis omissio debitæ diligentiæ, ex qua licèt non omninò manifestè colligatur malus nocendi animus, & dolus, is tamen rationabiliter præsumitur. *Lata* est omissio diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis & in talibus circumstantiis communiter adhibere solent. *Levis* est omissio diligentiæ, quam homines solùm diligentiores, & cautiores adhibere solent; *Levissima* verò est omissio diligentiæ, quam non nisi diligentissimi & cautissimi solent adhibere. Culpa Juridica sæpè cum Theologica levi, vel gravi conjuncta est, quando nempe liberè ex malitia, vel ex fragilitate, ignorantia, aut inadvertentia coram Deo culpabili debita cautela, & diligentia omittitur, & jus alienum inde violatur: unde culpa latissima semper, vel ferè semper, latior plerúmque, lata frequenter per sè peccatum habet annexum, quia per se quivis tenetur adhibere communem diligentiam, & cautelam, ne damnum proximo suo inferat, & jus illius lædat. Culpa levis rarò admodùm, & rariùs levissima cum Theologica conjungitur; quia juxta communem sententiam cum S. Th. *q. 1. de malo, a. 3.* ordinariè nemo tenetur cautelam adhibere majorem eâ, quam communiter homines similis conditionis, & in similibus negotiis, ac circumstantiis adhibent, saltem extra contractum. Hoc notato.

Ad 1. Q. R. Depositarium ad præstandum damnum rei depositæ, si apud ipsum periit, vel deterior facta est, regulariter solùm teneri de dolo, & culpa lata. Ita communiter DD. Quòd teneatur de dolo, habetur *l. 1. §. si quis servum, ff. ead. §. præterea 3. Inst. quib. mod. contrah. oblig. l. depositum 1. §. in conduct. 10.* 102

Præsumitur autem dolus commissus, si rebus tuis propriis salvis, res aliena, quæ apud te depositа fuit, in eodem loco existens, amissa fuit, *c. bona fides h. tit.* ubi Gregor. IX. ait: bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti. Quòd verò teneatur de culpa lata, colligitur inde, quod hæc in contractibus (qualis est etiam depositum) æquiparetur dolo, *l. quod Nerva, 32. ff. h. tit.* Et ratio est, quia salva bona fide Depositarius nequit minorem diligentiam adhibere in rebus depositis, qnàm adhibere quisque soleat in rebus suis propriis: atqui quivis in rebus suis propriis adhibet diligentiam saltem communem: ergo etiam in rebus depositis, quam proin, si in his non adhibeat, latam culpam committit, & præsumitur non procedere bona fide, sed agere dolo malo, qui tunc præsumitur juxta citt. *l. quod Nerva* quando quis in rebus suis curandis diligens, in depositо negligens est; dolus autem malus obli-

obligat ante Judicis ſententiam, anteque exactionem decepti, ut patet ex *l. 23. ff. de R. J.* & ex eo, quòd qui alterum dolo circumvenit, eum injuſtè lædat; injuſta autem læſio inducit obligationem reſtitutionis ante omnem Judicis ſententiam, vel exactionem, uti patet ex alibi dictis, & tractatu de reſtitutione.

Dixi ſuprà regulariter teneri Depoſitarium de dolo, & culpa lata; nam excipiuntur aliqui caſus, in quibus etiam de culpa levi vel leviſſima tenetur; cujusmodi ſunt. 1. Si inito pacto ita conuentum fuit inter deponentem & depoſitarium, ut hic etiam de levi vel leviſſima culpa teneatur, quia contractus ex conventione legem accipiunt, *leg. depoſitum, 1. §. ſi convenit 6. ff. h. tit.* 2. Si depoſitarius pro rei depoſitæ cuſtodia mercedem accepit, quo in caſu teneretur etiam de culpa levi, *C. bona fides 2. h. tit. & l. depoſitum 1. §. ſi veſtimenta, 8.* eo quòd tunc contractus diceretur in utriusque utilitatem celebratus. 3. Si quis ad depoſitum recipiendum ſe obtulit, citt. *c. bona fides.* 4. Si quis ad cuſtodiendum teneatur ex officio, *l. ait prætor, 1. ff. nautæ &c.* Ubi ſtatutum eſt, ut Nautæ, Caupones, ſtabularii &c. præſtare teneantur culpam etiam leviſſimam, ſi res à Viatore apud ipſos deponantur; idque ad fraudes horum hominum arcendas, & ad conſulendum ſecuritati viatorum, & hoſpitum.

Excipitur tamen niſi ejusmodi homines præmonuerint, ut unusquisque res ſuas cuſtodiat & earum curam ipſimet deponentes habeant, iſtique conſenſerint; tunc enim neque de levi culpa tenebuntur.

Pro foro tamen conſcientiæ non teneri depoſitarium ex culpa merè Juridica, ſeu non conjuncta cum theologica, docent Lugo *D. 8. ſ. 8.* Rebuff. *p. 2. l. 16. q. unic. n. 5. & ſeqq.* Palao *D. 3. p. 8.* Laym. *l. 3. § 5. tr. 4. cap. 25. n. 1.* & alii. Moventur, tum *leg. ſi ſint. ff. depoſiti.* ubi dicitur: ſi ſine dolo malo rem depoſitam amiſeris, nec depoſiti teneris; tum *leg. ſi ut certò, §. nunc videndum, ff. commodati*, ubi dicitur, interdum ſolum dolum, interdum & culpa præſtamus dolum in depoſito, nam quia nulla utilitas ejus vertatur apud quem deponitur, meritò ſolus dolus præſtatur, niſi fortè & mora acceſſerit, tunc enim & culpa exhibetur. Et ratio eſt ipſa natura talis contractûs ut ait Palao l. c. cùm enim Depoſitarius nullum ex depoſito commodum accipiat, ſed onus cuſtodiæ duntaxat ſuſcipiat, cenſendus, ac præſumendus eſt, ſe tantùm velle obligare ad depoſitum bona fide cuſtodiendum, illudque reddendum, cùm fuerit petitum; non autem præſumi poteſt, ſe velle aſtringere ad illud redden-

dendum, cùm absque ſua culpa & malitia periit. Conf. ex Lug. l. c. quia ejusmodi contrahentes nullo modo intendunt, ſe obligare ad reſtituendum pro caſu merè fortuito, ut omnes inquit, fatentur; ſed quando res aliena perit absque ulla culpa theologica, ſed propter naturalem oblivionem, & inadvertentiam non minùs eſt fortuitus ille caſus in foro conſcintiæ, quàm ſi periiſſet incendio, vel inundatione &c. ergo neque pro iſto caſu volunt ſe obligare in foro conſcientiæ.

103 Ad 2. Q. R. Florianum, per ſe loquendo, obligatum eſſe ad damnum Flaviano reſarciendum. Ratio colligitur ex dictis; quia depoſitarius circa res depoſitas tenetur adhibere eam diligentiam, quam adhibet in curandis rebus propriis, quam ſi non adhibeat, cenſetur committere gravem negligentiam, & culpam latam in depoſito cuſtodiendo: atqui Florianus talem diligentiam non adhibuit in depoſito cuſtodiendo, cùm pecunias proprias in arca benè clauſa repoſitas cuſtodiverit, depoſito in cubiculo relicto, ad quod aditus famulis ſubinde patebat, & occaſio facilis eſſe poterat ad furtum committendum; ergo reus erit culpabilis gravis negligentiæ, & culpæ latæ. Dixi per ſe loquendo; nam ſi certò ſciret, ſe nullam negligentiam coram Deo culpabilem, & theologicam admiſiſſe; poſſet in foro conſcientiæ ſe accommodare ſententiæ ſuprà relatæ. In foro tamen externo qnoties culpa lata eſt, & dolus præſumitur, ea præſumptione ſtante, depoſitarius condemnatur, juxta citt. c. *bona fides &c.*

Ad 3. Q. cùm ciſta depoſita reſtituenda eſt, & qui illam depoſuit, 104
aſſerit, aliquid in ea amiſſum eſſe, videndum eſt, an ciſta reſtituatur clauſa & obſignata, ſicut erat ab initio, cùm ea in cuſtodiam tradita eſt, ita ut nullum ſignum apertionis appareat, nec quidquam aliud in contrarium mutatum deprehendatur, an verò reſerata reſtituatur, aut ſigna aliqua mutata appareant &c. ſi primum contingat, tunc deponenti incumbit obligatio probandi, talem rem fuiſſe in ciſta, & ex dolo, vel culpa depoſitarii fuiſſe aliquid amiſſum, quia dolus, & culpa non præſumuntur, niſi probentur. Si verò ciſta reſerata reddatur, cùm prius fuerit clauſa & obſignata, vel aliquid appareat fuiſſe mutatum, v. g. ſigillum non fragile &c. tunc ciſta præſumitur reſerata dolo depoſitarii, vel ab eo, non debito modo, & cautelâ cuſtodita; adeòque teneri ex dolo, vel culpa lata.

Quòd ſi Dominus pecuniam numeratam, non clauſam, nec obſignatam alterius cuſtodiæ committat,

mittat, cenſetur ipſi mutuò dare, poteſtatémque facere alienandi, eâ negotiandi &c. *arg. l. ſi ſacculum, ff. depoſiti*; ac proinde ex eo tempore, quo mutui, vel quaſi mutui contractus interveniſſe cenſetur, dominium, atque adeò ipſum etiam rei periculum ad depoſitarium ſpectet.

CASUS XVII.

De mutuo dato cum præſcientia valoris augendi, & minuendi.

BArillus cujusdam Principis Conſiliarius ſciens ex mandato Principis pauplò pòſt valorem monetarum aurearum auctum iri; argentearum verò minuendum, Donato mutuum petenti dat centum aureos; Dagoberto verò centum fl. ea conditione, ut poſt annum uterque reddat tantum, quantum accepit, nulla facta mentione de valore monetarum augendo, & minuendo, eò quòd hoc ſecretum à Principe ſibi communicatum revelare non poſſit.

QUÆR. I. An Barillus ſciens poſtea eſſe minuendum valorem pecuniarum argentearum poſſit licitè Dagoberto mutuos dare centum illos florenos, ut eos ſibi reſtituat juxta valorem, & æſtimationem, quam habebant tempore mutuationis, non monito Dagaberto de variatione pretii futura?

QUÆR. II. An Donatus teneatur reddere centum aureos in ſpecie, cùm poſt auctum aureorum valorem reſtituendum eſt mutuum, an verò ſatisfaciat reddendo æqualem valorem?

QUÆR. III. An licitum ſit aliquid accipere ultra ſortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. ante annum &c.

105 AD 1. Q. negativè reſpondent Azor *3. p. l. 5. c. 7. q. 9.* Abulens, Gabr. aliique apud *R. P. Leonardelli Soc. Jeſu*, Salas *dub. 25. n. 3.* arbitrantes talem contractum uſurarium fore, niſi mutuans ante diminutionem valoris

loris posset emere illâ pecuniâ aliquid æquivalens.

106 Affirmativam tamen sententiam meritò tenent Idem Salas l. c. Lugo *D. 25. Sect. 7.* Less. *l. 2. c. 21. n. 44.* Bonac. *D. 3. q. 2. p. 5.* Reginald. *l. 25. n. 345.* Sylvest. *v. usura 1. q. 19.* Diana *tr. 8. de contract. Res. 25.* & alii censentes talem contractum adhuc justum, & licitum esse. Prob. 1. quia ea pecunia, quæ mutuò datur, verè tunc talem valorem habet, ac retinet, & pro hoc tanto valore debet mutuatarius postea reddere æqualem valorem, seu tantum, quantum accepit. Nec obest, quòd interea valor pecuniæ acceptæ decreverit; nam decrementum hoc non mutuans, sed mutuatarius subire debet, quia valor pecuniæ non perit mutuanti, cùm non pereat tempore, quo pecunia erat mutuantis, sed perit mutuatario, quia perit tempore, quo pecunia erat propria mutuatarii, utpote qui illius dominium acquisiverat per mutuum acceptum; valor autem rei Domino perit.

Conf. quia mutuans ita mutuando utitur jure suo, & tradit pecuniam tanti valoris, ut recipiat pecuniam æqualis valoris, & consequenter non accipit aliquid supra sortem, cùm tantum sit recepturus, quantum tradidit. Nec obstat, quòd defectus diminuti pretii debeat à mutuatario compensari; quia per hoc mutuans non plus recipit, quàm dedit, sed æqualem valorem, qualem habebat, & retinebat pecunia, cùm mutuaretur. Nec obest præscientia privata, quam mutuans habet de decremento pecuniæ futuro, cùm eam nec teneatur, nec possit manifestare ratione secreti servandi. Quod Conf. 2. à pari; nam etiamsi venditor sciat futuram pretii remissionem, seu diminutionem, & emptor nesciat; nihilominus potest res suas absque injustitia vendere pretio currente, ut docet communis DD. cum S. Thom. *q. 77. a. 3. ad quartum*; quia res justè vendi potest juxta communem æstimationem pro tempore vigentem, & usitatam, hoc ipso, quòd justum pretium desumatur vel à Principis lege, vel à communi hominum æstimatione; nec privata scientia venditoris communem sensum, & æstimationem mutat, sicut non mutat privata scientia emptoris, alioquin emptor non posset emere pretio currente, si sciret pretium postea notabiliter augendum, quod falsum esse constat exemplo Josephi Patriarchæ *Genes. 41.* Ergo &c.

Ad 2. Q. si Barillus centum aureos mutuos dedit sine expresso pacto, ut reddantur in eadem omninò specie, & ejusdem bonitatis, tunc non esse obligatum, auctô pretiô, ad centum aureos in specie restituendos, sed poterit diminuto numero aureorum æstimationem detrahere. Ita Molina 107

D.

D. 312. Tolet *l.* 5. *c.* 34. Eman. Sà *v. mutuum*, Navar. *c.* 27. *n.* 194. Lugo *D.* 25. *de just. sect.* 7. *n.* 124. Salas *dub.* 25. *n.* 1. Less. *l. c. dub.* 17. *n.* 151. Palao *D.* 4. *de mutuo n.* 7. Rebell. *l.* 11. *q.* 15. Fill. *tr.* 35. *n.* 490. Sotus, Sylvest. & alii, affirmantes contra Bartolum, aliosque Juristas apud Pal. l. c. mutuum non debere reddi in eadem specie monetæ, sed posse mutuatarium restituere in moneta quacumque ejusdem valoris, & bonitatis, seu quæ adæquet valorem illius, quam acceperat, sive valor pecuniæ postea extrinsecè creverit, sive decreverit, ut si centum aureos accepisti, reddas tantum, quantum adæquat valorem centum aureorum, ubi diminuto numero aureorum detrahere poteris eam majorem æstimationem, quia ea detractione facta tantum restituis, quantum inspecta communi hominum æstimatione accepisti. Ratio est 1. quia usus jam obtinuit, & consuetudo omnium Provinciarum, teste Lug. Molin & aliis, ut nisi aliud in pactum deductum fuerit, omnia debita sive ex delicto, sive ex mutuo, sive ex quolibet alio contractu validè solvantur in quacumque legitima moneta: ergo. Nec obstat hîc quòd mutuum inducat obligationem solvendi in eadem specie; quia hoc non obstante dicitur adhuc solvi in eadem specie formali, siquidem species potissima monetæ non desumitur ex materia, sed ex valore, à quo formaliter, seu tanquam forma constituitur in ratione monetæ, ut adeò quando solvitur in moneta habente eundem valorem formalem, dicatur solvi mutuum in eadem specie, ac bonitate, & sit tantumodo in hoc differentia aliqua individualis, & materialis, non verò specifica, ut advertit citt. Lugo.

2. Quia si valor pecuniæ mutuò acceptæ interea decrevisset, non ideò esset minus valoris solvendum mutuanti, ut patet ex suprà dictis, quandoquidem valor ille non perit tempore, quo pecuniæ erant propriæ mutuantis, sed quo erant propriæ mutuatarii, cui proin tanquam domino rei valor perit; non verò mutuanti, qui tunc temporis illius Dominus non erat: ergo à pari, si pecuniæ valor crevit, accrescet mutuatario tanquam domino pecuniæ; non verò mutuanti, cui proin non plus valoris erit reddendum, quàm fuerit valor, quem mutuò dedit, aliàs mutuans acciperet aliquid ultra sortem mutuò datam, scilicet augmentum pecuniæ interim auctæ.

Favet huic doctrinæ *cap. olim, & cap. cum Canonicis de censib.* quæ doctrina secundùm Molin l. c. Lug. & alios procedit etiam pro casu, quo mutuans fuisset pecuniam servaturus; tum quia lucrum cessans, nisi in pactum deducatur, non debet solvi à mutuatario, antequam sit in

mora solvendi; tum quia sicut si valor decresceret, mutuans ratione mutui vitaret damnum decrementi, ita quoque subire debet jacturam illius incrementi, quæ per accidens ratione mutui inde sequitur.

P. 3. à pari. Si mutuò accepisti duos modios tritici, & postea ex Principis mandato mensura tritici, augeatur, non obligaris auctâ mensurâ reddere duos modios tritici integros, sed sufficit reddere duos modios tritici correspondentes duobus modiis præcedentibus, quos accepisti, antequam mensuræ variatio fieret: ergo pariter si accepisti mutuos centum aureos, & postea ex mandato Principis valor aurei crevit, non teneris jam dare centum aureos integros, sed valorem centum aureorum, qualem mutuo accepisti.

Dices cum Bartol. *in leg. 1. §. ult. ff. de auro, & argento*, qui aurum mutuum accepit, non satisfacit tantumdum reddendo in argento, vel ære, quia reddit aliquid specie diversum ab eo, quod accepit, adeóque non redditur mutuum in eadem specie.

R. n. a. si aliter conventum non fuit; etsi enim reddat aliquid specie physica diversum, satisfacit tamen, quia nobilitatem materiæ acceptæ compensat quantitate, & valore pecuniæ solutæ, siquidem in pecunia, quod principaliter spectatur, non est materia, sed ejus valor extrinsecus, & æstimatio, ut colligitur non obscurè ex *leg. 1. ff. de contrahend. empt. & l. unic. Cod. de argenti pretio, quod thesauris infertur.* Ubi Imperator statuit, *in publicis collationibus licere pro 20. libris æreis unum auri solidum, & pro singulis argenti libris quinos æreos inferre.*

R. 2. etsi Barillus sciverit, pecuniæ aureæ valorem brevi augendum, si tamen mutuos dedit centum aureos roganti Donato, idque in pactum deduxit, ut mutuum reddatur in eadem specie, & moneta, potest exigere, ut centum aurei in specie, (vel æquivalenti) sibi reddantur, non obstante aùgmento pecuniæ mutuatæ, si tamen ipse mutuans pecuniam suam erat servaturus usque ad tempus valoris aucti, sicut de quolibet præsumitur, quòd esset servaturus, si sciret pecuniam brevi auctum iri. 108

Ratio est, quia nisi posset exigere centum aureos cum suo augmento, deberet ipsemet damnum pati ob lucrum ipsi cessans, ratione cujus potest exigere, & accipere solutionem illam in eo majore valore monetæ, quem habebunt eo tempore, ad quod servaturus erat suos aureos, ut notant Molina *D. 311.* Lugo, & alii l. c.

Nec

Nec obstat, quòd lucrum cessans non debeatur, nisi deducatur in pactum; nam in hoc casu deducitur in pactum saltem sub conditione, ut advertit citt. Lugo, hoc ipso enim, quòd petas, ut pecunia in eadem specie, & quantitate reddatur, eo ipso petis, ut reddatur cum majore valore, si fortè valor interim crescat.

Nec obest hîc scientia mutuantis, nec ignorantia mutuatarii de valore augendo; nam illa ignorantia non infertur injuriosè à mutuante, sed duntaxat non aufertur, quam auferre non tenetur, nec potest ob silentium secreti, quod revelare non potest, adeóque sicut validus esset contractus, si mutuans ignoraret variationem valoris, sic validus erit, licèt mutuans id sciverit, quia onus re ipsa non est majus ex eo, quòd unus periculum sciverit; nec habenda est ratio illius scientiæ privatæ incommunicabilis. Accedit, quod illa ignorantia mutuatarii non versetur circa substantiam contractûs, quia licèt mutuans privata scientia augumentum pecuniæ futurum noverit, moraliter tamen, & in communi existimatione periculum illud ignoratur, & pecunia retinet totum suum valorem, & consequenter onus reddendi tot numos aureos in æquali quantitate cum illo augmento communiter non æstimatur majus, quàm apprehendatur à mutuatario: unde sicut potes mutuare pecuniam, etsi scias brevi èjus valorem minuendum cum obligatione mutuatarii reddendi æqualem valorem, ut dictum est suprà, quia tua scientia non minuit præsentem pecuniæ valorem; ita poteris mutuare eandem cum obligatione reddendi æqualem valorem, licèt scias brevi ejus valorem augendum, quia tua præscientia non auget onus illud, nec ignorantia mutuatarii versatur circa ejus substantiam, sed circa rem futuram, quæ in communi æstimatione non facit esse onus diversum, quando communiter id ignoratur: atque adeò sicut in priori casu de decremento pecuniæ obligatio mutuatarii est adhuc sufficienter voluntaria: ita & in posteriori casu de augmento pecuniæ, quia etiam in priori casu mutuatarius non acciperet fortè mutuum, si sciret pecuniam brevi minuendam; sicut fortè non acciperet in posteriori casu, mutuum cum eo pacto, si sciret monetam brevi fore augendam; Rectè tamen notat hîc citt. Lugo si mutuans sine gravi suo incommodo posset, teneri monere mutuatarium, ut vel mutuum non petat, vel pecuniam non expendat, donec ejus valor augeatur, idque saltem ex charitate.

Ad 3. Q. non nulli cum Joan. Medina *de restit. q. 32. §. inde infertur*, & Petr. Ledesm. *p. 2. tr. 8. c. 35. concl. 4.* censuerunt, licitum esse aliquid accipere ultra sortem 109

ratione ſolius carentiæ pecuniæ, ſeu pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus v. g. ante annum &c. Quia obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus eſt pretio æſtimabilis, & mutuans ita mutuando ſe privat interea poteſtate cum tali pecunia negotiandi.

Verùm dicendum eſt cum communi ſententia id illicitum, & uſurarium eſſe. Ita Lugo *D. 25. ſect. 3.* Salas *dub. 9. n. 12.* Leſſ. *l. 2. de juſt. c. 20. n. 126.* Tambur *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 6.* Turrian. *D. 61. dub. 3.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16.* Molina *D. 308.* vocans opinionem contrariam, novam, inauditam, & valde periculoſam, utpote quæ latam viam aperit uſuris, aliique communiter. Ratio eſt, quia carentia illa pecuniæ, & obligatio non repetendi mutuum ad tempus eſt intrinſeca, & eſſentialis mutuo: ergo ſicut pro mutuo nihil accipi poteſt ſine vitio uſuræ, ita nec pro carentia, ſeu obligatione non repetendi ante tempus, etiam longius, quia id aliud non eſt, quàm mutuum prorogatum, ſeu extenſio beneficii gratuiti ad majus, ſeu longius tempus. Obligatio ergo non repetendi per annum licèt aliquid addat ſupra mutuum in communi, non tamen addit aliquid ſupra hoc mutuum in individuo; quia omne mutuum affert ſecum obligationem non repetendi per aliquod tempus, alioquin eſſet merum precarium: mutuum autem ad menſem, vel annum affert obligationem non repetendi per menſem, vel per annum: ergo ſicut pro prima obligatione ad primum tempus v. g. ad menſem nihil poteſt peti, quia eſt intrinſeca primo mutuo, ita neque poterit pro ſecunda obligatione ad ſecundum menſem v. g. vel pro tertia ad tertium &c. quia etiam hæc eſt intrinſeca ſecundo mutuo, ſeu continuationi primi mutui, quod prorogatur, & eſt virtualiter multiplex.

P. 2. quia ſi oppoſita ſententia eſſet vera, & ratione ſolius prorogationis liceret aliquid ultra ſortem exigere, nullus contractus eſſet re ipſa uſurarius, quia omnes contractus, qui aliàs reprobantur tanquam uſurarii, liciti eſſent additis ſolùm hiſce verbis: ego nolo lucrum pro mutuo, ſed pro obligatione, quâ ultra mutuum me obligo ad non repetendum illud intra tantum tempus: imò poſſet mutuans ab initio mutuum dare ad breviſſimum tempus, & dein prolongando ulteriùs, & ulteriùs tempus, aliquid ulterius, & ulterius ultra ſortem exigere. Unde

Ad rationem in oppoſitum R. obligationem non repetendi nihil ſuperaddere huic mutuo in ſpecie, & individuo, ut ſuprà inſinuatum eſt. Dein etſi aliquid ſuperadderet, mutuatarius jam ſufficienter compenſat obligationem non repetendi mutuum, dum ſolvens mutuum

tuum dat mutuanti facultatem utendi pecuniâ solutâ in perpetuum, & etiam ipse mutuatarius solvendo mutuum suo tempore privat se simili facultate, & quidem in perpetuum, & sicut mutuans mutuando privavit se facultate negotiandi cum illa pecunia, & lucrandi, ita postea redditur ipsi æqualis pecunia cum facultate negotiandi cum illa, & lucrandi, quæ facultas æquivalet priori; sicque fit debita compensatio, quod si talis non fieret ob lucrum cessans, liceret ob hoc aliquid accipere, non tamen præcisè ratione temporis prorogati.

CASUS XVIII.

De debitore morosо & restitutione ob damnum emergens & lucrum cessans.

MErchantius Mercator debet Juvenali mercatori duo millia fl, quorum solutionem diu distulit, tum ob detrimentum, quod in mercatura aliàs facere debuisset, tum ob magnum lucrum, quod inde percepit, ex quo factum est, ut Juvenalis non modicum damnum ex debiti dilatione passus fuerit.

QUÆR. I. An, & quando debitor ob damnum in propriis bonis emergens, aut lucrum cessans excusetur à restitutione statim facienda?

QUÆR. II. An quando debitor ex causa sufficiente excusatur à restitutione statim facienda, debeat postea ultra debitum ipsum restituere detrimentum lucri cessantis vel damni emergentis, quod Creditor ob dilationem restitutionis passus est?

QUÆR. III. An si debitor morosus sit in mora culpabili solvendi, & Ideo Creditor cogatur accipere pecuniam, & solvere interesse, debeat in conscientia id totum solvi ab ejus debitore, si priùs non fuit de eo admonitus à suo Creditore?

110 AD 1. Q. non nulli cum Cajetano *v. restitutio, q. 6.* & Soto *l. 4. de just. q. 7. a. 4.* discrimen faciunt inter debitorem ex delicto, & debitorem ex alio titulo, & debitorem ex delicto censent statim teneri restituere, etiam cum magno suo detrimento; non item posteriorem.

Alii

Alii generaliter loquentes affirmant, magnum, & notabile detrimentum in propriis bonis aliàs incurrendum excusare debitorem à restitutione statim faciènda, adeóque excusari eum, qui v. g. debet centum aureos, & non potest nunc restituere, nisi domum, vel prædium vendat multò minoris, quàm aliàs valeret &c. Ita Molina *D. 754.* Lugo *D. 21. Sect. 1.* Less. *l. 2. c. 16. n. 21. 22. & 25.* Bonac. *D. 1. q. ult. p. 1. n. 11.* Em. Sà *v. restitutio, n. 26.* Navarr. Valent. Salon. Clavis Regia, Filliuc. aliique communiter, qui tamen in reddenda excusationis ratione non consentiunt. Bonac. eam rationem reddit, quòd restitutio facienda sit, ut servetur æqualitas; hæc autem non videtur servari, si debitor cogatur ad restitutionem faciendam cum suo detrimento longè majori, quàm sit detrimentum creditoris. Alii cum eodem, & Scoto *in 4. dist. 15. q. 2. a. 4.* rationem esse censent, quia tunc Creditor irrationabiliter esset invitus, nisi consentiret in dilationem restitutionis, quam tamen rationem non approbant Cajetan. Sotus, Molina, & alii, eò quòd creditor non teneatur in id consentire, sed possit uti jure suo, petendo, quod jam sibi debetur, non obstante, quòd debitor in rebus suis per accidens detrimentum inde patiatur, aliàs si consentire teneretur in eam dilationem solutionis, peccaret urgendo debitorem ad solutionem. Unde Molina l. c. ait legitimam rationem esse impotentiam debitoris, quæ tunc censetur dari ad solveudum propter tantum detrimentum, quod hîc & nunc necesse est eum subire, si statim restituat; quæ tamen impotentia, licèt hîc, & nunc excuset debitorem à culpa differendo solutionem, non tamen impedimento est Creditori, quominùs absque culpa jus suum prosequatur, & executionem debiti adversus debitorem petat, nisi fortè parum, vel nihil sua tunc referret, restitutionem non statim sibi fieri, & debitor statim restituendo magnum detrimentum pateretur; tunc enim charitatis lege teneretur dare inducias debitori ad solvendum.

Porrò dixi suprà detrimentum in propriis bonis aliàs incurrendum; nam ad hoc, ut debitor excusetur à restitutione statim facienda, debet detrimentum, quod patitur, distinctum esse ab ipsa re restituenda, seu debet esse damnum in rebus non debitis; nam damnum, quod sentitur præcisè in restitutione rei debitæ, non est damnum pati in propriis bonis, sed est restituere, quod alteri debetur, & alioquin qui plura, & pretiosiora furarentur, melioris essent conditionis, quia plus amitterent restituendo, quàm qui leviora furati sunt; atque ideo faciliùs excusarentur à restitutione facienda:

Unde qui eâ solùm occasione dives

ves est, & statum ampliorem obtinuit, quia aliena occupavit, vel retinet, non ideò excusatur à restitutione, quòd cadere debeat à statu, quem injustè possidet, ut notat Lugo l. c, non enim fas est retinere alienum, malè partum, inuito eo, ad quem id pertinet, ut quis conservet suum statum.

Sicut autem notabile, & grave detrimentum proprium in bonis externis excusat ab obligatione restituendi statim: ita majori cum ratione notabile detrimentum in bonis altioris ordinis, ut in fama, vita, corporis salute, excusabit.

Ex suprà dictis infertur, non excusari debitorem ob detrimentum solum lucri cessantis, eò quòd si debitor non statim restituat alienum, sed differat restitutionem in aliud tempus, multum ex re aliena sit lucraturus, ut advertunt citt. DD. quoniam id non est detrimentum pati in rebus suis propriis, sed in eo, quòd non lucretur rebus alienis, invito eo, ad quem spectant, utpote qui non debet consentire dilationi solutionis solùm, ut debitor lucretur.

111 Ad 2. Q. non obligari debitorem justè tunc differentem restitutionem ad illa damna Creditori compensanda suaderi potest inde, quòd debitor ad ea resarcienda neque teneatur ex injusta acceptione, cùm ita differendo non peccet; neque ex parte rei acceptæ; cùm detrimentum, quod Creditor ex illa dilatione passus est, ad ipsum non pervenerit: ergo ex nulla radice tenetur.

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

Cajetanus *q. 62. a. 8.* respondet sub distinctione, & siquidem debitor restitutionem distulit ad vitandum damnum proprium in bonis fortunæ, teneri ad compensanda damna creditoris; secùs si restitutionem distulit, ut vitaret damnum in bonis Ordinis Superioris, ut in fama, honore, aut corpore.

Molina verò. *D. 754. n. 3.* cum Navarr. & aliis censet in utroque eo casu teneri debitorem ex tacito pacto compensare Creditori detrimentum illi ex ea restitutionis dilatione secutum; quia æquitas non patitur, ut debitor velit, alienum retinendo, quod jam ex justitia debet, evitare damnum proprium cum creditoris jactura, & detrimento; adeóque, ut licitè possit velle dilationem illius, quod ex justitia jam nunc debet solvere, necesse est, ut id volendo velit etiam suscipere in se onus resarciendi alteri minus damnum, si quod inde passus fuerit.

Sententia hæc videtur satis probabilis; si enim alteruter ex dilatione restitutionis, debitor, vel creditor, damnum pati debeat, potior debet esse conditio creditoris innocentis; quàm debitoris,

saltem cum æquali damno, vel si notabiliter majus sit damnum debitoris, ut minus creditoris compenset. Unde

Ad rationem in contrarium responderi potest, etsi debitor ad id non teneatur ex radice injustæ acceptionis, aut rei acceptæ, teneri tamen ex tacito pacto, & sub conditione, sub qua solùm licitè potuit velle eam restitutionis dilationem; quod si ab initio voluit eam dilationem absque tali pacto, & conditione, injustus fuit, ita eam volendo cum damno, & præjudicio Creditoris, sicque tenebitur ex radice injustæ acceptionis; uti etiam quando fuit debitor ex delicto; nam debitor ex delicto, cùm culpabiliter sit causa totius damni secuti, etiamsi illud postea fortuitò sequatur, totum debet restituere, cùm totum ex ejus delicto primò ortum habuerit: imò & debitor ex contractu, quando fuit in mora culpabili solvendi, quia tunc postea censebitur debitor ex delicto, & tenebitur ad damna postea secuta, sicut alii debitores ex delicto.

Notat autem hîc Lug. *D. 18. S. 2.* in praxi plerumque excusari debitores à restitutione damni emergentis, vel lucri cessantis creditori facienda ex eo capite, quòd dilatio solutionis non fuerit peccatum mortale contra justitiam, sive quia non poterant debito tempore solvere, sive quia non adverterunt, sive quia bona fide putârunt creditorem non esse graviter invitum circa dilationem pro eo modico tempore; non enim solent creditores adeò exacti & rigidi esse contra debitores, ut velint in solvendis debitis eos statim sub mortali obligare ad præstandam solutionem: imò indecorum censetur Creditoribus ita urgere debitores, ut inducias aliquas non concedant, ut commodè possint satisfacere. Ut adeò sæpè possint excusari à culpa gravi in dilatione solutionis, quando bona fide putant creditores scientes, & potentes urgere, & tamen non exigentes debitum, non velle uti toto suo jure & obligare sub mortali ad non differendam solutionem.

Supponit autem hîc citt. D. quòd *D. 8. S. 5.* cum pluribus aliis docet, ex culpa veniali non dari obligationem restituendi ex delicto damnum grave.

Ad 3. Q. an debitor morosus, 112
quando est in mora culpabili solvendi, & ideò creditor cogitur accipere pecuniam, & solvere interesse, monendus sit à creditore, antequam pecuniam accipiat cum interesse, ad hoc, ut teneatur in conscientia solvere interesse, quod ob ejus moram solvere cogitur Creditor; anùe ad id in conscientia teneatur, etiamsi à creditore non fuerit priùs de eo monitus?

Re-

Respondet Azor *3. tom. l. 5. c. 4. de usur. q. 3.* cum Angel. *v. usura n. 20.* & aliis, debitorem debere priùs à creditore præmoneri de illo damno, quòd scilicet eo non solvente debeat ipse accipere pecuniam cum interesse; quia fortasse debitor de hoc monitus vel solvisset debitum; vel alio modo providisset, ne creditor damnum pateretur.

113 Nihilominus contrariam sententiam amplectuntur, & docent alii plures cum Petr. Navarra *de restit. l. 13. c. 2. n. 281.* Maldero *tr. 5. dub. 12. §. dico 3. q. 2.* & Diana *3. tom. tr. de contractib. R. 87.* affirmantes, monitionem illam laudabiliter quidem præmitti, non tamen esse necessariam, adeóque etsi debitor non fuerit priùs admonitus à creditore, in conscientia tamen teneri id totum solvere, quod creditor idcirco solvere cogitur pro interesse. Rationem dant, quia reverà illud totum damnum incurrit creditor ob moram injustam debitoris; quod autem sequitur ex injuria alterius, resarciri ab eo debet, etiamsi injuriam passus non fuerit præmonitus; detrimentum enim illud creditoris, quod sequitur, non procedit à monitione, quam faceret creditor, sed procedit à culpabili mora ipsius debitoris, & damno inde secuto, & æstimatio damni Creditoris non magis debetur, quia fuerit protestatus, quàm si non fuerit protestatus; ut adeò eam obligationem jam causaverit mora debitoris debito tempore non solventis.

Sententia hæc spectato saltem juris rigore probabilior videtur, præsertim cùm persæpe nec vacet creditori, neque semper commodè præmonere possit debitorem, nec monitio sit semper profutura.

Contrariam tamen sententiam Azorii satis probabilem pronuntiat Lugo l. c. quia debitor etiam ex delicto non tenetur ad omne damnum, quod utcunque sequitur, sed ad illud, quod necessariò sequitur, ita ut non potuerit facilè impediri; damnum autem Creditoris potuisset facilè impediri monendo, quod proin non ex mora debitoris sequitur, sed ex negligentia creditoris nolentis debitorem monere, ut damnum illud impediret. Sicut enim si creditor potuisset facilè aliunde sibi providere petendo pecuniam sine interesse, non teneretur tunc debitor solvere interesse, cùm illud damnum non ex ipsius mora inevitabiliter proveniret, sed ex voluntate creditoris, volentis absque ulla necessitate illud subire: ita cùm posset creditor facilè providere monendo debitorem, & impedire illud damnum, non censeatur hoc ex culpa debitoris provenire, sed ex voluntate creditoris nolentis illud impedire, cùm posset. Advertit tamen idem Lugo in foro interno consulendam esse conscientiam ipsius debitoris ad hoc ut

ab hac obligatione sit, vel non sit liber, an scilicet sibi conscius sit, quòd præmonitus non solvisset debitum, vel solvisset, ut ita damnum illud impediretur?

CASUS XIX.

De censibus, & usura.

MArtianus, ut sua pecunia, quam domi otiosam habet, lucretur, eam dat variis personis petentibus sub contractu retrovenditionis habito solùm respectu ad quantitatem pecuniæ exigendo 5. pro centum, & non ad rei emptæ fructus, an verè ejusmodi fructus, eisdem, quibus dat pecuniam, nascantur, imò pro securitate sortis sæpè etiam pignus exigit, aut hypothecam, & fructus pignoris interim percipit, donec ipsi restitutum sit debitum. Non nunquam pecuniam dat cum pacto, ut redemptio fiat in eadem specie monetæ.

QUÆR. I. An speciem habeat usuræ contractus quo 5. annui pro centum sl. petuntur, & accipiuntur?

QUÆR. II. An usurarius sit contractus, vi cujus Creditor tam in causa profana, quàm in causa pia rei oppignoratæ fructus lucratur, donec ipsi totum debitum solvatur?

QUÆR. III. An licitum sit emere censum cum pacto, ut venditor, cùm redimere voluerit, redemptio fiat in eadem specie monetæ?

114 CLaritatis causa Campsores nominabimus, qui dant pecuniam, Campsarios, qui accipiunt. Et quidem Campsores, qui pro aliqua pecunia interpellantur, priusquàm eam dent, conveniunt cum Compsariis de Capitali, suo tempore v. g. post unum annum, duos, tres &c. integrè restituendo, & simul ultra illud de certo aliquo lucro annuatim solvendo v. g. 5. pro centum, recep-

recepta à Campsariis hypotheca, vel etiam simplici scheda obligatoria, qua Campsarii promittunt ad dictum tempus se soluturos sortem cum lucro convento.

Fit hic contractus in Germania, & Romano Imperio passim ab omnibus, quicunque aliquam pecuniam habent, sive Mercatores sint, sive propriè dicti Cambistæ, sive alii quicunque, etiam infimæ sortis homines, & quidem in quacunque pecuniarum portione, ut si vel solos 20. florenos dent, exigant pro lucro unum fl. non considerato Contractûs aut Justitiæ titulo, sed sola bona fide & consuetudine vigente, quâ in Germania receptum est, ut 5. pro 100. petantur.

115 Jam autem duplex est DD. sententia, una asserit ejusmodi contractum esse injustum, usurarium, & prohibitum. Probant ex Bulla Pii V. in qua expressè damnat contractum, quo datur pecunia in uno loco, & in eodem loco reposcitur cum interesse. Et prob. ulteriùs; quia hic contractus videtur mutuum formale vestitum Cambii nomine, vel alio, in quo inter dantem & accipientem non est æqualitas, cùm is, qui dat, plus recipiat, hoc ipso, quòd pecunia ex se ad fructificandum sit sterilis.

Prob. 2. Quia hîc lucrum petitur ob meram dilationem temporis, cui reclamant omnes DD.

Neque prætendi potest lucrum cessans, aut damnum emergens, nam suppono dantem pecuniam cum pecunia sua non negotiari ullo modo. Sed neque prætendi potest titulus periculi, cùm plerumque pro assecuratione petant pignus sibi dari: Accedit, quod damnum periculi priùs prætendi non possit, quàm sit secutum: imò omni mutuo intrinsecum est periculum aliquod ex quocunque fortuito casu non percipiendi, quod mutuò datur.

Sed neque prætendi aliquid potest ob necessitatem, aut utilitatem accipientis, quia & hoc intrinsecum est mutuo.

Neque prætendi aliquid potest titulo emptionis & venditionis; quia Contractus emptionis & venditionis debet reduci ad æqualitatẽ, & Justitiam commutativam; in posito autem casu maxima est inæqualitas, ut in uno, eodemque loco dentur v. g. centum, & post annum recipiantur centum, & quinque, secluso omni damno Campsori eveniente, cum suâ pecuniâ ponatur non negotiari. Accedit, quòd sæpe non appareat, quid à Campsario emat Campsor, cùm ille sæpè nec fructus ullos habeat, quos vendat, nec ullam industriam, aut negotiationem, adeóque non appareat, quomodo hic contractus sit contractus emptionis.

Denique non excusat ab usura tolerantia Principum & Ordinariorum; quia hi subinde ob majora mala vitanda minora tolerant, non tamen propterea rei toleratæ injustitiam tollunt, ut patet multis exemplis &, ut ait S. Chrysost. quod permittimus, nolentes permittimus; quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.

116 Alia sententia ait ejusmodi contractum non esse injustum, quia non desunt tituli, quibus aliquid lucri inde accipere liceat.

Et quidem ratione solius carentiæ pecuniæ præcisè nihil potest supra sortem accipi; quia illa carentia pecuniæ ad tempus aliquod est intrinseca, & essentialis huic contractui, sicuti & mutuo. Nec valet dicere, quòd nemo sit, qui non faciat majoris præsentem pecuniam, quàm futuram, ex quo potest plus aliquid exigi; nam hoc est prohibitum, & damnatum à summo Pontifice Innoc. XI.

Sed neque ex sola obligatione non repetendi, v. g. ad annum, pecunias, aliquid supra sortem peti potest, uti patet ex propositione ab Alex. VII. proscripta. Et ratio est; quia obligatio non repetendi mutuum ad tempus est intrinseca & essentialis mutuo, & aliàs posset defendi omnis contractus usurarius.

Sed neque ex sola dilatione temporis præcisè potest aliquid supra sortem accipi, ut per se patet.

Sed neque ob solam commoditatem Campsarii, quia hæc commoditas est intrinseca rei, quæ datur.

Videndum itaque est, quo alio 117
titulo possit talis contractus justificari, qui passim in Germania celebratur à Viris doctis, & Deum timentibus non tantùm à sæcularibus, sed etiam Ecclesiasticis, qui pro centum mutuò datis exigunt 5. annuos, ubi varii à variis tituli afferuntur; & quidem posse aliquid supra sortem accipi ratione lucri cessantis communiter docent A A. quando videlicet Campsori, seu mutuatori propterea, quòd mutuò daturus sit, lucrum abscedet; quia spes lucri, quà se privat mutuator in gratiam mutuatarii, pretio æstimabilis est, cujus proin compensatio in pactum deduci potest.

Item ratione damni emergentis, aut probabilis periculi, cui mutuator, vel campsor propterea se exponit.

Sed difficultas est in quærendo, & assignando titulo pro casu, & & contractu passim in Germania celebrari solito, quo plurimi passim sine scrupulo exigunt, & accipiunt 5. annuos pro centum, etiamsi

amsi nec periculum sortis adsit, utpote per pignus, aut sidejussionem sufficienter assecuratæ; nec damnum emergens, aut lucrum cessans patiantur, cùm dent pecuniam, aliàs apud ipsos non fructificaturam, sed otiosam futuram.

Ubi non nulli ad consuetudinem in Germania receptam recurrunt, cui supremi Principes non solùm non reclamant, sed, implicitè saltem approbant, qui cùm sciant, hunc contractum practicari à quibuscunque personis videntur ex potestate Dominii alti, quod habent supra bona subditorum, posse de iis disponere, cùm aliquid faciendum est in bonum Communitatis; jam autem bonum Communitatis videtur exigere, ut subditi possint in suis necessitatibus habere pecunias, quibus vel debita solvant magis gravantia, vel ut impediant, quò minùs à Creditoribus molestis auferantur pignora, & subhastentur, majori damno, quàm interesse illud sit, quod solvere promittunt; vel denique ut data opportuna occasione merces ad victum necessarias tolerabili pretio emant, cariùs aliàs alio tempore empturi, propter quæ commoda, & Principes disponunt de facultatibus subditorum, & ipsi subditi non possunt esse inviti.

Unde pro foro externo non tantùm licet pacisci, & exigere annuos 5. pro centum fl. sed datur etiam actio contra debitorem, illos solvere morantem, aut recusantem, etiamsi creditor nec lucrum cessans, nec damnum emergens, aut periculum sortis amittendæ patiatur, ut per Germaniam, teste Reinffenstuel hîc n. 57. docet unanimis, & certa sententia, quotidianâ experientiâ stabilita.

Et quidem posse ex decreto rationabili legitimæ Superioris potestatis concedi, ut aliquid in mutuo (non tamen vi mutui præcisé) ultra sortem accipiatur, probat Tannerus *D. 4. q. 7. dub. 3.* cum aliis Germaniæ Authoribus; quia translatio dominiorum potestati superioris, ipsius etiam Reipublicæ ex justa causa subest; & Valentia *D. 5. q. 25.* cum Less. Laym, & aliis dicit, licet homines indocti, & rudes minùs intelligant, cur ultra sortem suo arbitrio repetendam pensiones annuas recipere possint, eo ipso tamen ab usura, & iniquitate excusari, quòd aliorum proborum, & doctorum Virorum exempla secuti, nihil titulo injusto, & usurario, sed modo, quo fieri potest, justissimo accipere proponant, taciti enim, & expressi eadem virtus est. Accedit, quòd ut ait Scaccia consuetudo reddat contractum alienum ab omni suspicione illiciti, & quòd, ubi agitur, an aliquis contractus sit usurarius, inspici debeat consuetudo Regionis, ut tradit Abbas *consult. 15.* & Saa v. *contractus.*

Et

Et licet tolerantia Principum, non possit facere, ut quæ sunt intrinsecè mala, per conniventiam non sint mala, cùm hoc superet potestatem humanam, & sic non possint facere, ut ex mutuo accipiatur usura, quæ est intrinsecè mala, posse tamen ex potestate suprema, quam habent disponendi de bonis subditorum in bonum totius Communitatis velle, ut subditi non sint inviti, dare aliquod interesse pro capitali accepto, cujus usus est in commodum totius Communitatis, & etiam subditorum, qui accipiunt pecunias pro avertendis propriis necessitatibus, in quas aliàs prolaberentur, si promptas pecunias non haberent, ad censum Germanicum acceptas: atque adeò licèt Principes non possint facere, ut usura non sit usura, posse tamen velle, ut subditi in bonum Communitatis, & proprium, titulo saltem donationis illud interesse solvant, quæ donatio ex imperio Principis à subditis facienda potest deduci in pactum, supposita voluntate Principis ita disponentis; sicut ergo donatio facta, & acceptata parit obligationem; ita potest etiam in pactum deduci, si conditio ponatur, sub qua est facta donatio: atqui ponitur conditio, dum mutuatur pecunia. Ergo.

¶ Conf. ex eo, quia duobus modis res legitimè possidetur, scilicet aut domini voluntate, aut Legis permissione: atqui in posito casu uterque modus reperitur, cùm & consuetudine & voluntate supremi Principis detur aliquod interesse supra sortem.

Hæc utcunque rationabiliter dicantur ad excusandum hunc contractum in Germania passim celebrari solitum.

Nihilominus cùm ex una parte usuræ merè lucrativæ sint contra Jus Divinum, & Naturale, contra quod nulla consuetudo prævalere potest; ex altera parte in imperio pactum de reddendis 5. pro centum approbetur ex præsumptione justi tituli. Hinc

Melius cum aliis ac rectius dicitur, quòd in tali casu non celebretur mutuum, sed vel Contractus societatis, quo unus dat pecuniam, & alter interponit operam suam cum pacto, ut pro rata lucrum inter ipsos dividatur; vel contractus assecurationis Capitalis, & assecurationis lucri certi minoris pro incerto majore, qui contractus dici solet contractus Trium, quem contractum, ut licitum admittunt Bonac. Less. Navar. Tolet, Molina, Valentia l. c. qui ait hunc contractum Trium Romæ se præsente diligentissimè fuisse discussum, & à gravissimis Theologis fuisse approbatum; vel denique contractus emtionis, venditionis, quo emitur census annuus 5. pro centum, expositis tanquam pretio, additò contractui emptionis, Venditionis pacto de retrovendendo, ita ut Petrus 118

v.g.

v. g. dicat Paulo: Ego do tibi 100. & pro his emo à te jus percipiendi annuatim partem fructuum, aut realium, aut industrialium, quos singulis annis percipis ex fundis, vel industria tua, & hoc jus tamdiu mihi competet, quamdiu illud non redemeris à me reddito eodem pretio, quod ego tibi pro jure hoc dedi. Quod si fiat, Petrus primò accipit jus percipiendi 5. Tanquam mercem, & Paulus 100. tanquam pretium; soluto autem contractu Petrus reddit mercem & Paulus reddit pretium.

Sed difficultas hîc duntaxat est, cùm datur à rudibus, & indoctis pecunia hominibus talibus, qui nec prædia habent ferentia fructus, nec negotiationem exercent, quo titulo tunc dantes pecuniam ejusmodi personis aliquid exigere, & accipere possint supra sortem? Non titulo venditionis; quia nihil potest vendere, qui nec prædia habet; nec negotiationem instituit, nec ad lucrandum idoneus est, nec ejusmodi homines rudes de aliquo contractu ineundo cogitant, sed de mutuo duntaxat accipiendo.

R. Ejusmodi homines, si aliorum doctorum, & proborum exempla, & consuetudinem secuti bona fide procedant credentes invincibiliter se licitè agere, aliquid ita exigendo, & accipiendo, excusari posse per hanc ipsam bonam fidem, & igorantiam invincibilem. Dein cùm rudes videant in Germania passim peti 5. pro centum, sciantque hanc acceptionem, & petitionem approbari ab Imperatoribus, nec improbari à Summis Pontificibus, præsumendi sunt habere intentionem generalem celebrandi contractum, quem licitè possunt, aut titulo & modo meliori, quo possunt, alium contractum licitum celebraturi, si scirent, hunc fore illicitum.

Cæterùm pro casu, quo abest bona fides, & ignorantia invincibilis, si 5. annui pro 100. petantur præcisè vi mutui, excludendo omnem alium contractum licitum, aut titulum justum, aut petantur ratione solius dilationis temporis, vel commoditatis mutuatarii (utpote quæ est intrinseca mutuo) à labe usuræ talis contractus utique excusari non potest, ut patet.

Nec solus hic, sed alii quoque avaris suppetunt modi, quibus exercent usuram; Nonnulli enim aliter dare nolunt pecunias ad censum Germanicum, nisi v. g. simul emant duo, tria, vel quatuor plaustra vini, quæ est luculenta usura. Alii, si ab ipsis petantur v. g. 100. fl. ad censum, non aliter dant, nisi mediam partem accipiant in tot mercibus, quibus non indigent, & quas dein

vendere debeant viliori pretio, quæ iterum est manifesta usura; nam ultra obligationem solvendi interesse, quod ex contractu licito, aut justo titulo juxta superiùs dicta accipi potest, imponunt insuper obligationem loco pecuniarum, quibus indigent, accipiendi merces, quibus non indigent, quasque viliori pretio distrahere debent. Alii gravant accipientes pecuniam ad censum Germanicum, ut ad ratam pecuniæ exigant à debitore creditum difficulter sæpe exigibile. Alii denique constituunt censum Germanicum cum obligatione, ac conditione, ut merces ab eis emant pretio justo, quo mutuatarius ab aliis esset empturus, vel partim in pecunia, & partim in mercibus usui necessariis, & prior hic contractus ut licitus defenditur à Mendo *V. usura, n. 30.* ab. Angel *V. usura* §. 5. Rosell. V. eod. n. 11. Gabr. *in 4. dist. 15. q. 11. a. 3.* Major. & aliis. Posterior verò à Tambur. Saltem in conscientia, *t. 5. de censibus*, imò etiam in foro externo, saltem ubi Bulla Pii V. non est recepta, prout recepta non est in Germania, teste Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 99.* Tann. *D. 4. q. 7. dub. 4. n. 131.* Haun. *tom. 4. de Just J. & J. tr. 10. n. 316.* Reiffenstuel. n. 156. aliisque.

Ad Q. 2. An contractus, quô
119 Creditor fructus ex pignore lucratur, donec ipsi debitum solvatur, sit usurarius, qui etiam contractus *Anticreseos* dici solet, responsio est affirmativa. Ita Abb. *in c. 1. n. 2. h. tit.* Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 3.* Cajetan. *2. 2. q. 78. a. 2.* Tambur. *l. 9. de contract. tr. 1. c. 6. §. 1.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16.* Sotus *l. 6. q. 1. a. 2.* Begnudell. *V. usura. n. 13.* Canis. *de usura c. 5. n. 15.* Reiffenst. n. 109. Schmalzgr. hîc n. 75. alii complures contra Alciatum *l. 2. c. 3.* & non nullos alios apud Mynsinger. *cent. 6. obser. 71.*

Patet responsio ex *C. cùm contra 6. de pignor.* & *C. 1. c. 2.* & *C. conquestus de usuris*; ubi dicitur, fructus rei oppignoratæ computandos esse in sortem, deductis expensis, & ratio ulterior est; quia aliàs Creditor ultra pecuniam, quam credidit, lucraretur aliquid causâ solius mutui, quod est usurarium; usura quippe non solùm committitur, quando expressè aliquid vi mutui quot annis ultra sortem datur, sed etiam, quando sub pallio alterius Contractûs aliquid pretio æstimabile ob dilatam solutionem accedit sorti, quidquid demum illud sit, sive fructus, sive res alia pretio æstimabilis.

Sed dubium esse potest, an Creditor fructus pignoris percipere possit saltem in favorem causæ piæ, ratio dubitandi sumitur ex *C. insinuatione 1. de feud.* & ex *C. salubriter 16. h. tit.* Ubi in 1. statuitur,

tuitur, quòd Ecclesia lucretur fructus feudi, pro mutuo sibi oppignorati à Vasallo. in 2. verò dicitur, quòd maritus non teneatur computare in sortem fructus rerum sibi oppignoratarum pro dote nondum soluta; causa autem pia non minùs favorabilis est, quàm causa dotis: ergò.

120 Nihilominus tenenda est negativa cum citt. AA. Ratio colligitur ex *C. super eo, 4. h. tit.* cùm enim usura repugnet & Juri naturali, & Divino, nequit fieri licita ratione causæ piæ; neque sunt facienda mala; ut eveniant bona; nec committenda usura, ut de fœnore usurario largiaris Eleemosynam.

Nec prima ratio dubitandi urget; nam in feudo id speciale est, ut dominus feudi sibi à Vasallo oppignorati, fructus non teneatur computare in sortem, si interea non præstentur à Vasallo servitia ratione illius debita, ut habetur *C. insinuatione citt.* & *C. conquestus 8. de usur.*

Ad 2. Ex *C. salubriter citt.* id permittitur; quia quamdiu dos non solvitur Marito, jus habet exigendi aliquid æquivalens, ex cujus fructibus sustinere possit onera Matrimonii tamdiu, quamdiu dote caret; id autem æquivalens ex dispositione citt. *C. salubriter*, sunt fructus ex pignore provenientes, donec debita dos solvatur, cùm enim fructus, & commoditas dotis marito debeatur in compensationem onerum, quæ ipsi incumbunt alendi familiam, inquum foret, si uno vel pluribus annis, talem obligationem, & onus sustinere deberet, & nullum ex dote promissa fructum percipere posset, nisi aliquo alio modo ei fieret compensatio.

Ad 3. Q. An in censu redimi- 121
bili apponi possit pactum, ut redemptio fiat in eadem specie monetæ, v. g. aureorum, vel quanti tempore solutionis aurei valituri sunt, ut si 1000. florenis in auro emas 50. fl. annuos?

Respondet Less. *l. 2. Cap. 22. dub. 8.* id licitum esse in sequentibus casibus. 1. Si certum erat, æstimationem monetæ non esse mutandam. 2. Si utrinque par erat dubium, num esset augenda, an minuenda; 3. Si certum erat, æstimationem augendam, et emptor Statuerat pecuniam suam in illud tempus servare, posse tunc ratione damni, quod patitur, tale pactum apponere. Extra hos casus tale pactum non esse licitum; ut si census redimibilis ematur pretio ordinario, & addatur, ut venditor, quando redimere voluerit, eâdem monetâ redimat. Quia, inquit, emptor non dat nisi pretium censûs absolutè considerati v. g. 1000. in 50. & præterea imponit venditori grave onus,

pretio æstimabile, pro quo neque dat quidquam, nec ipse aliquod incommodum æquale in se suscipit. At, licet 1. Casus, & 2. difficultatem non habeat, quia in æquali dubio, uterque contrahentium æquali fortunæ, jacturæ, & lucri, se sponte subjicit: in 3. tamen casu, quando certum erat, æstimationem monetæ augendam, & emptor statuerat pecuniam suam servare, an tunc ratione damni, quod patitur pecuniam illam exponendo, possit tale pactum apponere, dubium est non carens difficultate, ut ait Laym. *tr. 4. cap. 16.* Ubi videtur dicendum cum citt. Laym. tale pactum fore illicitum; quia, ut arguit ipse Less. l. c. n. 50. iniquum est, si in censu emptitio venditori supra naturam contractûs, & loci consuetudinem novum aliquod onus pretio æstimabile imponatur, illudque ei non compensetur; in posito autem casu imponeretur tale onus; nam, cùm in Germania justum pretium censeantur v. g. 20. fl. in unum, & 1000. in 50. secundùm valorem, quem data pecunia habebat tempore contractûs, magnum, onus venditori imponitur, si tempore redemtionis reddere debeat pretium censûs non secundùm valorem, quem habebat tempore contractûs, sed secundùm eum valorem, quem certò postea habebit auctiorem, idque nullo modo venditori compensetur.

Neque prætendi potest lucrum cessans, quod lucrum pecuniam servando aliàs habuisset, ut notat citt. Laym. nam, cùm emptor censûs ratione talis contractûs, ex 1000. florenis accipiat annuos 50. dicere nequit, tantum sibi lucri decedere ex eo, quod monetam auri in specie servaturus fuisset, donec ejus valor extrinsecè creseeret; quia si ita servâsset, non fuisset lucratus 50. annuos: Unde necesse erit, ut vel 50. annuos ex censu dimittat, vel ut valoris incrementum non exigat, nisi fortè secundùm id, secundùm quod, incrementum superaret 50. annuos.

Aliud est in mutuo, ubi licitè, & honestè institui potest contractus mutui cum pacto, ut pecunia in eadem monetæ specie restituatur, vel secundùm eum valorem, quem tunc, vel alio designato tempore talis moneta habitura est, si mutuans usque ad illud tempus eam servare decreverat. Cæterùm cùm essentia pecuniæ plurimùm pendeat ab extrinseca æstimatione, adeò ut alia quasi pecunia censeatur, si ejus valor extrinsecus crescat, vel decrescat; hinc si quis tibi mutuaret v. g. 100. thaleros, & eorum valor merè extrinsecus secundùm se augeretur, non esses obligatus (præscindendo ab alio pacto) thaleros totidem, sed pauciores restituere, seu tot duntaxat, qui adæ-

adæquent valorem centum, nisi mutuator propter lucrum cessans sibi caverat, ut notat Tolet. *l. 5. tr. 34.* cum Laym. & aliis; quia in pecunia pretium non distinguitur ab ipsa; sicut pretium distinguitur ab aliis rebus, & hinc aucto pretio mutatur pecunia, non autem res v. g. modius frumenti, & idcircò si modius non augeatur, seu mutetur, sed solùm ejus pretium, quod à modio distinguitur, reddi debet idem modius, licèt plus valeat, nisi aliter sit conventum, ut notat idem Tolet. *l. c.* Si verò augeatur ipse modius frumenti, qui accipit 4. modios mutuò, cùm minor erat mensura, non tenetur reddere modios majores quatuor, sed quantum æquet minores, ut de pecunia dictum est.

CASUS XX.

De emptione, & venditione rei à debitore ære alieno gravato alienatæ.

Cùm Crispus ære alieno ita gravetur, ut non sit par solvendo, domum, quam habet adhuc unicam, vendit Crispino affini suo, cujus pretii partem filiæ suæ nubili in dotem tradit, partem alteram ipsus Crispus absumit.

QUÆR. I. An Crispinus inscius impotentiæ Crispi emptam domum tam in foro interno, quàm externo retinere possit, sive eam titulo oneroso, sive lucrativo habeat?

QUÆR. II. An si Crispinus conscius impotentiæ Crispi eum non induxit ad alienandum, teneatur acceptum restituere in foro interno, sive à Creditoribus petatur, sive non petatur intra annum?

QUÆR. III. An Crispus ex pecuniis ex vendita domo acceptis filiam suam dotare & filia dotem acceptare, ac retinere potuerit?

122 ANte casûs resolutionem, cùm alienatio domûs in fraudem Creditorum facta esse videatur, scire expedit, quid sit rei alienatio in fraudem Creditorum facta; in fraudem itaque Creditorum alienatum dicitur, quoties ex alienatione cognoscitur, vel cognosci debebat, alienantem impotentem reddi ad hoc, ut Credi-

toribus suis satisfaciat, vel quia non suppetunt alia bona, vel non est spes proxima comparandi alia bona ad satisfaciendum, uti constat *ex §. si quis in fraudem instit. de action. & §. in fraudem instit quibus manumitt. non licet &c.* Idcirco si labore & industria non dedecente tuum statum possesCreditoribus satisfacere,non censereris fieri impotens ex alienatione, sed ex tua malitia, ut notat Less. *l. 2. cap. 20, dub. 19.* Nec ad hoc, ut alienatio facta censeatur in fraudem Creditorum regulariter necessaria est intentio, & animus defraudandi tali modo Creditores, ut advertit Molina *D. 328.* Sed sufficit sola scientia, seu si scias debitorem ex alienatione impotentem reddi, ut colligitur ex §. citt. *in fraudem.* His præmissis.

123 Ad 1. Q. R. affirmativè; nam si is, qui rem accepit, non scivit, alienationem esse in fraudem Creditorum, nec alienantem reddi impotentem, vel impotentiorem ad solvendum, quocunque titulo, sive oneroso, sive lucrativo rem acceperit, non solùm comparavit dominiũ rei acceptæ, sed etiam nullam inde obligationem contrahit in foro conscientiæ illam Creditoribus restituendi. Ita Molina *l. 3. Conclus. 2.* Covarr. *3. variar. resolut. c. 3. n. 6.* Less. *l. c. n. 167.* Palao *D. 1. p. 4. n. 3.* Rebell. *l. 1. q. 7. §. 2.* Joan. Salas. *tr. de usur. dub. 41. n. 4.* Joan. Medina *de rest. q. 4. col. 18.* Adrian. Palud, aliique.

Ratio, quòd is, qui rem accipit, acquirat ejus dominium, patet, quia accipit, quod alter validè donare, vel vendere potest, si quidem res illa, non erat obligatione aliqua reali, vel hypothecariâ alteri obstricta, uti supponitur, sed erat alienantis, cujus proin dominium in ementem, seu accipientem transferre potuit, & voluit. Quòd autem nec in conscientiæ foro teneatur rem restituere Creditoribus, patet rursùs ex eo, quòd obligatio restituendi solùm oriatur ex re accepta, & ex injusta acceptione: talis autem non tenetur ex injusta acceptione, cùm acceperit bona fide, ignorans alienantem fieri impotentem ad debita solvenda; neque qui aliquid ab aliis accipit, tenetur inquirere, an vendentes, & alienantes habeant debita, vel media sufficientia ad ea solvenda, &c. id enim esset grave̊simum onus imponere contractus celebrantibus sine fundamento. Neque tenetur ex re accepta; quia res accepta non Creditoribus competebat; uti supponitur, sed alienanti, qui rei suæ dominium, sive titulo lucrativo, sive oneroso, transtulit in accipientem. Neque talis ignorans alienationem fieri in fraudem Creditorum in foro externo tenetur ad restitutionem Creditoribus faciendam, si rem accepit ex contractu oneroso, ut statuitur

tuitur *leg. quod autem 6. ff. quæ in fraudem Creditor.* his verbis : si quid in fraudem Creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba edicti. Si verò rem accepit titulo lucrativo v. g. donatione, tenetur rem reddere, si extet, si verò in se non extet, tenetur duntaxat, in quantum factus est locupletior, dummodo Creditores intra annum, quo sciverint rem tibi traditam esse, eam in judicio postulaverint, uti habetur *l. qui autem §. simili modo, ff. quæ in fraudem Credit, & l. penul. C. eod. tit. l. ignoti C. de revocand. iis, quæ in fraudem Credit.*

124 Ad 2. Q. responsio colligi potest ex casu 9. ubi tanquam probabilius tenuimus, eum, qui sciens rem alienari in fraudem creditorum, eam emit, in foro conscientiæ teneri ad restitutionem Creditoribus faciendam non solùm intra annum, sed etiam anno jam elapso, quantùm ex eo contractu læsi sunt Creditores, sive ad id inducat, sive non inducat alienantem ad alienandum.

125 Ad 3. Q. non posse patrem dotare, nec filiam à patre dotem acceptare, cùm ex ejus acceptatione parens impotens redditur ad satisfaciendum suis Creditoribus, censent Sylvest. *V. usura q. 4.* Lud. Lopez. *cap. 81.* Molina *D. 230.* Angel. Rodriq. Vega, & alii. Ratio est, quia non potest dos constitui, vel donatio propter nuptias, nisi priùs de bonis paternis deducatur totum æs alienum, quo deducto de bonis, quæ supersunt parenti, deducenda primùm est dos, aut donatio propter nuptias : ergò si non deducto priùs ære alieno filia dotem accepit, restituenda erit Creditoribus.

Nihilominus alii cum Palao *l. c. p. 15.* & Jo. Salas. *tr. de usur. c. 42. n. 14.* rectè contrariam sententiam amplectuntur, sentientes, posse patrem dotare, & filiam dotem moderatam & suo statui competentem accipere à suo patre sine obligatione restituendi, etsi ex ejus acceptatione pater impotens reddatur ad satisfaciendum suis Creditoribus, præsertim si filia ex proprio labore, & industria non habeat, quo se commodè sustentet, aut nubat. Ratio est, quia constitutio dotis pertinet ad conservationem statûs, eo quòd pater teneatur, filiam volentem nubere dotare, eique media ad nuptias necessaria suppeditare : atqui ad conservandum statum, & ad satisfaciendum naturali, debitæque obligationi potest debiti solutio differri, ac suspendi : ergò non obstante ære alieno poterit pater dotem constituere, & debitorum solutionem suspendere, & filia dotem acceptare, ac retinere. Accedit, quòd, cùm pater filiæ nubili, & aliunde non habenti, quo se commodè sustentet, teneatur alimenta subministrare, & dotem *constituere*

stituere, ipsa quoque filia tunc simul cum aliis Creditoribus etiam concurrat, & potiorem locum obtineat ob sanguinis conjunctionem, ut notant Salas *tr. de usur. c. 42. n. 13.* Navar. *c. 17. n. 269.* Sà *V. usura n. 6.* & alii: ergò poterit dotem acceptare, & in conscientia retinere: imò si dos jam tradita sit marito, cùm ad generum transeat titulo oneroso, si gener conscius non fuit, alienationem in fraudem fuisse Creditorum, non datur actio adversus eum, esto socer in fraudem Creditorum dotem constituerit, ut habetur *l. ult. §. si à socero ff. quæ in fraudem Creditor.*

CASUS XXI.

De Judice innocentem condemnante ex testimonio falsorum testium.

FAbricius cùm æmulum, & hostem suum Therentium è medio jam diu sublatum vellet, arrepta occasione patrati nuper ab ignota manu homicidii, eum ad Judicem defert tanquam commissi homicidii reum, productis 4. testibus à se subornatis, & ad testandum pecuniâ corruptis, qui proin juratò testantur, homicidium à Therentio commissum fuisse. Judex ergò, cum allegata, & probata Therentium homicidii reum ostenderent, eum morti adjudicat, licèt privatâ scientiâ certò sciret, fore innocentem.

QUÆR. I. An Judex possit eum ad mortem condemnare, qui per testes, & allegata probatur quidem reus, sed ipse privatim certò scit esse innocentem?

QUÆP. II. An Judex teneatur ad restitutionem hæredibus Rei faciendam, si eum, postquam præter juris ordinem crimen extorsit, ad mortem condemnet?

QUÆR. III. An, & quando testis ratione falsi testimonii ad restitutionem teneatur; vel si citatus comparere, ac testari recuset?

126 AD 1. Q. convenit inter DD. in causis criminalibus, ubi agitur de pœna mortis; teneri Judicem omnes vias, &

& rationes inire, quibus possit reum liberare, cujusmodi sunt, impedire accusationem, si potest, judicium in aliud tempus differre, sæpe, & per intervalla examinare testes, an sint sibi constantes, an nihil varient; reo modum suggerere respondendi, vel fugiendi dissimulatâ carceris custodiâ, si comodè, & sine scandalo fieri potest; causam alteri delegare, & partes innocentis defendendas in se suscipere, vel si est Judex inferior causam remittere ad superiorem, & Rei innocentiam testificari, si putet hac ratione eum liberari posse, ut indicat S. Th. *q. 67. a. 2. ad 3.*

Quæ industriæ si adhibeantur, rarissimè, uti notat Lugo, continget, ut non sit locus liberationi. Sed difficultas, & controversia est, an, si his modis nequeat Judex eum liberare, & pars adversa urgeat condemnationem, eum possit condemnare? ubi AA. in diversas abeunt sententias.

127 Sat multi cum S. Th. *q. 67. a. 2.* & Thomistis, compluribus Theologis, ac Jurisperitis cum Covar. *l. 1. variar. cap. 1. n. 6.* affirmant. Moventur 1. Quia Judex non judicat ut persona privata, ut ait S. Th. sed ut persona publica: ergò non debet sequi privatam, sed publicam scientiam; scientia autem, seu notitia publica est illa, quæ habetur per allegata, & probata. 2. ex Deutr. 17. ubi dicitur: *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur.* & Matth. 18. *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* 3. *ex cap. Pastoralis, § quia verò de offic. & potestat. Judic. de legat.* ubi Pontifex Innocent. III. ita ait: *Attendentes, quòd non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus, quòd cùm Ordinarius teneatur obsequi Delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem.*

4. Deus non minus habet dominium in vitam hominum, quàm Respubl. in bona fortunæ: ergò sicut Respublica ob bonum publicum potest Judicibus dare potestatem privandi subditos bonis fortunæ, si legitimè convincantur, quamvis privatim sciat esse innocentes; ita & Deus occidendi innocentem legitimè convictum; quia utramque facultatem suadet, & exigit bonum publicum, & ut servetur judiciorum ordo, & aliàs aperiretur via Judicibus palliandi suos affectus, fraudes, & iniquitates, utpòte qui pecuniâ corrupti, aliove ex titulo facilè nocentes liberare possent sub prætextu privatæ notitiæ, quam de iis se habere fingerent.

Conf. Deus concessit Judicibus potestatem occidendi innocentem publicè accusatum, & convictum, quem non sciunt privatâ scientiâ esse innocentem: ergò etiam quem privatim sciunt esse innocentem, cùm utrumque videatur exigere

publica necessitas. 5. Quando Judex privatim scit accusatum esse reum, & nocentem, non potest eum condemnare, nisi publicè probetur nocens: ergò ècontra, quando privatim scit esse innocentem, si tamen publicè probetur nocens, nequit eum absolvere. 6. Est absurdum, imò contra rationem plus deferre uni, quàm duobus, vel pluribus testibus; hoc autem fieret in contraria sententia: ergò,

128 Nihilominus non licere Judici in eo casu condemnare ad mortem innocentem, docent Adrianus *quodlib. 6. a. 3.* Panormitan. in citt. *cap. Pastorali, 28.* Petr. Navar. *cap. 3. n. 161.* Angel. *V. judicare n. 7.* Eman. Sà *V. Judex.* Less. *l. 2. cap. 29. dub. 10.* Bonac. *D. 10. q. 2. pun. 2.* Laym. *l. 3. tr. 6. cap. 2. n. 8.* Lugo *D. 37. S. 4.* Coninch. Malder. Haunold. Ills. aliique RR. plures. Prob. 1. Ex una parte solus Deus habet jus, & dominium in vitam, & membra hominum, cùm nullus sit Dominus suæ, vel alterius vitæ: ex altera parte non constat, quòd talem potestatem Judicibus concesserit, sed potius contrarium constat ex illo Exod. 23. ubi Deus differtè prohibet: *Insontem, & justum non occides*; quæ prohibitio, cùm sit universalis, & absoluta, debet universaliter, & absolute accipi sine limitatione, quamdiu potest, prout hîc potest, ac debet: Unde malè præceptum hoc intelligis de eo, qui etiam publicè insons est, & justus, hocipso, quòd universaliter, & absolutè loquatur, & etiam ille, qui solùm per falsas delationes, & criminationes nocens probatur, simpliciter innocens sit, & censeatur, alioquin Susanna tuisset dicenda sons, & iniqua, quam tamen omnes, ipsaque Scriptura insontem, & innocentem vocat.

Prob. 2. occidere per se, & directè innocentem auctoritate præcisè humana, est per se, & intrinsecè malum, nec est penes Rempubl. dominium altum vitæ, & membrorum, sicut aliorum bonorum fortunæ: ergò non potest esse in Judice potestas damnandi ad mortem eum, quem certò scit esse innocentem; quod enim intrinsecè malum est, per se nunquam licet, nec Respubl. potestatem habet in vitam innocentis, cùm hæc soli Deo sit subjecta, & per consequens neque aliis dare potest; nec dare vult; nam verum quidem est, quòd Respubl. & quævis Communitas velit, Judicem in publicis judiciis procedere secundùm publicas allegationes, sed ex præsumptione, quòd eæ veræ sint; si autem contrarium Judici manifestum est, non potest esse locus præsumptioni, quod Cont. ex Less. l. c. nam ratio naturalis ideo dictat, Judicem debere sequi notitiam publicam per allegata, & probata acceptam, ne facilè aberret & discedat à veritate, & justitia in judicando; hæc enim

ratio

ratio est illius legis, & obligationis: ergò quando ei est omninò evidens, judicium fore injustum, si sequatur allegata, & probata, non debet, nec potest ex illis judicare; nulla enim lex servari debet, quando ex ejus observatione sequeretur id, quod est intentioni, & fini legis contrarium. Accedit, quòd ex tali licentia sequerentur maxima, & plurima mala, iniquæ cedes & oppressiones innocentium, tum propter iniquitatem Judicum, tum aliorum malevolorum, qui possent publicè conspirare in neces innocentium, imò integrum Monasterium accusare, & testibus iniquis convincere de proditione, & perditione Reipubl. de Idololatria, Magia, & aliis gravissimis criminibus, contra quos proin posset Judex, imò deberet judicialiter procedere, & viros innocentissimos flammis tradere, aut aliis gravissimis pœnis plectere, licèt ei certò, & evidenter constaret de illorum innocentia; quis autem, inquit Less. non horreat hoc dicere?

Prob. 3. Non minùs est intrinsecè mala directa cædes innocentis, quàm copula carnalis extra legitimum conjugium: ergò sicut nemo potest licitè cognoscere, quam certò sciteſſe non suam, quantùvis probetur per testes esse sua uxor; nec potest Judex sciens privatim impedimentum dirimens, licèt per acta publica nullum intercedere probetur, sententiam ferre pro valore matrimonii: ita nec licebit occidere innocentem, quantumvis probetur nocens per falsa, & apparentia testimonia; cùm non minùs per se repugnet rationi sine legitima facultate directè occidere innocentem, quàm extra legitimum thorum generare, adeóque si hoc nihilominus est intrinsecè malum, & nunquam licet, nec illud licebit unquam. Sed

Dices, fornicatio semper est intrinsecè mala, ut nunquam à Deo permitti possit; occisio verò innocentis non est ita intrinsecè mala, quin à Deo permitti possit, aut imperari.

R. dist. a. fornicatio formaliter sumpta pro copula habita absque speciali Dei facultate est ita intrinsecè mala, c. a. sed hoc modo sumpta etiam occisio innocentis est intrinsecè mala. Fornicatio materialiter, & impropriè sumpta pro copula habita extra legitimum conjugium est ita intrinsecè mala, ut nunquam permitti aut imperari possit, sicut permitti, aut imperari potest occisio innocentis, n. a. & c. Nam Deus ut absolutus omnium Dominus non ita rerum exigentiis, & legibus communis providentiæ adstringitur, ut justis de causis aliquando circumstantias mutare, & aliter disponere non possit; atque adeò sicut absolutè potest jus uni dare occidendi alterum innocentem, ita possit alteri

dare jus generandi extra legitimũ, & ſtabile conjugium, quod abſolutè facere poſſe, & in Abrahamo feciſſe, docet etiam S. Th. *1. 2. q. 100. a. 8. ad 3. & 2. 2. q. 154. a. 2. ad 2.*

Et hæc poſterior ſententia, ſaltem ſpectata ratione, eſt utique verior, ac probabilior: Unde ad oppoſita argumenta.

R. ad 1. ex illa S. Th. ratione tantum ſequi, quòd Judex, quando judicat, debeat judicare ſecundùm notitiam publicè hauſtam; non autem quòd debeat judicare, & ferre ſententiam contra innocentem, quem acta publica nocentem probant, ſed ipſe privatâ ſcientiâ ſcit eſſe innocentem, & ſcientiam publicam nihil aliud eſſe, quàm iniquum errorem, & calumniam; ſed tunc poteſt, imò debet abſtinere à ſententia ferenda, prout id fieri debet in cauſa matrimonii; aliàs etiam Judex Eccleſiaſticus ferre poſſet ſententiam pro valore matrimonii, quando certò ſcit privatim adeſſe impedimentum dirimens, quia debet judicare ſecundùm notitiam publicam, & impedimentum ſcit tanquam perſona privata, & non tanquam Judex, & perſona publica, ſicut tu dicis de Judice ſæculari. Demum S. Th. l. c. ait, Judicem contra leges divinas, & humanas nullas probationes admittere debere: atqui lex divina prohibet directam innocentis occiſionem, ut patet ex dictis. ergò.

R. ad 2. cum Lug. ibi præcipi, ne quis ſine duorum ſaltem teſtimonio damnetur, atque adeò non ſufficere unum teſtem, ſed requiri ad minimum duos, ut quis poſſit interfici; non verò ibi præcipi, ut quandocunque adſunt duo teſtes poſſit quis occidi, etiamſi Judici conſtet, illos calumniari, & reum eſſe innocentem, adeóque textum illum ſolùm declarare velle, quid regulariter fieri poſſit, quando nempe Judex non novit contrarium.

R. ad 3. cum eodem Lug. ibi ſermonem eſſe non de pœna mortis, ſed de pœna Eccleſiaſtica, quam ob juſtiſſimam cauſam ſervandæ debitæ ſubordinationis, poteſt Pontifex velle executioni mandari ab Ordinario, quando hic non poteſt efficere apud Delegatum, ut ab eo onere liberetur. Demum ut notat Leſſ. Pontifex ibi loquitur de eo, qui merus eſt executor, & nullam habet cauſæ cognitionem, hic enim tenetur exequi ſententiam Delegati, quam ſcit eſſe injuſtam, id eſt, contra jus litigatoris; quia cùm litigator non appellet, videtur cedere jure ſuo, vel agnoſcere crimen; ſi enim putet ſibi injuriam fieri per ſententiam Delegati, debet ab eo appellare ad Papam.

R. ad

R. ad 4. n. c. & suppositum, quòd Respublica det Judicibus, aut dare ordinariè possit facultatem ejusmodi dominia transferendi, cùm id necessarium non sit ad bonum publicum, utpote quod aliis viis, & mediis obtineri potest, & ex ea licentia æqualia, vel majora mala sequerentur. Nec satis credibile est, Rempublicam velle bonorum temporalium dominium ab innocente in alium transferri, quando sententia Judicis falsa præsumptione nititur, & Judici certò constat de innocentia accusati, præsertim cùm ejusmodi spoliatio bonorum plerumque cum gravis infamiæ nota conjuncta sit, & Respublica nullum habeat dominium in famam, & honorem subditorum.

Deinde quamvis Respublica concederet talem facultatem circa bona fortunæ, constat tamen Deum ejusmodi potestatem circa vitam innocentium non concessisse; tum quia universaliter prohibet insontis occisionem, ut dictum est suprà; tum quia Deus salva communis providentiæ lege & jure naturali, in quo rarissimè immutat objectum, propter qualecunque periculum boni publici ex malitia Judicum per accidens lædendi non potest ordinariam facultatem in vitam innocentium concedere Judicibus, illâ gravius, turpiùs, ac frequentiùs fortassis abusuris.

Ad rationem additam patet responsio ex suprà dictis; majus enim esset periculum in Republica ex calumniis, & iniquitate falsorum testium, qui innocentes accusarent, quàm ex Judice, qui nollet condemnare taliter nocentem, meliúsque est, teste Less. decem nocentes absolvi, quàm unum innocentem damnari, & occidi.

Ad Conf. R. n. c. cum additaratione, nam cur Deus in tali casu per accidens Judici faciat potestatem condemnandi innocentem, non est solùm bonum publicum, sed insuper invincibilis ignorantia, quam de illius innocentia habet; sic miles non peccat formaliter, si amore patriæ occidat hominem, quem invincibiliter putat esse hostem, aut proditorem patriæ, num propterea non peccabit, si certò sciat esse concivem, vel amicum, esto alii publicè dicant esse inimicum? Dein retorqueo argumentum; Deus in causa matrimonii fecit Judici potestatem copulandi eos, quòs post publica acta, & probationes auditas invincibiliter Judicat nullo impedimento dirimente laborare: ergò etiam fecit potestatem conjungendi eos, quos privata scientiâ certò novit esse aliquo impedimento dirimente irretitos.

R. ad 5. c. totum; non enim hîc asseritur, Judicem posse per sententiam positivè innocentem absolvere, quando publicè probatur nocens, sed non posse duntaxat condemnare, quando certò

constat de ejus innocentia; potest enim interim detinere in carcere, donec opportunitatem nanciscatur eum dimittendi, vel ad Superiorem remittere &c. Dein cur ex notitia privata nequeat eum condemnare, ratio est, quia id, quod solus Judex scit, censetur adhuc occultum in judiciis humanis, & reus, quamdiu crimen non est probatum, jus habet se defendendi; ipsaque jura magis prona sunt ad absolvendum, quàm ad condemnandum, adeóque licèt nequeat uti privata scientia contra, potest tamen uti pro, & in favorem accusati, præsertim ubi voluntas Reipubl. prudenter præsumi potest, prout hîc potest, & de Dei voluntate satis constat.

R. Ad 6. Dist. maj. si cætera sint paria, C. M. si sint imparia, prout hîc sunt, n. M. & sub eadem dist. min. & c. nam neque absurdum est, neque contra rationem credere magis sibi habenti certitudinem, vel evidentiam de rei veritate, quàm mille testibus, quorum testimonium certò constat esse falsum. Dein non asserimus hîc Judicem vi suæ privatæ scientiæ posse accusatum per sententiam absolvere, sed posse, ac debere positivè non condemnare uti paulò antè insinuatum est!

129 Ad 2. Q. Noto cum Less. citt. & Gomez *cap. 13. n. 4. & cap. 12. n. 6.* multis modis posse à Judice crimen per injuriam extorqueri. Primò, si Judex tormentis, vel propinquo metu tormentorum elicuit Confessionem tunc, quando non aderant indicia idonea ad torquendum. Nec refert, si confessio postridie ratificetur; quia hæc ratificatio est ex causa injusta, ac proinde est nulla, *L. non dubium, 5. C. de legib. & L. penult. ff. de quæstion.* & si reus sciret confessionem per mendacium, & dolum Judicis fuisse extortam, eam retractaret.

Secundò, si aderant quidem indicia ad torturam, sed persona ratione dignitatis, vel ætatis non poterat torqueri; quia tunc extorquet crimen occultum per injuriam, ut notat Gomez l. c.

Tertiò, si Judex à se ipso inquisitionem inchoët nulla præcedente infamia, aut denuntiatione juridica, quæ viam inquisitioni aperiat: quia Judex nequit contra aliquem instituere inquisitionem specialem tendentem ad punitionem criminum, si nulla præcedat infamia auctoris, ut tenet communis DD. & colligitur ex *C. Inquisitionis, §. tert. de accusation. & ex cap. qualiter, 2. eod. tit.*

Quartò, si dolo induxit ad confitendum, v. g. per mendacia, & promissionem impunitatis; paria enim sunt, confessionem esse factam dolo, & metu, cum utraque

que per injuriam eliciatur, ut notat etiam Clarus *q. 55.* His notatis.

130 R. si Judici aliæ rationes suppetant, ex quibus reum juridicè damnare poterat, aut damnaturus erat, non teneri Judicem ad restitutionem; quia etsi in modo inferendi damni reo injuriam faciat, non tamen est efficax causa damni, utpote quod aliunde jam censetur illatum, vel justè ex alia ratione inferri posset; adeóque cùm ad ipsam substantiam damni inferendi jus habeat, non censetur injuriam fecisse, nisi quoad modum.

Quòd si Judex non servato juris ordine ex scientia, vel cognitione privata per injuriam extorta reum subditum condemnet, teneri ad damna inde secuta resarcienda, meritò docent Navar. *c. 18. n. 59.* Sotus *de secreto membr. 3. q. 1. Concl. 5.* Less. *l. c. dub. 18.* aliique.

Ratio est, quia quando Judex ex privata scientia & juris ordine non servato condemnat reum, facit illi injuriam, tanquam Judex minimè competens, cui talis potestas non est ei in tali casu concessa; quando autem Judex per injuriam extorquet crimen, dat injustè causam damni, quod ex illa cognitione injustè parta sequitur, ad cujus proin reparationem tenetur; sicuti ille teneretur, qui alterius occultum crimen patefaceret, unde contingeret eum condemnari, utpote qui causam damni injustè dedit; qui enim causam damni dat, damnum fecisse videtur, *cap. ultim de injuriis.*

Ad 3. Q. R. Vel testis pernicio- 131
sam falsitatem dixit ex inadvertentia, oblivione, aliave causa excusante ab omni peccato, vel aduertenter & sciens, aut ex crassa ignorantia? si primum, non tenetur ad ullam damnorum restitutionem, quæ alter passus est ob ipsius falsum testimonium, uti docent Cajetan. *q. 70. a. 4.* Sylvest. *V. testis q. 8.* Sotus *de just. q. 7. a.* Less. *l. c. dub. 7.* Navarr. *c. 25. n. 40.* Filliuc. Valent. Tolet. Diana & alii. Ratio est, quia si teneretur, vel teneretur ratione rei acceptæ, vel injustæ damnificationis. Non ratione rei acceptæ; cùm nihil extet apud ipsum testem: Neque ratione injustæ acceptionis, seu damnificationis; cùm excusetur à culpa, hoc ipso quòd non peccaverit, uti supponitur, & obligatio proveniens ex injusta damnificatione supponat culpam, & damnificationem formaliter injustam, quæ hîc non datur, sed hujusmodi damnum quasi fortuitò illatum censetur.

Si verò advertenter, & sciens, vel ex crassa ignorantia dixit falsum testimonium, ratione cujus alter injustè damnum passus est, tenetur ad restitutionem damnorum

ratio-

ratione injustæ damnificationis; quia per injuriam est causa efficax totius damni. Si tamen reus erat per alios testes jam convictus, & tuum testimonium accedens nihil effecit, eò quòd pœna propter illud non sit aucta, nec Judex firmior redditus ad eam infligendam, non teneris ad restitutionem; quia etsi injuriam ei irroges; non tamen es causa efficax damni, quod ex prioribus testimoniis jam censetur illatum. Ut notant citt. DD. Unde testis, qui hoc modo falsum testimonium dixit, ratione cujus mors, vel mutilatio est inferenda, tenetur sua dicta retractare, si id profuturum putet ad alterum liberandum, etiam cum æquali damno, ut docent Molina, Less. Valent. Bonac. Navarr. Azor Bann. aliique communiter, quia in pari damno melior censeri debet conditio innocentis. Si tamen crederet, se nihil profuturum, non teneretur retractare, cùm nullus ad opus inutile obligetur.

132 Ad 2. Membrum, non teneri testem ad restitutionem, ex eo quòd se ad testandum non obtulerit, etsi ejus testimonium necessarium sit ad vitandum proximi damnum, tenent communiter DD. quia non tenetur ex justitia se offerre, quamvis interdum teneatur ex charitate, cùm ei grave damnum inde non impendet. Quod si nullum damnum immineat, & à Judice citetur, ipse verò fugiat, vel se occultet, vel aliqua arte Judicis interrogationem eludat, an tunc teneatur ad restitutionem, multi affirmant cum Navarr. *cap. 25. n. 41.* Soto *l. 5. de just. q. 7. a. 1.* Solon. Reginaldo, Till. putantes, eum tunc teneri ex justitia ad testandum.

Contrarium tamen satis probabiliter tenent Molina *D. 83.* Sylvest. *V. testis, n. 8,* Bonac. *D. 10. q. 3. pun. 3. n. 13.* Less. *l. c. dub. 8. n. 59.* aliique apud citt. Ratio est, quia citatio illa Superioris non imponit citato obligationem justitiæ ad testandum, sed solùm obedientiæ, non enim censetur injustus, si non compareat, sed inobediens, & contumax, sicut Magistratus præcipiens alicui, ut curam pupilli suscipiat, non imponit obligationem justitiæ, & qui recusat tutelam capessere, etiam falsis prætextibus se excusando, non dicitur injustus, & injurius in Magistratum, aut pupillum, sed inobediens, & contumax contra illum, & parùm pius in pupillum; & ratio ulterior est, quia obligatio, qua quis lege justitiæ tenetur in gratiam proximi obire aliquam functionem, non nascitur præcisè ex præcepto Superioris, sed ex acceptatione illius, qui illam obit; hic enim acceptando officium, vel functionem, implicitè promittit, & ita se ad illam obligat, & alteri jus tribuit ad illam exigendam;

in

in tali autem teste, ut suppono, nulla intervenit promissio, nullaque conventio; adeóque ex justitia non obligabitur.

133 Hinc sequitur, testem non teneri ex justitia respondere, aut jurare, se dicturum veritatem, dum interrogatur à Judice; nam Judex non imponit ipsi obligationem justitiæ, sed duntaxat obedientiæ; consequenter peccat contra obedientiam, non contra justitiam. Quare si nolit jurare, aut respondere, puniri quidem potest tanquam inobediens, sed non tenetur ad restitutionem, seu reparationem damni reo secuti.

CASUS XXII.

De obligatione testium Judici interroganti respondendi.

Titius nocturno tempore occidit inimicum suum, cui comes erat Cajus, non tamen homicidii complex, jurat nihilominus Cajus Titio, se patratum homicidium non proditurum, quod cùm postea innotuisset Judici, in ejus authorem inquirit.

QUÆRITUR, utrum Cajus interroganti Judici non obstante juramento, veritatem aperire possit, vel debeat?

134 Multiplex in posito casu potest esse quæstio. Primò. Cùm crimen est occultum, & nulla adsunt indicia publica, sed suspicio duntaxat patrati criminis,

Secundò. Cùm de crimine certò constat esse patratum, ut in casu posito de homicidio, eò quòd manè repertum sit cadaver in platea: Unde Judex ex officio vult recipere de vicinis informationes, & quæritur, an, si ipsi sciant authorem delicti, teneantur interroganti respondere, & de eo testari?

Tertiò. Si non solùm de crimine certò constet, sed etiam reus infamiâ laboret tanquam à se patratum delictum, cùm de eo dentur præsumptiones tam vehementes, quæ faciant semiplenam aliquam probationem, quo casu quæritur, an Cajus teneatur interrogatus à Judice testimonium dare, si sciat

si sciat nullum alium scire illud delictum præter se, maximè si juramentum accessit, factum de non prodendo Titio? Unde

135 Ad 1. Q. R. si crimen occultum sit, ut nulla publica indicia adsint, non tenetur interrogatus à Judice testificari de altero, & patefacere criminosum occultum, qui nullâ criminis infamiâ laborat, etsi sibi cognitum sit delictum ab eo fuisse commissum. Ita D. Th. *q. 69. a. 2.* Cajetan. *eod. a. 2.* Navar. *cap. inter verba Concl. 6. n. 21.* Sotus *de tegend. & retegend. secret. membr. 2. q. 6.* Less. *l. 2. c. 29. dubit. 13.* aliique communitur, & colligitur ex *cap. qualiter, & quando. 2. de accusationib.* Ratio est, quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis procedítur: atqui Judicis potestas non se extendit ad elicienda occulta, cùm maxima inde in Republica sequerentur incommoda; ipseque criminosus, quamdiu crimen est occultum, retinet adhuc justam famæ possessionem, qua absque injuria privari non potest: Unde etiamsi sub juramento præcipiat, ut dicas veritatem de eo, quod nosti, attamen non teneris, sed potes cum restrictione mentali dicere, te nescire quidquam; intelligendo tacitè, te nescire eo modo, ut tenearis patefacere, prout cum aliis notat Less. citt. cùm tunc non tantùm non tenearis, sed pecces manifestando, quando agitur de sola punitione; & nulla præcedit infamia: imò si crimen nullo modo probari potest, illudque aperias, delinquis etiam contra justitiam, ut probat Less. l. c. quia nullum jus habes illius patefaciendi, cùm enim probari non possit, nequit etiam puniri, ac proinde non potest ex ejus revelatione aliud sequi, quàm infamia: intellige tamen semper, nisi aliquod grave malum spirituale, vel temporale alicui inde impendeat, quod commodè averti non possit, nisi Superioris auctoritate, & operâ; tunc enim non est ratio famæ habenda.

Ad 2. Q. An testis teneatur re- 136
spondere, si Judex interroget, quando crimen est notorium, sed ignoratur author illius? Non nulli negant cum Soto *l. c. dubit. 4.* Adrian. quodlib. 111. Palud. putantes tunc dundaxat per inquisitionem procedendum esse, quando de authore est fama, vel certa indicia, *C. cùm oporteat. 19. de accusation. cap. Inquisitionis, 21. & cap. citt. qualiter, & quando 24. eod.*

Oppositum tamen meritò docent alii DD. cum Sylv. *V. correptio, n. 6.* Navar. *cap. inter verba citt. n. 15.* Less. l. c. *dubit. 14.* Innocent. *in cap. Bonæ, 1. de elect. n. 5.* Malder. Valent. Panormitan. Imola, &c. posse nempe Judicem generaliter inquirere de commisso delicto; quia si Judex non posset

pro-

procedere inquirendo generaliter super aliquo delicto, manerent sæpe impunita crimina non sine scandalo subditorum; neque potest quis conqueri, per hanc generalem inquisitionem sibi injuriam irrogatam esse: imò illam tota Respubl. desiderat, & praxis Tribunalium ita habet. Nec obstant citt. Canones; nam hi loquuntur de inquisitione speciali, qua inquiritur, an Petrus, v. g. vel Paulus homicidium commiserit, quod utique non licet Judici, ut docet communis DD. & colligitur ex Canonibus supradictis. Nec obest, si dicas, talem inquisitionem præbere occasionem crimina occulta revelandi contra ordinem charitatis, & Justitiæ;

Nam, ut notat Less. si occulta crimina detegantur, id non provenire ex ipsa conditione interrogationis, sed ex imperitia eorum, qui interrogantur, qui nescientes jura & legem Evangelicam putant se teneri occulta pandere Judici interroganti: Verùm propter tale incommodum per accidens proveniens non debet omitti inquisitio tantopere bono publico necessaria ad purgendam Rempubl. moresque reformandos, maximè cùm per talem inquisitionem nulli fiat injuria, cùm de nemine in particulari fiat inquisitio.

137 Sed difficultas est, an in tali casu testis, qui scit authorem delicti, teneatur illum manifestare Judici interroganti in genere per modum inquisitionis generalis? Ubi. Affirmant non nulli cum Aragon. Valerio, Miranda; quia Judex in posito casu jus habet procedendi propter bonum commune conservandum, & jus habet testes interrogandi, qui proin propter bonum commune conservandum interrogati tenentur veritatem dicere, & occultum reum revelare.

Oppositum tamen, si author criminis non laboret infamiâ, docent alii communiter cum & apud Lessium *l. 2. cap. 30. dub. 6.* ubi in aliquibus casibus asserit obligationem testandi; in aliquibus negat.

Testificari tenetur subditus. *Primò.* Si author criminis laboret infamiâ delicti, vel si infamiâ non laboret, attamen ex tali delicto sequeretur grave damnum bono publico, ut si crimen sit perniciosum, v. g. veneficium, vel aliud, quod alia ratione, quàm per Judicem averti nequit, quo casu etiam absque præcepto Judicis aliquis obligaretur denuntiare, vel testari.

Secundò. Si grave malum impendeat alicui privato innocenti, quod aliter nequeat impediri; nam tunc etiam charitas obligat ad denun-

riandum, vel testandum, & Judex habet auctoritatem præcipiendi.

Tertiò. Si de authore delicti sit semiplenè probatum; quia tunc delictum jam incipit esse publicum, non minùs quàm per infamiam: ergò si positâ infamiâ Rei tenetur testis testimonium perhibere, etiam tenetur posita semiplena probatione; tunc enim cessat ratio, cur possit excusari, nempe infamia Rei de crimine occulto. Quibus in casibus tenetur testis legitimo superiori legitimè, & juridicè interroganti parere, ut tenet communis cum S. Th. *2. 2. q. 7. a. 1.* apud Laym. *l. 3. tr. 6. c. 8.* Econtra multis in casibus negat, teneri aliquem denuntiare, vel esse testem alterius delicti, & *primò* quidem si nosti ex Confessione Sacramentali.

Secundò. Si delictum alicui sub secreto patefactum est consilii, vel auxilii petendi gratia ad salutem animæ, vel corporis miseri delinquentis; tunc enim non potest quis denuntiare, vel suo testimonio confirmare, etiamsi de authore esset infamia, vel semiplena probatio. Rationem dat, quia non debet misero homini obesse, quòd consilii, vel auxilii petendi gratiâ se alteri bona fide patefecerit: alioquin peccatores à consilio petendo averterentur: unde multa mala sequi possent.

Tertiò. Si author criminis non laboret infamiâ, nec timeatur damnum in futurum; tunc enim non tenetur quis denuntiare, neque testari contra eum, quando proceditur per inquisitionem generalem, etiamsi non solus sciat, sed etiam duo, vel tres alii, ita, inquit, communis ferè sententia DD. qui docent, Judicem non posse tunc inquirere, vel si potest inquirere, (quod est probabilius, ut patet ex dictis, & ita de facto habet praxis) id non esse ex eo, quòd jurisdictionem habeat in authorem occultum criminis, sed ut satisfaciat Reipublicæ, quæ postulat, ut fiat diligens inquisitio, ut malefactores timeant, & compescantur, non tamen postulat, ut in hoc casu revelentur: Et licèt talis inquisitio, inquit Lug. non possit fieri de delinquente non infamato, servit tamen ad hoc, ut manifestentur, si qui sunt infamati.

Quartò. Non teneris denuntiare, vel testificari, si ex denuntiatione, vel testificatione notabile damnum tibi, tuisve immineat; quia hæc officia præstare non tenemur cum nostro damno, nisi bonum publicum id necessariò postulet, ut notant etiam Navar. *cap. 25. n. 50.* & Covar. *qq. pract. c. 18.*

Ad 3. Q. Quando non solùm 138
de

de crimine certò constat, sed insuper Titius laborat infamiâ tanquam à se patratum homicidium, vel quia contra ipsum proceditur via accusationis, an si testis videat homicidium probari non posse, eò quòd vel ipse solus sciat, vel etiam simul accusator, teneatur testari, maximè si accessit juramentum de non prodendo Titio?

Respondent complures cùm Soto *l. 5. q. 7. a. 1.* Azor *l. 13. c. 27. dub. 2.* Panormitan. Turrian. Sancio, Molina, quando testis legitimè, & juridicè interrogatur à Judice, eum respondere debere, & teneri veritatem aperire non obstante promissione quamvis jurata, quam fecit reo non prodendi ejus crimen. Ratio est, quia privatorum pactis juri publico præjudicari non potest; est autem juris publici, ut testes examinentur de criminibus, quorum infamiâ reus laborat; nec juramentum obligat, cùm versatur circa objectum malum, sive rem illicitam; Judici autem juridicè interroganti veritatem negare, vel non aperire est illicitum. Excipiunt tamen, nisi notitiam criminis acceperit ex sola depositione secreti, prout suprà ex Less. notavi, & docet S. Thom. nam obligatio secreti servandi est de jure naturali; Judex autem, & quivis Superior non potest tollere jus naturale; quare interrogando de crimine non vult, nec potest velle, ut testis aperiat, si in secreto accepit cum sponsione reticendi. Unde à Judice quamvis sub juramento interrogatus negare debet sibi crimen cognitum esse, ea scilicet cognitione, qua prodere possit, ac debeat, nisi fortè crimen sit pernicioſum in futurum, ut veneficium, conceptum propositum prodendi patriam, hominem occidendi &c. tunc enim fides data reticendi cederet in injuriam, & pernitiem Reipubl. vel privatæ personæ innocentis, proinde non obligatur, si quidem in malis promissis fides reservanda non est.

Nihilominus contra Molinam, & alios citt. obligantes testem à Judice legitimè interrogatum ad veritatem aperiendam, oppositum docet de la Crux *in director. conscient. par. 1. pr. 8. n. 4.* ubi sic asserit: Si accusator habeat solum unum testem, iste, dum sibi non constat de alio conteste, tenetur sub peccato mortali dicere, se nihil scire, citatque pro se Ledesm. Bannez & alios, quibus accedit Diana *p. 3. tr. 5. R. 100.* qui hanc opinionem putat esse probabilem, licet affirmativam dicat esse probabiliorem. Rationem dat; quia cùm testis sciat neminem alium illud delictum à reo patratum scire, ejus testificatio nihil proficiet, nisi ad 139

vexandum reum, qui ex ejus depositione posset quidem torqueri, condemnari tamen non potest, quia unus testis non facit plenam probationem, etiamsi unà cum teste existat accusator, utpote qui in jure non admittitur ut testis: Igitur absque causa infamat tunc testis deliquentem, cùm sciat ipse probandum non esse delictum. Id ipsum sentit Octav. Spatarius, *in praxi de modo corrig. Regul. tr. 7. c. 8. n. 7.* ubi post alia addit: Et ego aliquando interrogatus sub præcepto, & juramento super delicto, quod sciebam nullum alium nosse, nisi denuntiantem, nunquam testificari volui, etsi de visu, & certa scientia potuissem, quod tutâ conscientiâ feciſſe reputavi, & reputo.

Tertia opinio, quam cum aliis tenent Less. *l. 2. c. 30. dub. 6. citt.* Villalabos, *tom. 2. tr. 17. diffic. 1.* Pitigianus *in praxi criminali c. 3. fol. 166.* asserit, posse testem in tali casu, cùm proceditur via accusationis, testari, si velit, sed non teneri. Rationem dat Less. quia quando solus accusator, & unicus alius crimen novit, accusator non potest tunc accusare, nisi fortè id necessarium fuerit ad malum impediendum, cùm nequeat satis probare, nec ad condemnandum reum sufficiat accusator, vel quod vicem accusatoris supplet, hoc est, publica fama unà cum uno teste, sed requiruntur duo testes jurati præter accusatorem, vel præter id, quod supplet vices accusatoris, omni exceptione majores; potest tamen testis testari si velit, posita accusatione, quia testando efficiet semiplenam probationem, poteritque Judex ex officio procedere contra reum, eum subjiciendo quæstionibus, & torturæ; expedit enim bono publico ad malefactores coërcendos, ut quivis, suppositа accusatione, vel aliis indiciis possit de crimine testari.

Et hæc sententia, secluso juramento, magis placet; quæ confirmari potest ex Sylvest. & Diana *part. 2. tr. 15. R. 63.* quia quando duplex datur opinio, quarum una dicit, debere testem legitimè interrogatum veritatem aperire, etsi solus sciat, suppositа accusatione; & alia negat id fieri posse, potest testis amplecti, quam voluerit: Unde sequitur posse tunc testem vel manifestare, vel occultare veritatem, si sciat, utramque opinionem esse probabilem, prout docet etiam Turrian. & alii.

Ex dictis collig. 1. Cajum in 140
nostro casu propter juramentum
Titio factum se non revelatu-
rum

rum homicidium, non propterea deobligari, quò minus veritatem aperiat Judici legitimè interroganti, quod tunc fit, ut notat S. Th. 1. Quando Judex est competens. 2. Si delictum Titii sit semiplenè probatum, vel per aliquem testem de visu, vel per indicia testi æquivalentia, vel per infamiam delicti plenè probatam per duos ad minimum testes jurantes se audivisse à pluribus personis fide dignis homicidium fuisse à Titio perpetratum; quibus positis Cajus quantumvis putaverit homicidium esse occultum, tenebitur interrogatus testari contra Titium non obstante juramento; quia, ut suprà dictum est, juramentum tamdiu obligat, quamdiu non versatur circa rem illicitam; Judici autem legitimè interroganti veritatem negare, vel non aperire est illicitum. Si tamen Cajus sciat, aut existimet sibi soli notum esse homicidium à Titio commissum, nec ab alio posse probari, non tenebitur testari contra Titium, quantumvis aliquâ infamiâ laboret, vel indicia existant, & præsumptiones contra Titium, ut colligitur ex dictis: imò non tantùm non tenebitur, sed etiam non poterit testari ob reverentiam juramenti, quod cùm absque injuria Creatoris servari possit, debet servari; licèt enim Judex præviâ aliquâ infamiâ legitimè interroget Cajum, quia tamen Cajus scit, aut arbitratur, neminem alium præter se illud homicidium scire, consequenter nec posse plenè probari, poterit, imò propter juramentum factum debebit non revelare homicidium à Titio commissum, quantumvis Judex sub juramento etiam interroget; nam suppositâ opinione probabili Cajum non obligari testari contra Titium, & supposito juramento, quod Cajus fecit Titio, se crimen non proditurum, Judex non potest sub juramento Cajum obligare, ut testetur, & crimen occultum, quod scit probari non posse, prodat, sed tanquam si eo casu non esset superior, ejus interrogationem eludere poterit convenienti aliqua mentis restrictione.

Collig. 2. Testem non obligari testificari, si dubitet, an Judex juridicè seu juris ordine servato interroget; nam licèt in dubio parendum sit Superiori, ubi manifestè peccatum non apparet, & constat, eum habere auctoritatem obligandi; in hoc tamen speciali casu, cùm dubium est de potestate Judicis, non tenetur testis obedire; nam ut notat Less. *l. c. cap. 31. dub. 3.* cum Cajetan. Soto, & aliis, nemo tenetur parêre superiori cum gravi suo, vel alterius incommodo, nisi constet, eum legiti-

legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi; Judex enim non habet à Republ. potestatem interrogandi via inquisitionis pro libitu, sed interrogandi in certis casibus, nimirum si detur aliunde semiplena probatio, vel indicia vehementia, &c.

Collig. 3. Etsi Judex legitimè interroget circa factum, posse testem, & reum negare, quando Judex procedit ex falsa præsumptione delicti, ut si interroget, an talis exierit ex hac, vel illa domo stricto gladio, poterit testis negare, etsi sciat, probatum hoc esse semiplena probatione, quando reus exiit quidem non tamen commisso à se homicidio, sed ob aliam causam. Item si interroget de facto, quod absque culpa patratum est, ut si ex ignorantia hominem occidisti, aut causâ necessariæ defensionis, aut rem alienam abstulisti causâ justæ compensationis &c. ubi non teneris fateri te occidisse, abstulisse, &c. etsi de te sparsa sit infamia, nec testis tenetur illud testari; nam Judicis interrogatio procedet ex præsumptione commissæ culpæ, seu de occisione criminosa, secundùm quam Judicis intentionem rectè negas, factum, v. g. Titii, tibi cognitum esse, sicut & ipse Titius eodem sensu negare potest, etiam juratus, sicut ex communi docent Laym. *l. 3. tr. 6. cap. 4.* & Less. l. c.

Collig. 4. Quoties quispiam à cujusvis debiti obligatione liber est, posse rogatum à Judice de illo, id negare intelligendo intra se, ut debeat; quia respondet ad debitam mentem Judicis interrogantis. Qua ratione qui nummos mutuo acceptos solvit, potest à Judice interrogatus de mutuo, jurare se illud non accepisse, intelligendo ita, ut teneatur illud rursus solvere, prout docent Covar. *l. 1. var. c. 2. n. 4.* Suarez *l. 3. cap. 9. n. 6.* Azor, & alii.

CA-

CASUS XXIII.

De obligatione Judicis ex probabilitate opinionum causam decidentis.

Pllatus Judex à Republica constitutus cum non modico Salario annuo non multùm solicitus est de majore causæ probabilitate & ejus meritis rimandis, & examinandis, sed dummodo pro se sententiam probabilem inveniat, secundùm illam judicat, & si par sit utriusque partis litigantis probabilitas, causam adjudicat illi, cui maluerit. Nec multùm invigilat officio suo publico, sed potissimum tempus impendit negotiis suis domesticis, & causis aliorum privatorum, majoris lucri faciendi gratiâ,

QUÆR. I. An Judex in judicando teneatur semper sequi sententiam probabiliorem?

QUÆR. II. An Judex, qui secundùm minùs probabilem sententiam judicat, non solùm peccet, sed etiam ad restitutionem teneatur?

QUÆR. III. An, quando probationes ex parte facti sunt æquales, & jus æquè favet uni, quàm alteri ex litigantibus, integrum sit Judici applicare rem, cui maluerit?

QUÆR. IV. An, & quid Pilatus ratione neglecti sui officii Reipublicæ restituere teneatur?

141 AD 1. Q. Convenit inter DD. in causis criminalibus, quando dubium ex diversitate opinionum oritur, non tantùm posse, sed teneri Judicem favere reo, sequendo opinionem probabilem illi faventem, etiamsi hæc sit minùs probabilis, quàm opposita; in obscuris enim secundùm jura favendum est reo, *Reg. 11. de Reg. jur. in 6.* ubi dicitur: *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.*

Quæstio hîc igitur est de causis civilibus, quando in his ex diversi-

tate opinionum dubium oritur circa jus, an Judex injudicando secundùm sententiam minùs probabilem judicare, & anve probabiliorem, sequi teneatur? Ubi complures, quos refert, & congerit Diana *p. 1. tr. 13. R. 3. & p. 11. tr. 2. R. 60.* antehac affirmârunt, posse Judicem sententiam ferre juxta sententiam minùs probabilem, ea ratione moti, quòd qui juxta probabilem opinionem fert sententiam, non temerè, sed prudenter operetur, utpote gravi ductus fundamento: ergo non peccat, sententiam omittendo probabiliorem.

142 Verùm controversiam hanc, & litem inter DD. agitatam diremit nuper Innocent. XI. proscribens hanc propositinoem num. secundam. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Idque meritò; nam tenetur Judex in ferenda sententia opinionem sequi probabiliorem non solùm ex jure positivo Canonico, & Civili *Reg. 45. jur. in 6. & l. in obscuris, ff. de Reg. jur.* ubi dicitur: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius.*

Sed etiam ex jure naturali, sicut enim Medicus, etiamsi ex charitate, & absque Salario suam operam ægroto præstet, tenetur ex quodam contractu implicito pharmacum applicare probabiliùs profuturum, ac sanativum, omisso minùs probabili, quando potest æquè utrumque adhiberi, ita Judex ex contractu implicito cum Republica tenetur sententiam ferre secundùm merita causæ, eamque illi adjudicare, cui magis jura favent; aliàs malè consultum esset bono publico, & pejus pauperibus, si Judex pro suo favore, amicitia, consanguinitate &c. licitè sententiam ferre posset in favorem eorum, quibus jura minùs favent. Et ratio ulterior est, quia Judex constituitur à Republica tanquam fidelis Minister, ut in veritatem diligenter inquirat, & sincerè secundùm jura, & æquitatem judicet viam securiorem ingrediendo, non secùs ac Oeconomus à Domino constitutus ad providendum rebus suis domesticis, qui idcirco tenetur pro æquali pretio emere meliora, & utiliora, & Medicus pharmacum adhibere securius. Unde

Fundamentum partis contrariæ hîc locum non habet, ut advertit citt. Viva in propos. citt. nam aliud est, licere sequi sententiam practicè probabilem, & aliud speculativè duntaxat probabilem; quamvis enim prudenter operetur, qui sequitur opinionem practicè probabilem; non tamen prudenter agit, qui sequitur opinionem tantùm speculativè probabilem, quando datur lex, seu conventio de sequenda probabiliore, uti hîc fit, sicuti nec Medicus prudenter, nec licitè operatur, nec Minister sacramentorum, sequendo opinionem

nem minùs probabilem, quia in his omnibus datur obligatio sequendi, quod est probabilius, ac tutius.

Aliud est in aliis actionibus humanis, quando probabilitas versatur circa licentiam, seu honestatem actûs, & secundùm probabiliorem sententiam Probabilistarum licitum est sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliore, quia per hoc, quòd aliquis sequatur sententiam verè probabilem, seu gravi nixam fundamento, & operationem suam illi accommodatam credat esse prudentem, jam evitat omne periculum peccandi formaliter, & solùm potest incurrere periculum peccati materialis, quod evitare non tenemur, aliàs nec possemus sequi sententiam probabilissimam relicta tutiore.

At verò Judex sequendo opinionem minùs probabilem relicta probabiliore per hoc non evitat damnum collitigantis, pro quo stat opinio probabilior, sicut non evitat Medicus, nec Minister sacramentorum sequendo in eorum administratione opinionem minùs probabilem, quia evitatio horum damnorum dependet à veritate, prout est à parte rei, & non à tuo ultimo dictamine, quod hîc, & nunc de licentia actionis tibi formas.

143 Ad 2. Q. judicem judicando secundùm sententiam minùs probabilem non solùm peccare, sed etiam teneri ad restitutionem parti omissæ faciendam, docent complures cum, & apud C. Lug. *D. 37. S. 10. n. 121.* & Viva citt. præsertim illi, qui negant posse Judicem judicare, & sententiam ferre in favorem opinionis minùs probabilis, relicta probabiliore.

Ratio est, quia Judex secundùm minùs probabilem sententiam judicando peccat contra justitiam commutativam auferendo ab altero ex litigantibus id, quod ipsi debetur, & ad quod jus habet; habet enim jus, ne res adjudicetur illi collitiganti, cui minùs assistunt favores legum, & Judex ex mente Reipublicæ tenetur judicare, & stare pro causa meliore, & cui jura magis favent; sicut enim lædit justitiam commutativam, & ad restitutionem tenetur, qui vi, mendaciis, fraudibus &c. impedit alterum à consecutione alicujus boni, quia quamvis hic non habeat jus absolutum ad tale bonum, antequam ei conferatur; habet tamen jus, ne vi, vel fraude &c. impediatur ab ejus consecutione, ut alibi ex communi dictum est, ita ad restitutionem tenetur Judex judicans secundùm minùs probabilem opinionem, quia inest alteri jus strictum, ne adjudicetur res illi, cui minùs assistunt jura, juxta quæ Judex debet judicare, nec Judex partibus propriè jus confert, utpote quod collitigantes ad rem ad-

judicandam jam habent ante lententiã Judicis, ſed exſpectatur duntaxat ſententia, ut Judex declaret, cui jus competat præ alio; cùm autem jus magis competat illi, qui meliorem habet cauſam, & cui jura magis aſſiſtunt, pro hoc erit judicandum, & declarandum.

Conf. quia judex conducitur à tota Republica ad impedienda ſingulorum damna, & ideo ſinguli retinent ſibi jus contra Judicem pro parte damni ſibi ex Judicis culpa interendi.

Dices, ſi Judex teneretur ad reſtitutionem, tunc ea obligatio judicandi pro parte probabiliore oriretur, ex debito, quod Judex habet erga Rempublicam inquirendi veritatẽ, & ſecundùm eam, ac favorẽ juris judicandi: ergò violando hoc debitum ſolùm peccabit contra Rempubl. & tenebitur illi reſtituere juxta detrimentum, quod bonum commune inde patitur, quæ tamen reſtitutio non eſt de toto intereſſe litis; ſicut etiam qui eligit minùs dignum, vel indignum ad beneficium, non tenetur regulariter, ſaltem extra concurſum, reſtituere digniori prætermiſſo, ut tenet communis, ſed ſoli Eccleſiæ pro ratione detrimenti, quod illa inde patitur: ergò idem ſimiliter dici poterit de Judice in caſu poſito.

R. n. c. nam in hoc caſu non eſt aliud damnum, quod patitur Respublica, niſi in quantum unus civis, qui habet meliorem cauſam, privatur bonis; hoc autem damnum non alio modo reſarcitur, niſi ille idem civis habeat bona, ad quæ habebat probabilius jus: ergò ſi Judex tenetur ad reſarciendum damnum Reipublicæ, tenetur etiam ad reſtituendum parti probabiliori, quæ fuit læſa. Econtra in allato exemplo de eligente minùs dignum diverſum eſt damnum commune, quod per electionem dignioris vitari intenditur, à damno privati, qui prætermittitur; in electione enim minùs digni, omiſſo digniore, cùm nemo ad tale beneficium habeat jus ſtrictum proprietatis, utpote quod eſt bonum cõmune diſtribuendum in utilitatẽ, & bonum ipſius Communitatis, idcircò ſi non fideliter, & ad mentem Communitatis diſtribuatur, non peccatur contra jus ſtrictum particularis perſonæ; unde non particulari perſonæ, ſed Communitati reſarciendum eſt damnum ex tali electione ſecutum; ſecùs ſe res habet in altero caſu, ubi bonum, quòd adjudicatur ſecundùm opinionem minùs probabilem, non eſt Communitatis, ſed proprium collitigantium: ergò ſi per injuſtam Judicis ſententiam denegetur illi ex collitigantibus, cui debetur, huic tenebitur Judex damnum compenſare, cùm non ſolùm adverſus Rempublicam delinquat, ſed etiam adverſus eum, qui ſuo bono privatur.

Ad

144 Ad 3. Q. quando utraque opinio est æquè probabilis, seu ex utraque parte stat æqualis juris, ac facti probabilitas, in Judicis arbitratu positum esse, causam adjudicare utri parti maluerit, docent Joan. Sanch. *D. 44. n. 51.* Petr. Ledesm. *de matr. q. 45. a. 1. dub. 2. ad 3.* Valent. *D. 5. q. 7. p. 4. dub. 3.* Sayrus *l. 1. c. 11. prop. 2.* Salas *q. 21. tr. 8. D. un.* S. *12.* Medina *1. 2. q. 19. a. 6. concl. 2.* Salon. *q. 63. a. 4. contr. 2. concl. 1.* aliique. Moventur, quia Judex vi officii, & justitiæ distributivæ non magis uni debet id bonum judicii favorabilis, quàm alteri, sed uterque illo judicio dignus est: sicut ergo inter duos beneficio Ecclesiastico æquè dignos datur optio, & liberum est Episcopo beneficium conferre, cui maluerit: ita & Judici in sententiis ferendis.

145 Nihilominus communis sententia cum, & apud Lug. *D. 37. de just.* S. *10.* Palaum *D. 2. p. 10.* Suarez. *de charit. D. 23.* S. *6.* Coninck. *de matr. D. 34. dub. 10.* Laym. *l. 1, tr. 1. c. 5.* §. *3.* docet, in posito casu debere Judicem, si res secundùm pretium sit divisibilis, eam inter collitigantes dividere, vel si utiliter divisibilis non sit, debere vel per sortes ex partium consensu uni adjudicare, vel arbitros constituere, vel alio modo partes inter se componere &c. nisi alteruter favore possessionis gaudeat, vel nisi sint causæ pupillorum, viduarum, locorum piorum, matrimonii, dotis, libertatis &c. ubi si res dividi non potest, debet Judex, cæteris paribus, pro iis causis privilegiatis sententiam ferre, ut notat Dom. Viva l. c. Ratio dictorum est, quia cùm Judex non sit dominus rei, sed distributor, non potest pro suo arbitratu jus ullum in alterum transferre, sed debet distribuere pro qualitate juris, quod unaquæque pars habet; cùm ergo unaquæque pars jus habeat in rem illam æqualiter, nulla est ratio, cur potiùs uni, quàm alteri parti tribuat; sicut enim unaquæque pars non potest sibi rem illam integrè vindicare, ita nec etiam Judex poterit ei integram adjudicare, atque adeò dividenda erit, si divisibilis, vel alio modo compositio suadenda, vel, si opus sit, etiam imperanda, ut cum aliis notat Abb. in *cap. ult. not. 4. de major. & obed.*

2. Quia aliàs facilè locum haberet acceptio personarum, & pauperes plerumque causâ caderent; cùm enim voluntas in obscuris possit multùm inclinare intellectum, facilè continget, ut Judex sentiat rationes esse æquales, ubi non sunt, & causam decidat pro eo, cui cupit favere. Multò minùs potest Judex aliquid accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio, ut patet ex hac propositione ab Alex. VII. damnata: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere*

pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

Nec urget paritas, seu exemplum de beneficio Ecclesiastico; nam ad beneficium Ecclesiasticum nullus habet jus etiam justitiæ distributivæ, quousque eligatur, sed potiùs hæc justitia exigit, ut uni tantùm ex concurrentibus conferatur, & beneficium nec quidem secundùm æstimationem dividi potest; in causa verò collitigantium utraque pars ante sententiam Judicis jus habet justitiæ ad rem illam, nec Judex aliud facit, quàm declarare, cui tale jus competat, & cùm utrique æquè jus competat, pro utraque parte erit declarandum & res dividenda.

146 Ad 4. Q. R. Pilatum ita negligenter Officium suum obeundo non solùm peccare, & ad restitutionem omnium damnorum teneri, quorum suâ negligentiâ, imperitiâ, aut malitiâ causa extitit, sed etiam obligari ad restitutionem salarii Reipublicæ faciendam saltem pro rata, & ratione neglecti Officii, & omissionis debitæ negligentiæ; quia qui non facit, quod vi Officii sui facere tenetur, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur; Judex enim à Republ. constituitur, ut officiô suô, ob quod salarium accipit, ritè, & diligenter fungatur, & non solùm, ut diligenter bonum publicum procuret, sed etiam caveat, ne Respublica damnum patiatur, ex sua culpa, & negligentia oriturum.

Huc facit etiam tum statutum Gregor. IX. *in C. si culpa fin. de injur. & damno dato, tit. 56.* ubi: si culpa tua, inquit, damnum est datum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentia, evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. Tum Catechismus Trident. *p. 3. de 7. præcept. n. 17.* ubi ita de talibus loquitur: Illi quoque in furum numerum reponendi sunt, qui ad privatum aliquod, vel publicum officium conducti sunt, nullam, vel parvam operam navantes munus negligunt, mercede tantùm, & pretio fruuntur.

CASUS

CASUS XXIV.

De Judice, Sagis, & Confessario.

TRusila pluribus malevolis de maleficiis suspecta ad Judicem defertur, quæ, licèt re vera innocens esset, idque privatim constaret Judici, cùm tamen juxta multiplicatas denuntiationes. allegata, & probata in foro externo rea inventa esset, tanquam Saga, morti adjudicatur, eique significatur, ut, accito Confessario, ad ultimam luctam post triduum subeundam se disponat.

QUÆR. I. An Judex Trusilam rectè ad mortem condemnaverit ?

QUÆR. II. An suspectus de maleficio à Judice damnari possit ad mortem propter multiplicatas Sagarum, seu infamium personarum denuntiationes, etsi reus crimen confessus non sit ?

QUÆR. III. An liceat Judicibus volentibus maleficum torquere, efficere, ut ejus corpus abluatur, & pili totius corporis abradantur ?

QUÆR. IV. Quomodo Confessarius se gerere debeat cum Sagis ultro ad S. Confessionem accedentibus, vel à Judice jam captis, & condemnatis.

147 AD 1. Q. responsio pendet ex ea quæstione, an possit Judex ad mortem condemnare eum, quem privata scientia certò scit, esse innocentem, sed allegata, & probata nocentem probant ? ubi sententiam negativam, tanquam probabiliorem alibi amplexi sumus.

Rationes pro, & contra videri possunt in casu 21.

Ad 2. Q. An reus de maleficio 148 à Judice damnari possit ad mortem propter multiplicatas personarum infamium denuntiationes, etsi ipse reus crimen confessus non sit ?

Respondent affirmativè complures cum Binsfeld. *de Confess. malefic. memb. 2. Conl. 7.* & Gomez 3. *resol. c. 12. n. 18.* Rationem dant; quia licèt testimonium personæ infamis minus ponderis habeat, facit tamen indi-

indicium aliquod, tantóque majus, quantò plures personarum infamium conspirant, & consentiunt: ergo potest contingere, ut 15. vel 20. Sagæ de proprio crimine confessæ aliam ut sociam perseveranter denuntient, ut exinde oriatur indicium moraliter certum, quod plenæ probationi æquivaleat. Id quod vel maximè in crimine hæresis locum habere potest, ac debet, teste Laym, *l. 3. tr. 6. c. 5.* Nihilominus.

Loquendo saltem de crimine sagarum, non sufficere solas denuntiationes personarum infamium, ut ut multiplicatas rectè censent alii cum Prosp. Farinac. *q. 43. n. 39. & 62.* Martin. Delrio *l. 5. sect. 5.* Ratio est, quia ut testimonia plurium ad condemnandum hominem non confessum sufficiant, debent ii esse contestes, id est debent deponere, & testari non de actibus diversis, sed de eodem facto particulari, & speciali; aliàs si unus de uno crimine testetur, alter de alteto, unus de visu, alter de auditu &c. non efficiunt plenam criminis probationem, quæ sufficiat ad condemnandum pœna ordinaria, uti docent Cajetan. *2. 2. 9. 70. a. 2.* Less. *l. 2. c. 30. dub. 4.* Clarus *q. 53. u. 19.* Joach. Mynsing. *cent. 2. observ. 100.* Laym. *l. 3. tr. 6. c. 3.* aliique: atqui vix unquam accidet, ut duodecim, vel 15. Sagæ in denuntiatione ejusdem personæ sint contestes, seu de eodem particulari facto contestentur, sed de sociis interrogatæ solùm dicent Bertham v. g. maleficam quoque esse, vel una dicet, se ante 6. menses, alia ante unum annum, tertia ante duos annos in sagarum & Dæmonum conventu, aut convivio Bertham vidisse, quarta eam sociam habuisse in creanda tempestate &c. Accedit, quòd maleficæ interrogatæ de sociis interdum aliquas prodant, non quia verè tales esse sciunt, sed quia propter earundem in hoc genere infamiam, vel antecedentem capturam, tales esse suspicantur, vel quia ut tales per sensuum illusionem ipsis visæ sunt in saltu, aut convivio, Dæmone hujus, vel illius figuram, ac personam assumente & apparenter repræsentante, ut credant, se tales vidisse, & convivas, ac socias habuisse: Ut adeò hujusmodi solæ denuntiationes infamium personarum, quantumvis multiplicatæ, nisi aliis gravioribus indiciis, aut testimoniis confirmentur, ad ferendam sententiam condemnatoriam minimè sufficere videantur; efficiunt tamen contra reum magnam præsumptionem, & plusquam semiplenam probationem, quæ sufficiat ad torturam; solam tamen unius malefici testificationem absque aliis indiciis non sufficere ad capturam, & multò minùs ad torquendum denuntiatum, docent Petr. Binsfeld. *tr. de Confess. malefic. 2. p. Concl. 3. & 4.* Valent. Palao aliique citti DD.

Ad

Ad Q. 3. an liceat Judicibus volentibus maleficum torquere, efficere, ut ejus corpus abluatur, & pili totius corporis abradantur? id quod sæpiùs fieri solet.

R. cum Less. *l. c. cap. 44. n. 44.* Sanch. *l. 2. cap. 41. n. 11.* Palao *D. 1. p. 11. n. 12.* Delrio *l. 5. disquis. magic. sect. 9. n. 3.* aliisque, licitum esse, si timeatur, aut suspicio sit, ne in pilis ipsis maleficium aliquod occultetur, quo torquendi insensibiles tormentis reddantur; quia hoc nihil est aliud, quàm Dæmoni tollere fundamentum operandi, si crinibus maleficium lateat insersum, aut insertum foraminibus, vel unctio aliqua subsit, quibus maleficus non sentiat dolorem tormentorum. Addit tamen Delrio, id fore superstitiosum, si tonsio illa, aut lotio fiat credendo per illam vires amitti instar Samsonis; quia cùm ad eum effectum sit vana, & inutilis talis tonsio, aut lotio, esset superstitio, & illicita.

150 Ad 4. Q. Si mulier ad Confessionem ultrò accedens ob aliqua ejus indicia, dicta, vel asserta Confessario de maleficiis sit suspecta, inprimis proponendum est illi ex una parte periculum animæ, in quo versatur, nisi ritè confiteatur: ex altera verò parte maximam, quâ Confessarius tenetur, obligationem sigilli sacramentalis, ut potiùs mors sit illi perferenda, quàm ut minimum peccatum directè, vel indirectè revelare liceat. Quod si saga exhortatione Confessarii permota, se Sagam esse confiteatur, expedit exactè exquirere de tempore, & occasione, qua in tale crimen prolapsa est, de modo, & qualitate superstitionis, an seriò, & ex animo Christianæ fidei & Deo renuntiârit, ac Dæmonis partibus adhæserit? an rebus sacris abusa fuerit, an hominibus nocumentum intulerit in corpore, vel bonis fortunæ, quas personas læserit? an etiam Clericos, & Religiosos? idque ob censuram excommunicationis, utrum alios seduxerit, & an hi in tali crimine persistant, quia, ut notat Mart. Delrio *l. 6. disquis. magic. sect. 3.* tenetur tales ad viam veritatis reducere, & si converti recusent, ad Magistratum deferre, saltem si exinde probabile periculum ipsi non immineat veniendi in suspicionem aliquam vel capturam.

Cùm autem perdifficile sit ejusmodi personas à Dæmonis potestate eripere, laborandum est Confessario id efficere, ut agnoscere incipiant infensissimi hostis fraudes, mendacia & falsa promissa, & ut abjurato Diabolo fidem ac spem in Deum concipiant, qui peccatores omnes ad se invitat, & reverti volentes benignè recipit; nam cùm hujusmodi personæ sibi firmiter persuadeant, se propter pactum cum Dæmone ab hujus servitute liberari

berari non posse, satagendum est, ut ipsis hæc persuasio eximatur, suggerendo eis tanquam de fide certum esse, ob gravissima crimina commissa, & fidem Dæmoni datam neminem à Divina misericordia excluſum esse, si ex toto corde anteactæ vitæ pœnituerit; & licèt Diabolo tradiderit Chirographum suo nomine obsignatum, quo se in servum perpetuum dicaverit, in causa tamen non esse, quò minùs à tam nefaria servitute per pœnitentiam exire possit, dummodo velit, tametsi ei non reddatur Chirographum concessum, uti benè advertunt Suarez *t. 1. de Relig. l. 2. de superst. c. 17.* Sanch. *l. 2. in Decal. cap. 40.* Bonac. *D. 3. q. 5. n. 11.* & alii; cùm initum pactum dissolvatur pœnitentiâ criminis illius:

Quòd si maleficus ipse chirographum, vel ejus exemplar in sua habeat potestate, illud omninò lacerandum, cremandúmque est, uti & quodlibet aliud signum hujus Diabolicæ artis, tum ob periculum, ne redeat in pristinam cum Dæmone amicitiam, tum ne aliis scandalò sit, si forte illud videatur, amittatur, vel inter alias ejus chartas ante, vel post mortem inveniatur. Dein tenetur libros omnes, si quos habet, & scripta hujus diabolicæ artis concremare, aliàs incurrit pœnas impositas contra tenentes, & legentes libros prohibitos, ut constat ex Indice librorum prohibitorum, & ex motu propr. Sixti V. Demum ad hunc effectum obtinendum non parùm proderunt frequentes preces, crucis signum, sacræ imagines, & reliquiæ sanctorum, agnus Dei, & similia ab Ecclesia benedicta, & ad hunc finem ordinata, frequens item peccatorum confessio apud eundem Confessarium facta; repetita sæpiùs fidei Catholicæ professio, & frequens recitatio symboli Apostolici.

151 Ad sagas quod attinet à Judice jam captas, vel condemnatas, expedit, ut Confessarius utcunque cognita habeat ea, quæ in judicio acta fuêre, quæ indicia, & probationes deprehensæ &c. ut si postea per inconstantiam suam coram Confessario crimen negent, repelli, ac convinci possint, addita exhortatione, ut in eo articulo, & vitæ termino syncerè cum Deo agant, ejusque ministro sacerdote, nec sinant se à Dæmone decipi, & ad tormenta æternùm duratura deduci, cùm facilè, si velint, per pœnitentiam, & Dei misericordiam ad æterna gaudia pervolare possint.

Quòd si saga crimen suum Confessario fateatur, statim examinanda erit de modis, & circumstantiis paulò ante memoratis, & de consortibus, sive aliis ejusdem criminis reis, an eas, quas reas novit, Judici prodiderit, utpote ad id obligata, ut ejusmodi pernicio-

sissima

sissima flagitia à Magistratu impediri, & extirpari possint, ne ulteriùs serpant; & an alias innocentes per invidiam, aut ob metum tormentorum denuntiaverit, & si affirmet, urgenda à Confessario erit, expositâ gravissimâ, quâ tenetur, obligatione, ut falsam denuntiationem coram Judice revocet, etsi, ut contendit Petr. Navar. *l. 2. c. 3. n. 251.* nova forsan tormenta timenda forent, modò spes aliqua sit, Judicem ejusmodi revocationi contra priorem juratam judicialem depositionem, fidem aliquam habiturum. Cùm autem ordinariè Judices stare soleant confessione, & denuntiatione criminis semel judicialiter facta, & confirmata, non obstante extrajudiciali revocatione, si Saga constanter Confessario ingerat, se personam innocentem denuntiâsse, suadere illi poterit, ut publicè coram populo retractet, tum quia tali revocatione conscientiam falsò denuntiantis pacatiorem reddet: tum quia talis revocatio instante morte apertè coram Deo teste facta aliquatenus saltem debilitat, & imminuit priorem denuntiationem, ut si alia etiam indicia falsæ denuntiationis accedant, contra denuntiatam personam procedi non debeat.

Si autem Saga in judicio confessa, apud Confessarium constanter dicat se innocentem esse, & metu tormentorum confessionem extortã esse; consolari eam poterit exemplo tot Martyrum, qui innocentes, & immeriti martyrium subiêre; pœnam hanc fore illi ad meritum, atque uberem satisfactionem aliorum peccatorum suorum &c. Cæterùm nec prodesse, nec expedire, ut Confessarius Judicem ea de re moneat, aut advocatum talis hominis agat, tum quia Judex nullam extrajudicialem excusationem admittet post publicam Rei confessionem, aut convictionem, ut dictum est, tum quia si constet Confessarium intercedere pro reis, quos ipse innocentes suspicatur, alii nocentes occasionem arripient, facinora sua Confessarium callidè celandi non sine gravi sacrilegio, & animarum suarum pernicie.

CASUS XXV.

De Advocato, ejúsque obligatione.

BAldus Advocatus cauſam Valerii defendendam ſuſcipit, quam ab initio juſtam quidem cenſet, ſed in progreſſu litis minùs probabilem agnoſcit, imò exiguam, vel nullam ſpem affulgere victoriæ; nihilominus pergit inceptæ cauſæ patrocinari, eámque in longum protrahit, ac tandem amittit.

QUÆR. I. An Advocatus ſuſcipere poſſit cauſam defendendam minùs probabilem?

QUÆR. II. An, & quando Advocatus, amiſſâ cauſâ, ſalarium reſtituere, & damna partibus reſarcire teneatur?

QUÆR. III. An, & de quonam ſalario paciſci licitè poſſit Advocatus ſolvendo à ſuo Cliente?

152 AD 1. Q. Satis certum eſt, licèt Advocatus non poſſit ſciens ſuſcipere cauſam injuſtam defendendam, non tamen opus eſſe, ut certus ſit de juſtitia cauſæ, quam ſuſcipit, cùm poſſit ſuſcipere cauſam defendendam merè probabilem, ſaltem, ſi ſit æquè, vel probabilior oppoſitâ, aliàs vix unquam liceret Advocato ſuſcipere patrocinium alicujus cauſæ; cùm lites ferè omnes ortum habeant à jure, vel facto dubio. Dubium autem, & controverſia eſt inter DD. an Advocatus ſuſcipere poſſit cauſam defendendam minùs probabilem. Ubi

Negativam ſententiam tenent 153
Sotus *l. 5. de juſt. q. 8. a. 3.* Valent. *2. 2. P. 5. q. 15. p. 14.* Arriag. *D. 24. S. 5.* cum, & apud Burghab. *cent. 3. Caſ. 65.* Rationem dant; quia Advocatus tenetur potiùs favere illi, cui jura potiora favent, ſeu qui potius jus habet; ſed jura potiora favent habenti cauſam probabiliorem: ergo.

2. Princeps non poteſt illi inferre bellum, cujus cauſa probabilior judicatur: ergo neque Advocatus intentare, ac movere poteſt litem illi, pro quo ſtat major probabilitas. 3. Quia ubi jura partium dubia ſunt, & obſcura, favendum eſt reo juxta *C. inter 6. in fin.*

fin. de fid. instrum. ergo Advocatus contra jus rei agit patrocinando parti adversæ potius jus habenti. 4. Quia contraria sententia minimè consulit bono communi, cùm sic multùm inde nutriantur lites.

His tamen non obstantibus dicendum est cum Nav. *C. 25. n. 28.* Sà V. *Advocatus.* Less. *de J. & J. l. 2. c. 31. dub. 9. n. 53.* Vasq. *D. 64. n. 1.* Sanch. *l. v. in Decal. c. 9. n. 51.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5.* Gutier *l. 1. qq. Canon. c. 13. n. 24.* Haunold *tom. 5. tr. 2. n. 543.* Bonacin. P. Schmalzgr. hîc n. 16. Pichler, aliisque, posse Advocatum causam suscipere defendendam etiam minùs probabilem, modo clientem suum de minori causæ probabilitate moneat. Ratio est quia minùs probabilia re ipsa sæpè sunt vera, & magis probabilia falsa: ergo ex eo quòd una pars causam habeat minùs probabilem, non est, cur suscipi, & defendi nequeat, propositis, & deductis causæ momentis, ut veritas elucescat; Advocatus enim non petit à Judice sententiam in favorem actoris contra reum, casu, quo Judex illam ferre non potest, sed repræsentat jus actoris, ut ipse examinet, & videat, pro qua parte sit ferenda sententia, quódque sibi probabilius apparet, Judici fortè minùs probabile apparebit, aut viciſſim.

2. Quia ipse Cliens potest suam causam minùs probabilem defendere in judicio per se ipsum: ergo etiam per Advocatum, cujus duntaxat officium est partis, quam defendit, causam elucidare, & momenta, aliáque quæ pro ea faciunt, allegare, ac proponere, siquidem *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum,* reg. J. 68. in 6. Unde

Ad argumenta in contrarium adducta R.

Ad 1. Dist. maj. cui favent jura potiora vera, C. M. apparentia tantùm, & existimata, n. M. & sub eadem dist. m. & C. favendum quidem est habenti potius jus verum, sed cùm in posito casu jus sit ambiguum, poterit Advocatus favere, cui voluerit.

Ad 2. n. parit. disparitas est, quia Princeps bellum inferens est simul Judex, & pars litigans; Judex autem tenetur sequi probabiliora; Advocatus verò non est simul Judex, sed solùm assistit parti, cui integrum est per se, vel per alium sua jura defendere.

Ad 3. R. id locum habere duntaxat in Judice; non verò in Advocato, utpote qui solùm proponit momenta causæ, ut Judex sciat, cui per sententiam favere debeat.

Ad 4. n. a. Multùm enim interest, causis, & litibus etiam probabilibus

bilibus patrocinari, ut sic propositis utriusque causæ momentis, ac meritis melius Judex informari, & sententiam æquiorem ferre possit. Ex quo etiam confirmatur sententia contraria affirmativa.

Ad 2. Q. R. Si Advocatus in
154 progressu litis injustitiam causæ agnoscens eam non statim deserat, sed prosequatur, tenetur Clienti suo, & parti adversæ compensare damna illata, utpote qui horum injusta causa extitit in partes redundantium, & parti quidem contrariæ tenetur ad restitutionem ex peccato commissionis, cùm fuerit illi causa positiva damni; Clienti verò tenetur ex peccato omissionis, quatenus ipsum, prout ex officio debebat, non admonuit de causæ injustitia. Idem dicendum, si causâ examinatâ exiguam, vel nullam prudentem spem victoriæ affulgere animadvertat, & Clientem suum de periculo priùs non admoneat, quia sic causam suscipiendo, vel prosequendo Clientem suum manifesto discrimini subjicit, & causa existit tot expensarum frustra factarum, vel faciendarum; siquidem Advocatus post diligentem causæ totius considerationem, & haustam notitiam tenetur Syncerè aperire Clienti suo, quantam probabilitatem, vel spem victoriæ habeat; alioquin si falsa promissione, aut spe inani victoriæ clientem detineat, vel lucri capiendi gratiâ litem in longum protrahat, quæ citò expediri poterat, & clientem suum sumptibus frustra faciendis involvat, aut per culpam suam, imperitiam, vel negligentiam causam in judicio perdat, tenetur damna, quorum causa extitit, compensare, & non solùm salarium non exigere, sed etiam illud, quod accepit, in conscientiæ foro restituere obligatur, ut notant Host. *in Summ. hic n. 5. & S.* Raymond. *in Summ. l. 2. tit. 5. §. 39.* ubi tenetur Advocatus, inquit, ad restitutionem omnium illis, quibus præstitit patrocinium, si propter suam infidelitatem, vel negligentiam, vel imperitiam amiserunt causam. Ratio dictorum omnium est, quia Advocatus in his casibus est causa injusta damnorum in partes redundantium, agitque contra proprium suum officium cum detrimento aliorum, si quidem unusquisque tenetur scire, & diligenter exequi artem & officium, quod suscepit, & profitetur, maximè cùm agitur de damno, & præjudicio aliorum: hinc tenetur Advocatus merita causæ diligenter rimari, & ea, quæ ad defensionem illius sive de jure, sive de facto conducunt, diligenter conquirere, & nihil eorum omittere, quæ causæ defendendæ proficua esse possunt, *l. rem non novam 14. § patron. 1. C. de Judic.* In defensione verò, & deductione causæ susceptæ tenetur brevitati studere, superfluas allegationes resecare, & vitare frustra-

ſtraneas dilationes, & exceptiones, quibus Clientes perſæpe priùs ſuarum facultatum finem vident, quàm litis terminum.

155 Ad 3. Q. an, & de quonam ſalario paciſci licitè poſſit Advocatus ſolvendo à ſuo cliente? R. poſſe paciſci de ſalario ſibi ſolvendo, ſive cauſam evincat, ſive litem perdat; quia poteſt ſalarium à ſuo Cliente exigere, etſi de eo ſolvendo nihil conventum ſit, cùm nemo teneatur ſuis ſtipendiis militare, *C. cùm ex offic. 16. de præſcript.* ſi tamen aliunde à Magiſtratu pretium, ſeu ſalarium conſtitutum eſt, aut à lege, vel conſuetudine taxatum, nequit majus, quàm taxatum ſit, exigere, quia tenetur quilibet legem ſervare, juſtè pretium taxantem; recipere tamen majus poteſt, ſi ſponte, & liberaliter offeratur. Quòd ſi ſalarium à lege, vel conſuetudine taxatum non ſit, tantum poteſt duntaxat recipere, quantum judicio prudentis viri videbitur, habita ratione laboris, dignitatis, ſcientiæ, & difficultatis cauſæ, *l. præſes 1. §. in honorariis, 10. ff. de extraord. cognit.* Ubi advertunt Clavis Reg. *n.* 10. Bonac. *D.* 10. *q.* 3. *p.* 4. Leſſ. citt. Azor, & alii, Advocatum non teneri in omnibus caſibus eandem adhibere diligentiam, ſed majorem, vel minorem pro negotii, & cauſæ qualitate, ideóque ſi cauſa difficilis ſit, vel magni momenti, teneri majus ſtudium adhibere, quàm ſi facilis ſit, vel exigui momenti. De quota tamen litis, ſive de certa parte rei litigioſæ ſibi ſolvendæ, ſi vicerit, neutiquam paciſci poteſt, uti neque de Palmario ſeu de extraordinario aliquo ultrà ſalarium Ordinarium in eventum victoriæ, ſeu ſi victor evaſerit; nam id vetitum eſt à pluribus legibus, *l. 56. C. h. tit. l. 53. ff. de pact. l.* 1. *§.* 10. *extraord. cogit. &c.* Idque ideò quia tale pactum cenſetur maximè invitare, & alicere Advocatum ad delinquendū, ad adhibendos dolos, fraudes, & quævis alia media illicita pro obtinenda ſententia favorabili, & cauſæ victoria. Licet tamen Advocato paciſci de certo pretio ſolvendo moderato, ſive Cliens vincat in cauſa, ſive vincatur, quia in tali caſu ceſſat ratio, ob quam jura pactionem de quota litis prohibuerunt, ſcilicet periculum fraudis, doli &c. eſtque hujusmodi pactio, ac promiſſio permiſſa, *l.* 1. *ff. mandati.*

CA-

CASUS XXVI.

De obligatione Notarii.

FAbricius Notarius sciens non nunquam conficit instrumentum, in quo sub specie mutui, vel alterius contractûs liciti palliantur usuræ, ex quo fit, ut mutuatarius postea re ipsa solvere cogatur usuras. Sæpe non manifestat legata iis, quibus fiunt, pecuniâ corruptus ab iis, qui ea solvere tenentur. Non nunquam ex ignorantia, vel negligentia in conficiendis instrumentis aliqua omittit, quæ ad illa requiruntur, & pro iis conficiendis in petendo pretio excedit.

QUÆR. I. An, & quomodo Fabricius Notarius peccet, & ad restitutionem teneatur conficiendo instrumenta palliatam usuram continentia?

QUÆR. II. An, & quomodo peccet Notarius, & ad restitutionem teneatur non manifestando legata iis, quibus fiunt, vel ex imperitia, aut negligentia omittendo aliqua ex iis, quæ ad confectionem instrumenti requiruntur?

QUÆR. III. An Notarius accipiens aliquid ultra pretium taxatum, etiam sponte oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur?

156 AD 1. Q. Satis convenit inter DD. si Notarius instrumentum conficiat, quod expressè contractum usurarium continet, & exprimit, peccare quidem Notarium, quia agit contra suum juramentum, quod Notarii, dum munus illud suscipiunt, facere solent, non tamen peccare contra justitiam, adeóque nec teneri ad restitutionem, quia vi talis instrumenti non possunt exigi usuræ, utpote quod nullam vim, seu jus tribuit usurario ad recuperandam usuram; nec Judex Notarium obligabit ad aliquid solvendum, nisi, ut cum aliis excipit Toletus *l. 5. c. 61.* alicubi statutum iniquum vigeret, quô mutuatarii cogerentur ad solvendas usuras. Quòd si contractus usurarius non exprimatur in instrumento, sed pallientur usuræ sub nomine alterius debiti, vel con-

contractûs liciti, ita ut ex eo mutuatarius postea re ipsa cogatur solvere usuras, Notarium conficiendo tale instrumentum peccare etiam contra justitiam, & teneri ad restitutionem (in defectum scilicet usurarii) faciendam illi, qui vi illius instrumenti cogitur usuras solvere, v. g. Titius dat Cajo centum aureos, ut post duos menses recipiat centum, & decem, de quo fit à Notario instrumentum sub nomine mutui, quòd det Titius Cajo centum, & decem, ut totidem reddat post duos menses, hîc palliatur usura, cùm Titius non det nisi centum; ubi Notarius tenetur restituere usuram Cajo, quia vi talis instrumenti in foro exteriori obligatur Cajus reddere centum, & decem.

Hoc tamen limitandum est, & intelligendum de casu, quo conficitur instrumentum non volente, nec petente mutuatario, sed eo invito, & non consentiente; nam si tale instrumentum fieret in favorem Caji petentis, & rogantis, ut tale instrumentum fieret, eò quòd aliter non posset habere pecunias, quibus indiget, tunc delinqueret quidem graviter Notarius illud conficiendo, sed ad restitutionem non teneretur, quia petenti, & volenti non fit injuria.

157 Ad 2. Q. R. Notarium non revelando legata, præsertim, pia, in instrumentis à se confectis relicta iis, quorum interest, peccare, & teneri ad compensanda damna legatariis, quæ hi ex dilatione, vel non manifestatione inde sunt passi; agit enim contra suum officium, & fidelitatem cum damno aliorum, si quidem vi sui muneris post mortem testatoris tenetur, etiam nullo exigente, si penes se habeat, ac retineat aliquod instrumentum, vel testamentum, ratione cujus aliquibus fiant legata, nec impleta sint, ignorantibus iis, quibus fiunt, illud manifestare, primò quidem iis, quibus incumbit illa implere, & si hi ex sua culpa non impleant, iis, quibus legata fiunt; adeò ut in aliquibus statutis synodalibus Notarius casum reservatum incurrat, uti statutū est in synodali constitutione Tridentina, si intra duos menses pia legata non manifestet, & alibi etiam Excommunicationem, uti in Diœcesi Mediolanensi, ubi si post tres menses non denuntiet legata pia, elapsis tribus mensibus ipso facto incidat in Excommunicationem.

Pari modo si Notarius in conficiendis instrumentis aliqua omittat ex ignorantia, vel negligentia, unde illa irrita reddantur, vel unde alter detrimentum patiatur, peccat, & ad restitutionem obligatur, quia tenetur scire, quæ sui sunt officii, & in iis observandis debitam diligentiam adhibere.

Ea porrò, quæ Notariis observanda sunt, & ad authenticum in- 158

ſtrumentum publicum requiruntur, ſunt:

Primò in proloquio præmittenda eſt invocatio Divini nominis, v.g. *In nomine Domini, Amen,* vel *in* nomine *SS. & individuæ* Trinit. &c. ut habetur in *Conſt. Imper. de anno 1512.* §. 3. 2. Exprimitur tempus geſti negotii, videlicet à Chriſto nato, vel incarnato currens, Indictio Romana. Additur nomen, & annus Pontificis, Imperatoris, Regis, vel Principis regnantis, in cujus territorio conficitur inſtrumentum. Item dies, & menſis, in quo celebratur contractus. Item locus ſpecialis, in quo legitur inſtrumentum, ſcilicet in qua Civitate, in quo pago, in qua platea, & domo &c. 3. Inſcribenda ſunt inſtrumento nomina teſtium, in quorum præſentia actus celebratus eſt: Non autem ſufficit, ut teſtes actui præſentes interſint, ſed in contractibus, & inſtrumentis, quæ fiunt in ſcriptis, debet ſcriptura à Notario confecta legi coram partibus, & teſtibus, quia partes debent conſentire in omnia ſubſtantialia, & teſtes debent poſſe deponere, quòd omnia ſubſtantialia intervenerint, quod fieri non poteſt, niſi ſcripturam legi audiverint, ut ſic intelligant, & ſciant, illam eſſe conformem intentioni contrahentium, aut teſtantium. 4. Apponi debent nomen, cognomen, & ſigillum proprium Tabellionis, & Notariatûs, ſi quod habet, addendo etiam qua authoritate ſit Notarius, an Pontificiâ, vel Cæſareâ &c. factum verò, ſeu negotium ſincerè, fideliter, & integrè deſcribere debet in inſtrumento cum debitis circumſtantiis, & cauſis &c. Non tamen requiritur, ut manu propria Notarii ſit ſcriptum, modo manu Notarii ſubſcribatur; (niſi contrarium alicubi ſtatutum ſit, prout ſtatutum eſt in Conſtitutionibus Synodalibus Auguſtanis cap. 6. ut non aliena manu, ſed ipſimet Notarii ſcribant) quia induſtria Notarii non eligitur in ſcribendo, ſed ut fidem faciat & teſtetur de rebus geſtis, quod ſatis præſtatur per ſubſcriptionem authenticam, id quod colligitur ex *C. inter dilectos 6. §. inſtrumentum quoque h. tit.* Poſtquam autem verum, & ſincerum inſtrumentum confecit, tenetur apud ſe ſervare regiſtrum, ut vocant, & non dare alicui alteri, niſi tranſumptum aliquod, & hinc ſi alteri damnum obveniat, eò quòd apud Notarium non maneat regiſtrum, tenetur de damno illato, ut notat Tolet. *l. c.* Unde & in *C. quoniam 11. de probat.* injungitur Notariis, ut ſua originalia, ſeu protocolla penes ſe retineant, ut, ſi ſuper ibidem ſcriptis oriatur quæſtio, *per hoc poſſit veritas declarari.*

Ad 3. Q. An Notarius accipiens aliquid ſupra pretium taxatum, etiam ſponte oblatum, peccet, & ad reſtitutionem teneatur? Petr. Navar. *l. 3. c. 3.* Bonac. *D. 10. q 3. p. ult.* 159

p. ult. Reginald. *l. 25. n. 694.* Tolet. *l. c.* Rodriq. *2. p. c. 2.* Fill. *n. 301.* & alii apud Clav. Reg. *l. 12. c. 25.* contra Medin. *l. 1. c. 19. §. 5.* & Salon. reſpondent, Notarium peccare quidem, ſi ratione ſcripturæ aliquid ultra præſcriptum pretium accipiat, quia agit contra legem, dum lege ſancitum eſt, ut Notarius nihil ultra taxam accipiat, etſi ſpontè offeratur, & etiam contra juramentum de ſervanda lege pretii; non tamen eum teneri ad reſtitutionem; tum quia lex prohibet receptionem, non tamen præcipit reſtitutionem rei acceptæ, nec accipientem inhabilem reddit ad acquirēdum dominium; tum quia non accipit, nec retinet aliquid contra voluntatem domini, qui non dat plus invitus; ſi tamen plus exigeretur ab invito, Lugo *D. 41. ſect. 2.* ad reſtitutionem meritò obligat, ſi taxatio ſit juſta; an autem ſit juſta, pendet, inquit, ex multis circumſtantiis conſiderandis, & plerumque, quandò leges taxantes ſunt valde antiquæ, non cenſentur jam juſtæ, quia pretia rerum omnium aucta ſunt; in aliquibus enim Regionibus, ut notat etiam Tolet. *l. c.* exiſtunt ejusmodi taxationes ſecundùm pretia viliſſima, quia ſunt antiquiſſimæ, quando tunc res minimo pretio emebantur, & tunc ipſa Officia multò minùs valebant; modò autem multum valent: Unde ſanctiſſimè, inquit idem Tolet. facerent Principes, ſi pretium conveniens, habita temporum, & Regionum ratione, imponerent, aut tale juramentum, quò multi illaqueantur, auferrent penitùs. Unde & in Concilio Trid. *ſeſſ. 21. c. 1.* præcipitur, ne pro negotio Ordinis Notarius quidquam accipiat: imò nec pro dimiſſoriis, aut teſtimonialibus litteris, ſi habeat ſalarium ab Epiſcopo, quod ſi non habeat, poteſt pro his accipere, ſed ſolum decimam partem aurei.

Plures tamen ſunt caſus, quos affert Lug. *l. c.* in quibus poteſt Notarius aliquid ultra pretium commune accipere; cujusmodi ſunt, quando datur aliquid omninò gratis, & Notario conſtanter affirmante id ſibi nullo modo deberi, datur tamen. 2. Quando ille, qui dat, aliàs bene ſcit, quantum debeatur, & tamen, quia liberalis eſt, dat plus quàm debetur. 3. Ob laborem, & induſtriam extraordinariam; quia hæc eſt pretio æſtimabilis, nec tunc aliquid ultra taxam accipi dicitur, cùm pretium extraordinarii laboris à lege taxatum non fuerit.

CASUS XXVII.

De Medico, ejusque obligatione.

GAlenus Medicus quàm negligens est in visitandis ægris pauperibus non valentibus solvere, tam diligens est in invisendis, & curandis divitibus, & opulentis: Hinc vocatus ad Sabinam viduam prædivitem illicò comparet, ægramque invisit, sed morbum adeò auctum, & periculosum deprehendit, ut intra breve tempus sabinam extinguendam meritò judicet, cui tamen, ne pavore percellat nihil de morte cogitantem, & morbum augeat, periculum non manifestat, sed potiùs spem facit salutis. Nihilominus medicinas præscribit, & medicamenta adhibet varia, & etiam dubia, licèt sciat parùm, vel nihil profutura.

QUÆR. I. An Medicus, quando de ægri salute desperatum est, nec suppetit remedium certius, applicare possit medicinam incertam, & dubiam, an salutaris, anue noxia futura sit?

QUÆR. II. An, & quomodo peccet Medicus, si ægrum periculosè decumbentem non moneat de instante mortis periculo?

QUÆR. III. An peccet Medicus recusans ægros pauperes invisere, & curare, non valentes solvere salarium?

160 AD 1. Q. censent non pauci cum Abb. *in C. tua nos de homicid. n. 4.* Sylvest. *V. Medicus, q. 4.* Salas *tr. 8. D. un. Sect. 14.* Angel. *V. Medicus n. 2.* Azor. *l. 1. inst. moral. cap. 17. q. 11.* Vasq. *D. 64. c. 4. n. 22.* aliisque cum & apud Palaum *tr. 1. D. 2. p. 9.* Medicum non posse licitè in tali casu id remedium dubium ægro desperato applicare. Moventur, quia si tale dubium remedium non applicetur, mors infirmi subsecuta non imputabitur culpæ Medici, sed violentiæ morbi tribuetur; si verò applicetur, vita ægri periculo exponitur, qui fortè, eo non applicato restitueretur sanitati, vel saltem diutiùs viveret; atque adeò Medicus applicans talem medicinam incertam,

certam, & dubiam, quantum est de se, applicat causam efficientem mortis, quod utique illicitum est.

161 Contrarium tamen probabiliùs docent Valent. *2. 2. d. 2. q. 10. p. 2.* Sanch. *l. 1. c. 9. n. 39.* Arriag. *D. 24. n. 25.* Laym. *tr. 1. c. 5. §. 3. n. 15.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 9. n. 23.* Clavis Reg. *n. 9.* Reginald. *n. 99.* Adrian. *de sacram. Confess. 9. de correct. fratern.* aliique arbitrantes posse Medicum in tali casu tale medium dubium, & incertum licitè adhibere, & applicare tali infirmo: imò Sanch. & Bonac. l. c. non solùm id Medico licere affirmant, sed etiam eum obligari ad tale medium applicandum. Rationem dant; quia, cùm vita infirmi sit desperata, Medicus in eo casu prudentiùs agit, & negotium infirmi utiliùs gerit, tale medium applicando, quàm non applicando: nam applicando fieri potest, ut infirmus virtute talis medicinæ à morte liberetur; non applicando verò relinquit infirmum in statu desperatæ salutis: Quod si mors sequatur, ea non est tali remedio imputanda, cùm id sequatur præter applicantis voluntatem, & aliàs eo remedio non applicato, æger moriturus erat:

Unde tutius est applicare tale remedium, quod licèt non careat periculo accelerandæ mortis, est tamen conjunctum cum probabili aliqua spe conferendæ salutis, sicque minus inde periculum nocumenti habetur, & majus fundamentum emolumenti.

Cæterùm cùm hîc agatur de vita, & periculo corporis, debet Medicus securiorem viam ingredi, adeóque sententias sequi certas, & securas, rejectis incertis, & dubiis; quòd si certa curatio non occurrat, tenetur sectari ea, quæ probabiliora judicat, posthabitis opinionibus minùs probabilibus, quia & Medici officium, & lex charitatis postulat, ut ea adhibeantur remedia, quæ ad propositum sanitatis finem magis idonea sunt, & profutura: quin imo et justitia, quia Medicus ratione pacti saltem impliciti, quod in susceptione sui officii subit, & Reipub. adstringitur, procurare debet sanitatem alterius meliori modo, quo potest, præsertim cùm sanitas res sit maximi momenti, & vita semel perdita reparari nequeat.

Ad 2. Q. Medicum per se lo-162
quendo graviter delinquere, si ægrum periculosè decumbentem per se, vel per alios de instante mortis periculo, quod prævidet, non moneat, non immerito censent S. Anton. *3. p. tit. 7. c. 2.* Sanch. *l. 3. c. 16.* Navar. *c. 25.* Graff. *l. 3. c. 14.* Angel. *n. 12.* Tabien. *V. medicina, q. 14.* Beja, aliique. Ratio est, quia non monendo non solum

lùm agit contra præceptum charitatis in re gravi, & in magnum proximi detrimentum ſpirituale, imò & temporale, ſi æger non diſponat de rebus ſuis, & inde probabiliter oriantur lites & diſcordiæ inter hæredes, vel alios: Verùm etiam contravenit præcepto Eccleſiaſtico, eam monitionem præcipienti, ac poſtulanti, *C. cùm infirmitas 13. de pœnit. & remiſſ.* ubi Innoc. III. diſtrictè præcipit Medicis, ut ad medendum infirmo vocati, ante omnia moneant, & inducant illum, ut confiteatur, & de rebus ſuis tempeſtivè diſponat, & transgreſſoribus, ſeu ſecus facientibus gravem pœnam imponit, nempe ut ab Eccleſiæ ingreſſu arceantur. Quod Decretum innovavit Pius V. in quodam motu proprio, edito ann. 1566. illúdque aliis quoque ſubjunctis pœnis firmavit. Hoc tamen limitant D. Ant. Sanch. Navar. Sylveſt. aliique citati, & Medicum à gravi culpa excuſant, ſi alius certiorem fecit ægrum de hoc periculo, vel ſi ipſe moraliter certus ſit, fore, ut ea monitio parum, vel nihil proſit: eo quòd moraliter credat, ægrum in bono eſſe ſtatu, ac benè diſpoſitum ad mortem, & jam de rebus ſuis diſpoſuiſſe; quamvis meliùs utique ſit, etiam tunc admonere, quia omnes frequentiſſimè meliùs ad mortem præparantur, conſcii mortis periculi.

Ad 3. Q. affirmativè reſpon- 163
dent D. Anton. *3. p. tit. 7. c. 1. §. 1.* Eman. Sà *V. Medicus.* Graff. *l. c.* Gratian. *d. 83. §. ad providendum,* Navar. Beja, & alii obligantes Medicum ex præcepto charitatis ad ſuccurrendum ægris pauperibus non valentibus ſolvere ſalarium. Rationem reddit Gloſſ. *in C. ſi quis 1. diſt. 83. v. inferas*, ubi Medicus, inquit, gratis tenetur curare pauperem infirmum, quia plus debet valere apud eum vita illius, quàm propria pecunia: Unde S. Ambroſ. in *can. Medicina 76. de pœnit. d. 1.* vilis, inquit, pecunia, ſed pretioſa eſt miſericordia; S. Anton. verò l. c. ait: pauperibus non valentibus ſolvere, gratis Medicus mederi debet, & non ſe ab eorum cura ſubtrahere, quia hoc eſſet indirectè occidere; mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cùm poteſt, non excludit. Rurſus poſt alia, infirmis, inquit, non valentibus ſolvere tenetur gratis mederi, quin imò & medicinas pro eis ſolvere, ſi valeat, & ipſi infirmi non poſſint; non autem tenetur omnibus infirmis pauperibus ſimpliciter, & indiſtinctè providere, ſed pro loco, & tempore ſibi occurentibus, prout dicitur de aliis operibus miſericordiæ. Unde id rectè Navar. *l. c.* reſtringit ad caſum, quo Medicus credit infirmum moriturum, niſi ei medeatur, nec alius eſt, qui id præſtet, nec qui ſolvat ſalarium.

CASUS

CASUS XXVIII.

De solvendis Legatis.

CRispinus in testamento à se condito legavit Ecclesiæ S. Martini 20. modios tritici solvendos quot annis ex agro Ecclesiæ vicino à se designato, ex quo postea deteriore effecto non tot fructus percipiuntur, qui legatum adæquent. Præterea 200. fl. annuos reliquit fœminis in matrimonium collocandis, Titiæ verò famulæ domesticæ 30. fl. si commorata fuerit cum uxore sua Rosalia, quæ tamen post biennium ad secunda vota transivit, & insuper centum fl. pauperibus distribuendos, quos tamen hæres uni soli pauperi magis indigenti applicavit.

QUÆR. I. An in casu posito Ecclesiæ solvendi sint omnes 20. modii tritici ex illo agro deteriore reddito?

QUÆR. II. An Legatum relictum pro fœminis in matrimonium collocandis concedi possit Viduis ad secundas nuptias transeuntibus?

QUÆR. III. An Legatum relictum pro Virginibus maritandis acceptari, & retineri possit ab ea, quæ Virgo non est, sed occultè corrupta?

QUÆR. IV. An Legatum relictum Titiæ famulæ, si cum uxore Rosalia habitaverit, amittatur, Rosalia uxore ad secunda vota transeunte?

QUÆR. V. An legatum pro pauperibus relictum, applicandum sit magis indigentibus?

164 AD 1. Q. Attendendum, videndúmque est, an legatum positum sit taxativè, & limitativè; an verò demonstrativè? Si taxativè ponatur, non esse majorem pensionem solvendam, quàm ea sit, quæ ex re designata percipitur, docet communis DD. apud Bonac. *de contract. D. 3. q. 17. pun. 8. §. 3.* Secùs si apponatur demon-

demonstrativè. Ad cognoscendum autem, & colligendum, an in ejusmodi dubiis dispositionibus res à Testatore appositа sit taxativè, an verò demonstrativè, has regulas tradunt DD. Prima, quam ex Felino, Paulo de Castro, & aliis tradit Marchin. de *ord. t. 3. p. 2. c. 22.* est, quòd id, quod primò profertur, principaliter à Testatore intendi dicendum sit; quod verò secundo loco minùs principaliter. Quare si v. g. primo loco dicatur, esse tot Missas celebrandas, dein verò apponatur assignatio pecuniæ, demonstrativè erit talis pecuniæ assignatio, & principaliter tot Missæ intendentur; quo in casu non ad solam pecuniam assignatam, sed etiam ad supplementum obligatos esse hæredes affirmant. Si verò primo loco assignetur tanta pecunia, & deinde subdatur, quot Missæ sint celebrandæ, talis pecuniæ assignatio taxativè se habet, & tot Missæ minùs principaliter intendentur, & ad solam assignatam pecuniam, non verò ad supplendum teneri hæredes ajunt.

Secunda regula est, quam tradunt March. l. c. Bonac. l. c. Sanch. Gavant. aliique, videlicet tunc legatum censeri appositum demonstrativè, quando celebratur seu exprimitur duplici oratione, ut si dicatur, lego centum fl. Titio, quos volo ex redditibus talis fundi persolvi (unâ scilicet, lego centum Titio, alterâ, quos volo solvi &c.) in quo casu cùm fundus apponatur demonstratvè, centum fl. solvendi sunt, etiamsi totidem ex tali fundo non percipiantur, *l. quidem testamento, in principio, ff. de legat. 1.* si verò legatum concipiatur unica duntaxat perfecta oratione, ut si dicatur, volo dari centum Titio ex fructibus talis fundi, legatum tunc taxativè factum est, & in hoc casu si centum non percipiantur ex eo fundo, hæres non tenetur aliunde compensare, & supplere. *L. nomen debitoris. §. uni ex hæredibus, ff. de legat. 3.*

Vel breviùs, clariùsque, illa sunt verba taxativa, quæ stant per se, id est, sola absque dependentia aliorum verborum reddunt sensum perfectum ab alio quopiam distinctum; demonstrativè verò sunt illa, quæ dependent ab aliis, id est, non habent sensum perfectum sine illis, ut colligitur ex allatis suprà exemplis. Hæ regulæ, & modi indagandi mentem Testatoris à jurisperitis benè excogitati, rem expeditam non reddunt, nec ex integro satisfaciunt Tamburino *l. 3. c. 1. §. 3. n.* 80. quia in utraque regula, seu modo res à Notario, vel scriba dependebit, qui vel unica oratione, vel multiplici, vel priore, vel posteriore loco, legatum, suo arbitratu, sine ullo delectu scribere solent, aut possunt; Nec videtur rationabile & suffici-

sufficiens discrimen inter hæc, sed idem sonare: *Volo quinque Missas pro pinque Juliis dandis, & pro quinque Juliis dandis volo quinque Missas. Et aureos trigenta ex fructibus talis fundi jubeo persolvi, & aureos trigenta, quos jubeo ex tali fundo persolvi:* Cur igitur, inquit, in una dispositione hæredem obligabo, non item in altera? Unde alii cum Prixiano apud March. l. c. n. 1. & 2. alia etiam media suppeditant colligendæ in dubio mentis Testatoris, & juxta Tamb. l. c. sequentia juvare poterunt. 1. Quòd non sit imponendum onus grave, nisi certò de illo constet, prout tunc non certò constat, quando verba Testatoris dubia sunt. 2. Quia in dubio melior est conditio possidentis, at nunc hæres jam possidet. 3. Quòd non ignobiles DD. cum Molin. Sanch. Menoch. Mantica, Bonac. doceant, semper præsumi Testatorem voluisse gravare hæredem quàm minimùm possibile est, *L. unum ex fam. §. si rem ff. de legat. 2.* & in dubio semper fieri interpretationem pro hærede contra legatarium, *L. apud Jul. §. scio ff. de legat. 1.*

Ex quibus, & traditis regulis colligi potest responsio ad 1. Q. cùm illud legatum videatur taxativè positum, scilicet lego Ecclesiæ 20. modios tritici ex illo agro solvendos; adeóque non esse in dubio imponendum certum onus grave hæredi ad supplendum, sed potiùs in dubio faciendam esse interpretationem pro hærede contra legatarium.

Ad 2. Q. Legatum relictum pro 165
fœminis maritandis posse conferri etiam viduis secundò nupturis, censent Ripa *rubr. C. de sec. nupt. n. 4. & 5.* Decius *rubr. C. de secund. nupt. n. 3.* Sylv. verb. *Legatum 1. q. 5. n. 9.* cum Gloss. C. *Apariant. verb. Trigamos, 31. q. 2.* Ubi ait per nuptias non solas primas, sed ulteriores designari. Verùm contrarium longè verius est, & omninò tenendum cum, & apud Sanch. *l. 7. D. 91. n. 55.* Palao *de sponsa. D. 4. p. 13. §. 7. n. 32.* Bonac. *de Contract. D. 3. q. 17. pun. 8. §. 4. n. 8.* Bald. *in proœm. decr. n. 25.* Præp. *rubr. de sponsa. n. 14.* Jas. *l. duobus, §. si ei qui* &c. n. 2. Resell. Mantica Tiraq. Gutierr. & aliis, contendentibus solis fœminis primò nubentibus legatum conferendum esse; quia ea Testatoris verba de solis primis nuptiis intelligi debent. Argum. *leg. Boves, §. hoc sermone, ff. de verb. signific.* ibi: hoc sermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur.

Hoc tamen limitant, ac temperant citt. DD. Primò, ne procedat in vidua, quæ priùs matrimonium non consummavit, quia comparatione talis matrimonii secundæ nuptiæ primæ censeri debent, nec nuptiæ non consummatæ, nuptiæ integræ, & perfectæ appellantur, perindeque re

ipsa est, ac si nunquam nupsisset, atque adeò legatum tunc capere potest. Secundò limitant, ne procedat in vidua, cujus prius matrimonium irritum, & nullum fuit, quia non debet impedimentum præstare, quod de jure non sortitur effectum, nec talis vidua secundò nubit, cùm primæ nuptiæ, utpote irritæ, nuptiæ re ipsa non sint. Tertiò temperant pro casu, quo nullæ essent fœminæ ætate nubiles, quibus posset id legatum impertiri; tunc enim ex verisimili Testatoris mente, ne opus pium differatur, viduis conferri potest; nisi, ut notat Palao l. c. legatum certæ determinatæ personæ factum sit, quæ tamen 12. ætatis annum nondum nacta sit, tunc enim alteri applicari nequit; quia Testator eam personam determinatè designans dilationi legati tradendi consentit, eò quòd legatum, quousque fœmina nuptiis apta sit, concedi non debeat, cùm non urgeat causa, ob quam factum est. Neque fœminis jam maritatis etiam pauperibus legatum pro fœminis maritandis relictum concedi potest, ut notant Palao. l. c. n. 33. Sanch. & alii citt. quia deficit finis Testatoris, eò, quòd Testator eo legato intenderit, ne fœminæ defectu dotis innuptæ maneant, neve earum pudicitia periclitetur, quæ ratio in fœminis jam maritatis cessat.

Ad 3. Q. An legatum relictum 166
pro virginibus maritandis possit tutò acceptari, ac retineri ab ea, quæ occultè corrupta est, sed publicè habetur pro virgine, affirmativè respondent Diana *in comp. V. legatum. n. 21.* Delben *d. 21. S. 8.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 3.* La Croix *l. 3. p. 2. n. 604.* & *l. 4. n. 4.* & alii. Rationem dant, quia acceptando, & retinendo, aut petendo legatum, seu dotem nullam injuriam infert; cùm enim publicè virgo habeatur in externa politia omnibus virginum privilegiis gaudet, ut juxta morem patrium etiam sertum v. g. capite gestare possit, atque adeò etiam dotem quasi virgo petere, & acceptare. Neque alia Testatoris mens fuit, quàm ut dos daretur puellæ, quæ publicè censeretur virgo, & casta, interim non inquirendo in occulta crimina, cùm id neque conveniens, neque Reipublicæ expediens sit. Unde illud discriminis observat, & dat Laym. l. c. inter simulatum pauperem, & simulatam virginem, quòd pauperis simulatio injusta, ac pernicioſa sit; hæc autem jus habeat simulandi, seu potiùs dissimulandi suum delictum, quamdiu bonam famam publicè retinet, & pro virgine habetur; ex quo infert, non licere tibi, qui illam corruptam esse nosti, occultam ejus fornicationem prodere, nisi fortè, ut notat Sa *ver. injuria, n. 3.* jus habeas accusandi de crimine

crimine occulto, quod probari potest.

Ex eodem fundamento affirmat Suarez cum aliis *t. 4. tr. 9. l. 1. c. 11.* non peccare occultè corruptam petendo admitti in S. aliquem Ordinem inter virgines, (nisi fortè per specialem constitutionem talis Ordinis excluderetur non virgo etiam occulta.) Rationem dat; quia viduæ, vel non virgines nullo jure prohibentur admitti, potestque talis occultè corrupta se gerere pro tali, qualis publicè, & in communi æstimatione habetur: imò juxta eundem D. n. 9. Less. V. *consecratio cas. 3.* & alios, posse etiam, siquidem res sit & maneat occulta, acceptare velum professionis, & consecrationis, uti virgines solent. Idque etiam sine interventu mendacii, etsi in formula consecretionis dicatur virgo; quia unusquisque censetur loqui in eo foro, in quo operatur: ergo cùm sit virgo in foro externo, & publicè pro virgine habeatur, poterit publicè, & in actu fori externi nominari talis, qualis in communi hominum opinione, & foro externo habetur.

An autem ejusmodi occultè corrupta inhabilis sit ad officium Abbatissæ, vel Priorissæ? affirmant aliqui; sed contrarium probabiliùs tenent Suarez *t. 4. tr. 8. l. 2. c. 6. n. 16.* Castropal. *t. 16. d. 2. p. 8. n. 13.* Sanch. *in Dec. l. 5. c. 5. n. 22.* & alii.

Ad 4. Q. An legatum Titiæ famulæ relictum à Testatore, si cum uxore Rosalia habitaverit, eidem debeatur, Rosalia vidua ad secundas nuptias transeunte? R. affirmativè cum Sanch. *l. 7. D. 91. n. 52.* Palao. *D. 4. p. 13. §. 7. n. 29.* aliisque ab his citt. etiamsi famula cum Rosalia non commoretur. Ratio est; quia Testator intendit eo legato obligare legatarium, ut quantum in se est, cum uxore habitet: at transeunte ipsa ad secundas nuptias cessat esse Testatoris uxor, & reputatur uxor respectu Testatoris, & legatarii, ac si mortua esset, *l. ult. C. de bon. mat.* ergò quamvis legatarius non commoretur cum illa, non est illi culpæ tribuendum, cùm non stet per legatarium non famulari uxori Testatoris, censeaturque conditio jam impleta; Atque adeò non est, cur legatum amitti debeat, sicut pluribus probat Simon de Pretis *de interpret. ult. volunt. l. 1. interp. 1. circa legata dub. 10.* 167

Ad 5. Q. An legatum pro pauperibus relictum magis indigentibus applicari debeat? R. negativè cum Thom. Sanch. & aliis *l. 4. consil. moral. cap. 1. n. 60.* Ratio est; tum quia nequit ostendi, ex quo capite executor legati 168

obligetur ad eam distributionem faciendam, si id testator non expressit; tum quia magis pauperes non habent majus jus præ aliis pauperibus, ut sibi potiùs, quàm aliis legatum applicetur; tum quia cùm difficile admodum sit indagare, & rescire, quinam pauperes magis, quinam minùs indigeant, non est censendus testator eam obligationem voluisse imponere executori legati, aliàs id expressisset.

Porrò legata facta in subsidium pauperum ordinariè distribuenda sunt pauperibus illius loci, in quo testator domicilium habebat, & habitabat, ut cum compluribus notant Lugo *D.* 24. *S.* 11. & Sanch. l. c. n. 1. & colligitur ex *leg. si quis ad declinandum, Cod. de Episc. & Cleric.* quia ea censetur esse mens testatoris, nisi aliud aliunde constet.

CA-

CASUS XXIX.

De legatis pauperibus distribuendis.

Tiburtius in ultima sua voluntate inter alia reliquit bina legata, unum 200. fl. ut hi inter pauperes, distribuantur; alterum, ut duo pauperes scholastici consanguinei alantur in studiis,

QUÆR. I. An legatum relictum, ut pauperibus distribuatur, possit totum dari uni pauperi, vel duobus tantùm?

QUÆR. II. De quibus consanguineis intelligendum sit legatum, relictum pro consanguineis testatoris?

QUÆR. III. Quinam consanguinei sint aliis præferendi in legato relicto pro consanguineis pauperibus?

169 AD 1. Q. posse legatum relictum inter pauperes distribuendum uni soli concedi, affirmat Sermiento apud Sanch. *l. 4. consil. c. 1. dub. 60.* sed id meritò negat communis aliorum sententia cum citt. Sanch. & Lug. *D. 24. S. 11.* & ratio est; quia cùm id dependeat ex voluntate testatoris, censetur hic, ac præsumitur intendisse distributionem inter plures pauperes faciendam, tum ut plures pro se orarent, pluresque sibi obstrictos, gratósque haberet; tum ut plurium necessitatibus subveniret; atque adeò cùm testator plures pauperes expresserit, & nominaverit, legatum pluribus, & non uni duntaxat erit distribuendum.

An autem intentioni testatoris fiat satis, si tale legatum detur solùm duobus? affirmat Diana *tr. 11. miscell. R. 59.* ubi nullum Auctorem pro hac sua opinione se inveniisse ait, licèt diligenter exquisiverit, (nec ego ullum invenio) probat tamen suam assertionem ex Regula juris apposita in 6. quòd scilicet pluralis locutio duorum numero contenta sit, idque confirmat adductis non nullis exemplis.

Verùm, cùm id totum rursus 170
pendeat ex voluntate testatoris

(quidquid sit de præsumptione, aut dispositione juris in aliis materiis) oppositum probabiliùs nobis videtur, ideóque dicendum, ac præsumendum, testatoris voluntatem, ac intentionem non fuisse, ut ejusmodi legatum inter unum, alterumve distribuatur, sed inter plures, & multos, præsertim si notabilis sit pecuniæ legatæ summa inter pauperes distribuenda; tum quia testator censendus est, ac præsumendus per eam dispositionē voluisse pluribus prodesse, & plura à pluribus pro animæ suæ solatio, & commodo suffragia procurare; tum quia id conformius est distribuentium praxi, & communi sensui, quòd legatum notabile pauperibus distribuendum, pluribus, ac multis applicari debeat, id, quod videntur supponere DD. cùm nomine pauperum intelligantur omnes, qui juxta suum statum indigent.

An autem eo in casu præferendi sint pauperiores ab eo, cui distributio facienda committitur? multi affirmant apud Dianam *tom. 1. p. 2. tr. 1. R. 39.* Longè plures, idque probabiliùs, eam obligationem negant, si legatum verè pauperibus detur, & testator aliud non expresserit, ut alibi dictum est.

171 Ad 2. Q. videndum est, an legatum relictum pro consanguineis sit perpetuum, an verò solùm temporale? si hoc secundum, tunc ii intelliguntur consanguinei, qui sunt intra decimum gradum, ut notant Sanch. *c. 5. dub. 24. n. 13.* Lugo l. c. & alii, sicut vocantur quoad successionem ab intestato, scilicet usque ad decimum gradum inclusivè, computatis gradibus eo modo, quo jure civili computantur, exceptis Majoratibus, & iis, quæ ad perpetuam conservationem familiæ instituuntur, ubi vocantur consanguinei sine termino in descendentibus, & ascendentibus.

Si verò primum contingat, seu si legatum sit perpetuum, tunc rursùs videndum est, an sit perpetuum perpetuitate solius legati, ut si v. g. legatum sit pro duobus pauperibus studiosis alendis, ita ut semper præferantur consanguinei, & tunc extenditur legatum usque ad gradum decimum, ut notant citt. DD. nec, si deficiant consanguinei, legatum fit caducum, sed ex mente testatoris dandum est aliis. An verò sit perpetuum, etiam quoad consanguineos, ut si legatum perpetuum fiat pro duobus studiosis consanguineis alendis, & tunc vocantur consanguinei sine termino, eò, quòd testator tunc intendisse videatur perpetuitatem legati inter consanguineos.

Ad 3. Q. An in legato relicto 172 pro consanguineis pauperibus præferendi

ferendi sint magis propinqui, & pauperiores? R. sub distinctione; & quidem si testator legatum commisit electioni alterius, potest talis executor quosvis pauperes consanguineos eligere, omissis magis propinquis, & pauperioribus, ut cum aliis docet Lugo *l. c. n. 290.* quia hoc ipso, quòd libera facultas eligendi à testatore alteri commissa sit, nec aliud testator expresserit, potest executor non eligere magis propinquum, & pauperiorem, dummodo re vera pauperem, & propinquum eligat.

Si verò ab ipso testatore legatum immediatè factum est pto consanguineis pauperibus, absque alterius commissione, tunc præferendi sunt pauperiores juxta communem DD. apud eundem Lug. quia cùm tunc ipsa electio alteri commissa non sit, sed ipse testator immediatè leget pauperibus consanguineis, præsumitur, ac censetur voluisse primo loco legare pauperioribus, magis indigentibus, & etiam magis propinquis, quia & hi eo ordine videntur vocari à testatore, quo ordine vocantur à jure civili, ut notat citt. Sanch. à jure autem civili vocantur magis propinqui: ergò. Quòd si unus sit magis propinquus, & alter sit pauperior, ait idem Auctor, præferendum esse magis propinquum, quia, ubi aliud non constat de voluntate testatoris, causa naturalis præferenda est accidentali.



CA-

CASUS XXX.

De Legatis sub conditione relictis.

TItius in testamento à se condito legavit Bertæ uxori suæ tria millia fl. si honestè, & castè vixerit; quæ tamen post mortem mariti non tantùm amplexus, & tactus impudicos, admisit, sed etiam semel copulam cum Cajo habuit, cum quo paulò post etiam matrimonium contraxit.

QUÆR. I. An Legatum uxori relictum, si honestè, & castè vixerit, possit in conscientia ab ipsa exigi, & retineri, si occultè fornicata sit; & an ut illud amittatur, sufficiat unica fornicatio, an verò frequentia actuum requiratur?

QUÆR. II. An Legatum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur à fœmina amplexus virorum, & tactus impudicos admittente?

QUÆR. III. An Legatum conjugi relictum sub conditione castè, & honestè vivendi, amittatur per transitum ad secundas nuptias?

173 AD 1. Q. non posse in conscientia dictum Legatum ab uxore exigi, ac retineri, si castitatem violavit, docent Vega in *Summ. tom. 2. c. 32. casu 9.* referens Covar. Navar. Rodriq. aliosque, & Sanch. *de matum. l. c. D. 91. n. 3. & 4.* qui plurimis à se citatis sententiam hanc communem pronuntiat, cui favet Auth. *cui relictum C. d. indicta viduit.* ubi habito sermone de persona, cui relictum est sub conditione non transeundi ad secundas nuptias, & tamen transiit, ita statuitur: *Contractis nuptiis res data vendicari potest, quod sic admittitur, ac si ei relictum, vel ordinatum non esset.*

Et ratio est, quia, quamvis regulariter pœna ante Judicis sententiam non obliget, id tamen fallit in pœna à testatore adjecta; quippe quæ statim debetur, & incurritur in foro conscientiæ nulla expectata Judicis sententia, aut executione, eò quòd nec verè, nec propriè rationem pœnæ iubeat, sed conditio sit, sub qua testator non aliter legare voluit: imò inter hæredem testamentarium, vel legatarium, ac ipsum testa-

testatorem initur quidam contractus, do, ut des, vel do, ut facias: qui, legatario relicta acceptante firmus redditur, & obligat ad implendam adjectam conditionem, & voluntatem testatoris: Quare sicut in aliis à testatore dispositis, & relictis non desideratur Judicis sententia, ut executioni mandentur, ita neque ad hanc pœnam sustinendam, seu conditionem adimplendam.

Nec refert, inquit citt. Sanch. quod castitatis violatio sit occulta; quia, cùm non sit pœna hæc ad forum externum pertinens, non petit delictum probari posse. Præterea deficit relictum ex voluntate testatoris, nolentis legare violanti conditionem, quæ tamen revera violatur, etsi delictum sit occultum. Hæc modò relata verissima quidem sunt, posito, quòd testator id intellexerit de turpitudine etiam occulta; quia illa non est pœna delicti, sed conditio requisita pro legato obtinendo. Verùm an testator sub ea conditione etiam occultam turpitudinem subintellexerit, atque excludere voluerit, non satis liquet, sed dubium est, & controversum.

Et quidem sub prædictis verbis, si castè vixerit, noluisse testatorem excludere turpitudinem occultam, & omninò secretam, sed eam duntaxat, ex qua honor, & fama læditur, intelligendam esse, censent *R. P. Leonardelli Soc. Jesu.* satis probabiliter Palao *de sponsa. D. 4. punc. 13. §. 7.* Lugo de *J. & J. tom. 2. d. 22. S. 15.* Bauny *in Theol. mor. tom. 3. l. 2. tr. 9. q. 34.* Menchac. *de succeff. progressu, in præf. l. 1. n. 98.* Trullench. *in Decal. tom. 2. c. 18. dub. 12.* Vidal. *in Theol. mor. tit. de Legatis inquis. 2. n. 15.* aliique. Rationem dant; quia dum fornicatio occulta est, etsi apud Deum inhonesta sit, apud homines tamen castè, & honestè vivere censetur, & testator præsumi debet de honestate visibili, & hominibus apparente locutus esse; aliàs fœmina secretò se polluens incapax esset Legati, quod pro fœminis honestis relictum est. Accedit, quòd rejectio talis Legati sit admissi à se adulterii, aut fornicationis tacita confessio, quam ab illa, quamdiu est ejus crimen occultum, & ignotum, nec ratio, nec quæ cuique innata adversùm se charitas fieri sinit, ut notat, & probat citt. Bauny. Quod.

Confirmatur à Cardin. Lug. l. c. ex casu simili à Molina allato hisce verbis: Molina putat, si macula conjugis acceptæ occulta sit, non debere possessorem se majoratu privare; quia dum vitium illud est ita occultum, perinde se habet in ordine ad Fundatoris intentionem, ac si non esset; cùm in rebus honoris, & famæ, quamdiu macula ignoratur, nihil noceat familiæ; quare non præsumitur testator voluisse, quòd possessor eo casu se

prodat, & majoratum relinquat, quem relinquere non posset, nisi vitium illud prodendo &c.

Quæ sanè responsio verissima mihi videtur, & ex ea probabiliter satis sequi videtur etiam in illo alio casu occultæ fornicationis posse proportionaliter locum habere eandem doctrinam; nam licèt non sit in ea omninò eadem ratio (maritus enim non solùm intendit honorem, & bonam famam suam, & suæ Uxoris, sed etiam ejus castitatem vidualem) sed tamen magna ex parte intendisse etiam videtur proprium honorem, cui etiam post mortem non parùm noceret uxoris impudicitia, & turpitudo: nec præsumitur voluisse, Uxorem cum tanto detrimento obligare ad cedendum usumfructum hæredi prodendo suum delictum, maximè cùm hoc ipsum in ipsius mariti defuncti dedecus redundaret: quarè, cùm eædem ferè rationes pro eo casu militent, ac in illo alio, de quo locutus fuit Molina, idem etiam in eo casu dicendum videtur. Hæc ille.

Ex his duobus sententiis negativa communis est, & utique securior, ac probabilior; affirmativa tamen adhuc satis probabilis est, teste etiam Diana adversario: Unde si quis eam sequi vellet, non esset lethalis culpæ arguendus, nec in foro interno ad Legati restitutionem compellendus. An autem, stando in sententia prima, Legatum, relictum sub conditione castè, & honestè vivendi, amittatur per unicam tantùm fornicationem, rursus dubium, & controversum est inter DD. ubi

Duplicem sententiam refert 174
Sanch. citt. *D. 91.* negativam unam, requirentem actuum frequentiam, ut Legatum idcircò amittatur, quam sententiam pluribus rationibus ipse confirmat, licèt eam ipse absolutè non approbet.

Ratio autem potissima hæc est; quia ex unico actu non denominatur quis inhonestus, sicut non denominatur quis honestus, prodigus, liberalis, sed ad prædictam denominationem actuum frequentia desideratur. 2. Luxuriosè vivere opponitur castè, & honestè vivere: at non dicitur quis luxuriosè vivere ex solo unico actu fornicationis, sed necessariò requiritur habitus, & consuetudo turpiter vivendi: ergo.

Contrariam sententiam affirmantem per unicam fornicationem amitti Legatum amplectuntur, & tenent Bald. in *leg. penult. in princ. num unico, ff. de execusat. tutor.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 6. §. 8.* Navar. *cap. 23. n. 62. & cap. 25. n. 65.* Sylvest. *verb. Legatum 1. q. 5. n. 9.* & *verb. Legatum, 2. in fin.* Henriq. *l. 13. de excomm. cap. 56.* Præpos. Menoch. Mantica, Vega, Lopez, Palao,

Palao, aliique plures. Moventur 1. quia qui unicam fornicationem committit, inhonestus, & turpis est; hæc enim nomina, turpis, adulter, homicida, raptor &c. delictum significantia unico actu contenta sunt, ut constat ex *leg. Athletas §. prævaricatur, ff. de his, qui notantur infamiâ. & leg. si quis sit fugitivus ff. de edilitio edicto. & cap. fin. de raptorib.*: atqui qui turpis, & inhonestus est, castè, & honestè non vivit: ergo ob unicam fornicationem conditio castè vivendi non servatur. 2. Qui promittunt castè vivere, ut omnes Religiosi Professionem facientes, promittunt ab omni actu turpi abstinere: ergo Testator petens pro conditione sui Legati, ut castè vivas, petit, ut ab omni actu turpi te contineas. Dein castè vivere, est castitatem servare; unica autem fornicatione commissa non servatur castitas, sed violatur: ergo.

175 Sententia hæc, utpote & à ratione, & auctoritate probabilior, magis placet, quam probabiliorem & in judicando, ac solvendo tenendam esse dicit Palao *D. 4. pun. 13. §. 7.* siquidem fornicatio publica sit; nam vidua, cujus fornicatio publicè constat, censeri nequit castè, & honestè vixisse, siquidem saltem eo tempore, quo formicata est, inhonestè vixit. Debet tamen, inquit, fornicatio publica esse, ut Legatum amittatur; quia dum occulta est, etsi apud Deum inhonesta sit, apud homines tamen castè, & honestè vivere censetur, & Testator præsumi debet de honestate visibili, & hominibus apparente locutus esse, ut suprà dictum est. Unde

Ad rationem 1. in contrarium R. n. parit. nam etsi ex unico actu honestatis non denominetur quis honestus, potest tamen ex unico inhonestatis actu denominari inhonestus, & turpis, quia bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu, sic si semel homicidium commisisti, jam homicida diceris, si adulterium, adulter, &c.

Ad 2. rationem R. luxuriosè vivere opponi quidem castè, & honestè vivere contrariè, non autem contradictoriè, unde stare potest, ut quis non castè, & honestè vixerit, quin vixerit luxuriosè; quia ad vitam luxuriosam requiritur frequentia, seu ut luxuriis abundet: at ut quis dicatur non castè, & honestè vixisse, sufficit, quòd aliquando à castitate defecerit. Ex his patet responsio ad 2. Q. membrum.

Ad 2. Q. Communis sententia 176
affirmat amitti Legatum sub conditione castè, & honestè vivendi per amplexus, & tactus impudicos; quia hujusmodi actus castitati adversantur, & fœminam inhonestam, & impudicam denominant. Ita Bald. *Cons. 207. n. 1. & 2.*

Covarr. *4. decret. 2. p. c. 7. §. 6.* Mantica *de conjectur. ultim. volunt. l. 11. tit. 19.* Menoch. *de præsumpt. l. 5. præsumpt. 41.* Graff. Salcedo, aliiq; complures relati à Sanch. citt. *D. 91.* qui tamen tunc solùm censet amitti prædictum Legatum, quando fœmina toties in ejusmodi actus labitur, ut arbitrio boni viri possit illa dici impudicè, & inhonestè vivere, secùs si unum, alterumve hujusmodi actum lascivum admittat.

Contra verò Navarr. *sum. cap. 23. n. 92.* sententiam oppositam amplectitur; quia etsi prædicti actus castitati adversentur, cùm tamen non plenè, & perfectè, sed inchoativè duntaxat ei opponantur, non denominant fœminam simpliciter impudicam, & Legati incapacem, cui sententiæ favet etiam Palao *D. 14. citt.* cum Diana *tr. 13. R. 9.* si solùm conscientiæ forum spectetur; quia cùm hæc privatio odiosa sit, non est ultra proprietatem verborum extendenda: atqui verba castè, & honestè vivendi secundùm proprietatem sumpta non deficiunt plenè, & perfectè ex hujusmodi actibus libidinosis, secluſa fornicatione, & pollutione, quia in materia luxuriæ non sunt actus consumati, & perfecti: ergo ex illis tantùm Legatum amitti non potest; nam ad amittendum Legatum conditionale debet conditio integrè deficere.

Secus censet, si forum externum spectetur, tum ob suspicionem vehementem, quam de se præbet fornicationis, vel pollutionis; tum in pœnam turpitudinis commissæ; meritò namque privari à Judice debet Legatô honestè, & castè viventibus relictò, quæ sic turpiter vivit. Hæc Palao, qui distinctionem sanchezii suprà insinuatam nullatenus approbat, sed eam tanquam parùm consequentem impugnat; si enim, inquit, unicus actus hujusmodi turpitudinis non sufficit ad excludendam conditionem castæ, & honestæ vitæ, cùm tamen unica pollutio, vel fornicatio sufficiat, neque etiamsi pluries multiplicetur, sufficiens erit, quippe qui ob multiplicationem non redditur diversus, aut distinctus: ergo si ratione sui non reddit committentem simpliciter inhonestum, & impudicum, quia integrè, & perfectè non est castitati oppositus, sicut pollutio, vel fornicatio; neque etiam multiplicatus reddit committentem simpliciter inhonestum, & impudicum, cùm nunquam integrè & perfectè castitati opponatur, sed tantùm inchoativè. Nihilominus

Præplacet hîc media via, quam 177
ingreditur citt. Sanch. videlicet, per unum, alterum hujusmodi actum impudicum non amitti prædictum Legatum ob rationem suprà insinuatam; amitti verò, si ejusmodi actus lascivi, & impudi-

ci

ci frequentes sint, & publici; quia in morali hominum æstimatione talis fæmina non casta audiret, sed impudica, & inhonesta diceretur, & haberetur; nec talem vitam intellexisse credendus est Testator per adjectam conditionem castè, & honestè vivendi.

178 Ad 3. Q. An Legatum relictum sub hac conditione, si castè, & honestè vixerit, amittatur per transitum ad secundas nuptias? negativè respondent Bart. in *Auth. de non eligendo secundò nubentes, §. cùm igitur.* Et leg. *ult. in fin. Cod. de indicta viduitat.* Abb. *Cap. quod à te n. 3. de Cleric. Conjug.* Ludov. Molin. *t. 1. tr. 2. D. 207.* Felin. *in cap. si cautio n. 40. de fide instrumentor.* Ludov. Lopez, & alii, arbitrantes, prædictum Legatum non amitti, nisi fortè ex testatoris voluntate, aut aliunde appareat, illis verbis nuptias excludi, seu castitatem, quæ conjugio inest. Rationem dant; quia secundæ nuptiæ castitati, & honestati non obstant, ex textu expresso *in cap: Nicæna 31. dist. & leg. mulier. §. cùm proponeretur, ff. ad Senatus Consult Trebellian.* ergo per illa verba, si castè, & honestè vixerit, nuptiæ illæ non excluduntur, utpote adhuc castæ & honestæ. Unde S. Thom. 2. 2. *q. 152. a. 3. in corp.* docet, virginitatem excludere quemcumque actum venereum, etiam licitum: castitatem autem solum illicitum.

179 Altera sententia, eáque probabilior, & magis placens respondet sub distinctione. Et siquidem Legatum sub ea conditione relictum sit à Viro uxori, vel ab ejus filiis, aut consanguineis, vel â filiis, aut nepotibus ipsius conjugis ad secundas nuptias transeuntis, censet secundis nuptiis contractis amitti Legatum. Secus verò si Legatum à quocumque alio extraneo, vel non ita conjunctis relictum fuerit. Ita communiter DD. cum Covarr. l. c. *cap. 3. §. 9.* Gomez. *leg. 14. tauri n. 9.* Mantica l. c. Sanch. l. c. Palao l. c. n. 10. Ratio prioris partis est; quia ex personis dicta pensanda sunt, *l. fin. in fi. ff. de pactis, & obligat.* cùm Viris valdè odiosæ sint secundæ nuptiæ uxoris, ut fusè probat Sanch. meritò ea verba ex mente proferentis accipienda sunt de omnimoda castitate, & non de sola illa, quæ secundis nuptiis inest, & graviter ipsi Viro infesta est, qui proin eam castitatem postulare præsumitur, quæ Virum decet. 2. Quia per ea verba videtur velle sibi fidem servari, ac jura prioris conjugii inviolata persistere: at secundò nubens non dicitur fidem servare priori conjugi, §. *cùm igitur paulò ante, vers. sin autem Auth. de non eligendo secundò nub.* ergo. 3. Quia non solùm conjugi defuncto, sed etiam ejus filiis, & consanguineis viduæque filiis magni refert, ut ea verba de perfecta castitate, quæ abstinentiam à nuptiis continet, intelligantur, si quidem hac ratio-

ne vidua amorem & memoriam sui conjugis conservat, qui secundis nuptiis aboletur; filii verò, & consanguinei, quorum interest prospicere injuriæ inferendæ defuncto, contristantur, tum quia illius memoria perit, tum quia amicitia ex affinitate contracta extinguitur, & transfertur in posterioris conjugis consanguineos. Hæ autem rationes in aliis personis non procedunt, ideoque aliæ personæ dictis verbis solam turpitudinem propriam censendæ sunt voluisse excludere ob rationes prioris sententiæ suprà insinuatas.

Si autem secundæ nuptiæ Statum viduæ dedecerent, ejusque conditionem, quia vel est ætatis satis provectæ, vel quia nubit longè inferiori, aut legantis inimico &c. censet probabiliùs Sanch. l. c. cum pluribus aliis prædictas nuptias excluſas esse per illa verba, si castè, & honestè vixerit, à quocumque ea conditio fuerit apposita; quia illæ nuptiæ, cùm viduæ famam denigrent, in communi hominum æstimatione reputantur inhonestæ, & contra mentem testatoris.

CASUS XXXI.

De Legatis piis à testatore in statu peccati mortalis existente institutis &c.

Cùm nuper Murcius testamentum conderet, nihil in eo consanguineis suis reliquit ob graves inimicitias, quæ inter ipsos intercesserant, sed cùm prolem non habeat, Hospitale bonorum suorum hæredem instituit; Berthæ verò uxori suæ legat duo millia fl quamdiu vitam vidualem servaverit. Nunc verò, cùm graviter decumbat, Ambrosio Presbytero sua peccata confitetur, aitque se Consanguineis suis ignoscere, sed nihil eis legâsse, nec quidquam legare velle, quam ob rem Ambrosius dubitat, an Murcius satis dispositus sit ad absolutionem recipiendam. Paulò pòst moritur Murcius, & Bertha uxor ingreditur Religionem.

QUÆR. I.

QUÆR. I. Quid faciendum ſit Ambroſio Confeſſario dubitanti, utrum Murcius diſpoſitus ſit ad abſolutionem recipiendam, eò quòd adduci non poſſit, ut Conſanguineis ſuis aliquid relinquat?

QUÆR. II. An diſpoſitio ad cauſas pias facta ab exiſtente in ſtatu peccati mortalis, ſit ei in ſtatu gratiæ decedenti profutura?

QUÆR. III. An Legatum relictum Berthæ uxori, quamdiu vitam vidualem ſervaverit, extinguatur, eâ Religionem ingrediente?

180 AD 1. Q. Notandum eſt, tres dari lineas Conſanguineorum, quarum prima eſt deſcendentium, ſecunda aſcendentium, & tertia collateralium, inter quos alii ſunt hæredes neceſſarii, alii non neceſſarii. Hæres ex teſtamento neceſſarius dicitur, quem teſtator in portione legitima inſtituere cogitur, niſi juſtam exhæredandi cauſam habeat, ſcilicet unam ex illis, quæ numerantur in *Authent. Ut cùm de apellat. cognoſcitur, cap. 3. & 4.* Hæres verò non neceſſarius appellatur, quem teſtator inſtituere non cogitur.

Hæredes porrò neceſſarii imprimis ſunt deſcendentes, ſcilicet filius, nepos, pronepos &c. & his deficientibus aſcendentes, videlicet pater, mater, avus, proavus &c. quos proin teſtator inſtituere tenetur, niſi urgens, & juſta adſit cauſa exhæredationis. Quòd ſi nec deſcendentes adſint, nec aſcendentes, collaterales, ſcilicet fratres, ſorores, ſororum filios &c. teſtator per ſe inſtituere non tenetur, ſed de rigore juris inſtituere poteſt, quos voluerit, *Inſtit. de inoffic. teſtam. verſ. ſoror autem, vel frater, C. eod. tit.* dumodo perſonam infamem non inſtituat; nam ſi hominem infamem inſtitueret, poſſet frater, vel ſoror ex eodem patre agere de nullitate teſtamenti, ſeu *querela inoffic. teſtam.* niſi uterini tantùm ſint, vel & ipſi infames; aut de ingratitudine erga defunctum notati, *l. fratres, C. de inoffic. teſtam.*

Nec obſtat, quòd fratres, & ſorores ex eodem patre, & legitimo thoro nati ſuccedant ab inteſtato; nam id non fit, eò quòd ſint hæredes neceſſarii, ſed quia leges ita ordinantes fundantur in voluntate præſumpta ipſius defuncti, de qua, cùm ex teſtamento non conſtet, præſumunt voluiſſe defunctũ, ut ſua bona ad extraneos non tranſeant, ſed ad ſuos proximiores devolvantur, adeóque ad fratres, & ſorores, aliósque proximiores, ſi alii non adſint magis conjuncti, & propinqui. Unde

In

In præsenti casu ab Ambrosio Confessario, antequam absolutionem impertiat, quærendum, examinandúmque erit, an consanguinei illi, quibus in testamento ob inimicitias nihil relictum est, sint aliqui ex descendentibus, scilicet filii, filiorum filii &c. vel ex ascendentibus, ut pater mater, avus &c. quos portione debita privare non potest? anne solumodo collaterales sint? & si ex prioribus aliqui sint, absolvendus non erit, nisi testamentum mutet, & legitimum hæredem instituat, utpote quem tutâ conscientiâ defraudare nequit, & privare ea parte, quæ jure hæreditario ipsi competit, & debetur. Si verò consanguinei duntaxat sint collaterales, nec extremè indigentes, non est, cur ei absolutio sit deneganda, hoc ipso, quòd Murcius testator tales consanguineos hæredes instituere non teneatur, sed uti possit jure suo, & quem maluerit, instituere, nisi fortè scandalum sit inde oriturum.

Dixi extremè indigentes; nam licèt testator juxta leges civiles Consanguineis suis, fratribus, ac sororibus non cogatur aliquid relinquere, attamen jus naturæ postulare videtur, ut illis, si indigentes sint, pars aliqua bonorum relinquatur, ut ex S. Augustino advertit Molanus *c. 20. & 22.* apud Laym. *l. 3. tr. 5. c. 5.* Imò frater in defectum ascendentium, si dives sit, sorori inopi dotem dare cogitur, saltem quæ sit instar alimentorum necessariorum, ut docent Panormit. in *c. pervenit de arbitris, n. 1.* Syl. Angel. Sà, Laym. & alii cum Gloss. *in l. 1. §. sed non nullos, V. præstitit, ff. de tutel. & ration. distrahend.* & *l. plures, §. cùm tutor &c.*

Pro resolutione Q. 2. notandum pariter est cum Dicastill. *D. 2. dub. 20.* opera nostra alia esse, & dici viva, alia mortua, & alia mortificata. Opera meritoria viva sunt opera supernaturalia, quæ ab homine fiunt in Statu gratiæ, quæque non solùm valent ad beatitudinem promerendam, verùm etiam ad pœnam peccatis præteritis debitam delendam, vel mitigandam. Opera verò mortua sunt, quæ fiunt ab homine existente in Statu peccati mortalis, qui, cùm careat vita gratiæ, & charitatis, quidquid in eo Statu operatur, nequit Deo esse gratum, & acceptum, sed mortuum dicitur. Opera autem mortificata appellantur illa bona opera, quæ quidem facta sunt in Statu gratiæ, sed per peccatum mortale subsequens, in quod homo incidit, ab assecutione præmii sunt impedita, & vim quotamodo amittunt expeditè perducendi hominem ad vitam æternam, cujus peccator incapax est. His notatis, ac suppositis. 181

Ad

182 Ad Q. 2. Dicendum est cum unanimi DD. Sensu pia legata relicta in testamento condito ab homine in Statu peccati mortalis existente, nihil testatori prodesse, sive ad beatitudinem promerendam, sive ad satisfaciendum pro pœna in purgatorio luenda, quamvis in Statu gratiæ decedat. Ratio prioris partis est, quia talia opera sunt opera mortua, manentque mortua; nam sicut caruerunt principio vitali, scilicet gratiâ, ita absque vita perseverant, nequeuntq; reviviscere, hoc ipso, quòd id, quod nunquâ vixit, nunquam queat reviviscere. Præterea cùm homo in peccato mortali existens sit inimicus, odiosus, & invisus Deo, opera ab eo in tali statu exercita nunquam possunt esse grata, & accepta Deo, & idcircò nec meritoria, nec satisfactoria. Et quamvis per pœnitentiam removeatur impedimentum, seu peccatum, quod est obstaculum omnis meriti, & satisfactionis; per hoc tamen operibus prioribus mortuis nihil vitale accedit, sed manent in eo Statu, & vigore, quem priùs habuerunt ante peccatum; cùm ergo opera illa mortua nullam priùs habuerint efficaciam, & vigorem respectu præmii, & Satisfactionis nullum quoque acquirunt per solam remotionẽ impedimenti.

Ratio posterioris partis patet ex hoc ipso, & ex eo, quòd satisfactio sit ablatio offensæ, & restitutio amicitiæ, seu reconciliatio cum Deo; hæc autem amicitiæ cum Deo reconciliatio haberi nequit sine gratia, & charitate; atque adeò cùm actus voluntatis, quo legata illa in testamento sunt relicta, jam præterierit, nec ampliùs idem numero reassumi possit, legata illa præterita in Statu peccati instituta nihil præmii, vel satisfacttionis apud Deum obtinent, nisi novus superveniat voluntatis actus gratiâ, & charitate informatus, quo de novo instituantur, & dignificentur, ut notat S. Aug. 12. *de Civit. Dei c. ult.* in illud Joann. 3. facite fructus dignos pœnitentiæ, asserens, eum, qui animæ suæ non miseretur placens Deo, nihil pro suis peccatis posse dignum illi offerre. Quare cùm principium merendi, & satisfaciendi sit gratia, quæ est vitæ initium, sequitur opera illa de se bona relicta ab existente in peccato mortali principio vitæ caruisse, & mortua ab intrinseco fuisse, & ideo nisi novo charitatis actu vivificentur, nihil prodesse ad satisfactionem, ut cum communi docet S. Thom. 3. *p. q. 86. a. 6.*

Ex modò dictis patet, quàm satagendum sit testatoribus, ut sua testamenta, & in eis relicta pia legata in Statu gratiæ condere studeant, & siquæ in statu malo instituerunt, eadem in statu gratiæ constituti per novum consensum renovent, ac ratificent, ne, quæ aliàs Sanctè instituere intenderunt,

ſuo valore fruſtrentur, & fructu careant.

Porrò magis expedit divitibus bona, quibus abundant, tempore vitæ ſuæ in pias cauſas erogare, quàm ea in teſtamento relinquere poſt mortem diſtribuenda, ut ex Salviano notat Laym. l. c. tum quia opera pia à vivente præſtita majoris ſunt apud Deum meriti, & ſatisfactionis, quàm ſi differantur in tempus mortis, quo tempore homo dat ideo, quia diutiùs retinere non poteſt, ſed ea deſerere compellitur. Tum quia hæredes, & teſtamentarii pia legata ſæpe non integrè, ac fideliter, aut non ſuo tempore exequuntur.

Ad 3. Q. An legatum uxori 183
Berthæ relictum, quamdiu vidualem vitam ſervaverit, ipſi debeatur, ſi Religionem ingrediatur? Reſpondendum eſt affirmativè cum Sanch. *l. 7. D. 91. n. 46.* Diana *D. 3. q. 17. p. 8. §. 4.* Bald. *l. Deo nobis, C. de Epiſc. & Cler.* Jaſ. aliisque apud Sanch. Id, quod colligitur ex *Auth. cui relictam, C. de indic. viduit.* & ratio ulterior eſt; quia per id ſpirituale cum Chriſto matrimonium minimè ceſſat vita vidualis, ſed adhuc verè, ac propriè dicitur illa vitam vidualem ſervare, quin & pleniùs voluntatem teſtatoris adimplere, quæ Religionem ingreditur.

CASUS XXXII.

De Legatis & ſolutionibus, cùm pretium rei creſcit, vel decreſcit.

CRiſpinus volens Barbaræ famulæ ſuæ ob multa extraordinaria obſequia ſibi præſtita legare 50. aureos id famulæ ſignificat, quæ reſpondet, ſe fore contentam, ſi 40. legentur, tacitè ſecum ipſa cogitans hoc modo velle ſe 10. aliis aureis ſibi nunc oblatis ſatisfacere obligationi furti 10. aureorum à ſe ſucceſſivè hero ſuo ablatorum. Itaque Criſpinus 40. aureos Barbaræ legat; paulò pòſt in gravem incidens morbum paucos intra dies extinquitur. Poſt mortem Teſtatoris Barbara Legatum petit ab hærede, qui eidem 40. aureos enumerat, ſed quo-

quorum valor tunc jussu Principis multùm jam fuerat immutatus & imminutus. Unde

QUÆR. I. An Barbara famula tali Legati decessione & ultronea 10. aureorum cessione, soluta sit, ac libera ab onere restituendi 10. illos aureos, quos successivè furto subduxerat hero suo?

QUÆR. II. An, quando 50. v. g. vel 100. *aurei in testamento legantur, quorum valor tempore mortis Testatoris extrinsecè immutatus est, præstandus tunc sit, & attendendus valor, quem aurei habebant tempore mortis testatoris, an verò quem habuerunt tempore conditi testamenti? Item an in moneta antiqua, an verò in nova exhibenda sit solutio, quando absque certæ speciei, & numeri designatione certa quantitas in obligationem deducta est, & postea valor monetæ intrinsecè immutatus est?*

QUÆR. III. An, quando absque designatione certæ speciei, vel numeri in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea monetæ valor extrinsecus immutatus est, diminutionis detrimentum, & commodum augmenti ferre debeat Creditor, an verò Debitor? Item an, quando certa species, aut numerus monetæ promissus est, aut in pactum deductus, possit adhuc Creditori satisfieri per aliam ejusdem valoris monetam?

184 AD 1. Q. Respondet Navarrus *l. 3. Consil. tit. de testam. Consil. 1.* teneri Barbaram famulam ad solvendos hæredi 10. aureos, quos clàm subtraxerat, si 40. aureos sibi legatos recepit. Rationem dat. Tum quia velle testari, vel legare, non est testari, neque legare. Tum quia licet mutare ultimam voluntatem usque ad extremum vitæ exitum, & ita quamvis legâsset, potuit mutare voluntatem illam usque ad mortem, quod & fecit. Tum quia constat Testatorem noluisse relinquere plus, quàm 40. eo tempore, quô legavit, & si prædicta famula acciperet 40. aureos, & retineret eos cum aliis decem subtractis, retineret 10. ultra contentos in Legato, quod non licet. Nihilominus

185 Meliùs cum Comitol. & aliis respondetur sub distinctione; vel enim famulæ certum est, vel certè valde probabile, herum suum, cùm decedebat, & hortatu famulæ Legatum imminuebat, pecuniam furtô sublatam ei condonaturum fuisse, si eam sibi deberi sciviſſet; aut verò credibile est, vel credibilius, nihil remissurum? Si hoc posterius, tunc decem illi aurei sunt utique hæredi restituendi.

Si prius credit, Barbara famula tunc tuta conscientia & 40. adipisci potest, & decem alios non reddere; quia illos voluntate Domini liberali, & remittente retinet, quamvis non sit voluntas verbis expressa, & patefacta; qui enim justa, & recta voluntate Domini, etiam tacita, quidpiam accipit, aut retinet alienum, ex communi DD. sententia fur non est. Insuper si hæc famula, aùt propter sua in herum officia, & obsequia, aut propter mutuam benevolentiam, bonámque diu perspectam voluntatem nequidquam dubitet, herum suum ablatam illam pecuniam concessurum esse, si rogâsset, de ea restituenda anxia esse non debet, quia jure & assensu Domini censenda est eam possidere: imò quoniam servi, & ancillæ non solent, quæ sibi à Domino legantur, imminuere, sed potiùs, ut augeantur, optare, & rogare, quæ consuetudo non latet ipsos Dominos, inde valde verisimile est, hujus famulæ herum facilè suspicari potuisse ob aliquam compensationem rei, quæ sibi à famula deberetur, Legati diminutionem postulatam esse. Quæ pro foro interno poterunt Confessario deservire, ut non facilè famulam ad restitutionem compellat, præsertim cùm penes ipsam fuerit, facere, ut decem illi aurei essent & manerent in corpore hæreditatis, vel non; ut adeò hæres non censeatur re ipsa damnum aliquod pati, quod non passus fuisset, nisi famulæ propositum sic restituendi, & voluntas Legatum sic minuendi præcessisset.

Ad 2. Q. Videtur Legatum per 186
solvendum secundùm eum aurei valorem, quem habebat tempore mortis Testatoris, quia, cùm Testamentum robur, & firmitatem non habeat, nisi à morte Testatoris, *l. Testamentum 1. ff. qui Testam. fac. post.* Legatum quoque perfectum non videtur, antequam Testator decesserit. *l. si fundus 28. ff. quando dies Legat.* Verùm

Dicendum est cum Abb. in *c. olim, 20. h. t. n. 4.* Panormitan. *cap. quanto de jurejur.* Fagnan. *c. olim citt. h. t. n. 9. & 10.* Joan. Andr. in *addit. ad speculum.* Pirh. hîc *n. 25.* Wiestn. *n. 40.* Schmalzgr. hîc *n. 42.* aliisque præstandum esse valorem, quem aurei habuerunt tempore conditi testamenti, id quod patet ex l. *si ita 7. ff. de aur. arg.* & l. *Uxorem. §. de testam. ff. de leg. 3.* Et ratio ulterior est, quia Testator, si aliud non exprimit, censetur legare habito respectu ad patrimonium, quod habet eo tempore, quô, condito testamento, de eo disponit, & secundùm eam pecuniæ æstimationem, & valorem, qui erat in civilibus commutationibus, usu, ac commercio tunc, quando Testamentum condebatur, & Legatum relinquebatur, atque adeò

secun-

secundùm valorem tunc præsentem, & non postea futurum. Ex quo patet responsio ad rationem in oppositum.

187 Pensiones quoque & census non deberi in meliore pecunia, ad illorum institutionem consecuta, sed in ea, quæ erat tempore, quo instituebantur, aut illius æstimationem, patet ex decreto duorùm summorum Pontificum, Innoc. III. in sua Decretali, quæ incipit, olim causam, de censibus. & Gregor. IX. in Decretali, cùm canonicis, de censibus: ubi ita loquitur: Cùm Canonicis majoris Ecclesiæ quamdam summam pecuniæ pro pensione Ecclesiæ tuæ debitam aliquot annis persolveris; & iidem summam illam ex integro de meliore moneta exigant sibi solvi, tibi damus nostris litteris in mandatis, ut Canonicos illos solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos. Imò universim quando absque certæ speciei, & numeri designatione certa quantitas v. g. 100. fl. in obligationem deducti sunt, & postea valor monetæ intrinsecè immutatus est, eò, quòd melior priore cusa sit, censent complures cum Bartol. *in l. Creditorem, n. 6.* Abb. *in c. 18. de Jurejur. n. 21.* Innoc. *in c. 20. h. t.* Covar. *de collat. vet. numis c. 7. §. un. n. 2. concl. 1.* Fachin. *l. 2. contr. c. 10.* Fagnan. *in c. olim 20. h. t. n. 4. & 14.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 19.* Pirh. hîc in 22, & & teste Wiestn. hîc n. 31. communis TT. & Canonistarum consensus, qui affirmant in eo casu attendendum esse tempus contractûs, non solutionis, adeóque solutionem exhibendam esse in moneta antiqua, vel si talis non extet, aut haberi nequeat, secundùm valorem, & æstimationem illius in moneta currente; modò solutioni monetæ antiquæ non sit præscriptum per solutionem monetæ novæ. Id, quod probant tum ex *cap. olim citt.* tum ex *cap. cum Canonic.* citt. tum ratione; quia Justitia Commutativa postulat, ut in omni debito pecuniario id præstetur, quod in obligationem deductum est; atqui in obligationem deducta censetur præstatio pecuniæ ejusdem bonitatis, & ponderis, cujus erat tempore obligationis impositæ, vel contractæ juxta *l. cùm quid 3. ff. de reb. credit.* ergo. Quam sententiam communissimam DD. pronuntiat Laym, l. c. Contraria tamen opinio, quæ docet in eo casu solutionem præstandam esse in moneta currente secundùm ejus valorem præsentem, non solùm non est improbabilis, sed eam plurium Provinciarum, & nominatim Bavariæ, usu receptam esse, testantur Wiestm. & Schmalzgr. hîc n. 3. quam amplectuntur Menoch. *cons. 49. n. 38. vers. his constat.* Gonzal. *in c. 26. h. t. n. 6.* Ludov. Raman. Ant. Faber, & alii. Unde patet etiam responsio ad 2. membr. Q. 2.

188 Ad 3. Q. Dubium, & controversia est inter DD. (aliquibus volentibus in debitis pecuniariis, quibus species monetæ certo numero solvenda expressa non fuit, attendendum esse tempus contractûs; aliis verò contendentibus, attendendum esse ad tempus solutionis) de casu, quo debitor non fuit in mora culpabili; nam si in mora culpabili fuit, eò quòd de solutione interpellatus, eandem debito tempore & loco, cùm posset, non exhibuerit, convenit inter DD. solutionem præstandam tunc esse secundùm valorem monetæ, quem illa habuit ante moram, quia mora sua cuilibet nociva est, juxta *Reg. mora 25. in 6.* Pro casu itaque, quo debitor non fuit in mora culpabili. Diminutionis detrimentum, & commodum augmenti Creditoris esse, docent Bartol. in *l. Paulus 99. ff. de solut. n. 6.* Fagnan. in citt. *C. olim 20. n. 22. & 23.* Fachin. *l. 2. contr. c. 9. vers. tertia sententia.* Azor. *p. 3. l. 10. c. 7. q. 2.* Tiraquell. n. 27. Ant. Faber de *var. numm. debit. solut. c. 6. n. 4.* Covar. *de collat. veter. numism. c. 7. §. un. concl. 4.* ubi propositionem hanc, quòd obligatio solvendi certam pecuniæ quantitatem in certa numorum specie, nulla constituta illorum æstimatione, intelligatur in eo genere solvenda, quod viget tempore solutionis, approbari ait à plerisque. Unde juxta hanc sententiam, si tu centum aureos mutuos dedisti Titio, cùm tunc temporis unus aureus valeret 3. fl. eo addito pacto, ut totidem aurei in eadem, vel æquivalenti moneta restituantur, sed postea, manente eadem bonitate intrinseca aurei, singuli aurei valeant 4. fl. hoc augmentum obvenire tunc creditori, ita, ut tempore solutionis ipsi restituendi sint 400. fl.

Econtra si tempore contractûs mutui unus aureus valuit 4. fl. & postea descendat ad 3. fl. sufficiet, si pro centum aureis debitor solvat 300. Rationem dant; quia in hoc casu bonitas intrinseca non mutatur, sed tantùm æstimatio, & valor extrinsecus, in hoc autem inspiciendum est tempus solutionis, etiamsi pretium extrinsecum cursu temporis mutatum sit, *l. cùm quid 3. junct. Gloss. fin. ff. de reb. credit.*

Conf. Qui vinum accepit mutuò, satisfacit, si vinum æquè bonum restituat, nec consideratur, an auctum, vel diminutum sit ejus pretium, *l. vinum 22. ff. eod.* quia, ut ibidem advertit Gloss. *V. cùm petitum esset, bonitas intrinseca consideratur secundùm tempus dati mutui, non extrinseca, scilicet, quòd tantum valeat.* Et hinc etsi duplo minus sit vini pretium, non tamen mutuatarius obligabitur ad restituendum duplo plus; nec satisfaciet restituendo duplo minus, si pretium tempore redditionis sit duplo majus, nisi aliter conventum sit, aut debitor sit in mora: ergo etiam debitor

bitor pecuniæ restituere debebit æquè bonam pecuniam, etsi auctum sit ejus pretium, neque satisfaciet reddendo illam secundùm æstimationem extrinsecam, quam tempore solutionis habet. Nihilominus.

189 Dicendum est cum Sylvest. *V. solutio q. 2. dict. 1.* Soto *l. 6. de Just. q. 1. a. 2.* Petr. Navar. *l. 3. de restit. c. 2. n. 259.* Joan. Medina *C. de restit. q. ult.* Molina *tr. 2. D. 312. n. 2. & 3.* Rebell. *p. 2. l. 11. q. 5. concl. ult.* Toletus *l. 2. c. 31. n. 2.* Fill. *tr. 35. n. 49.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 15.* Pirh. hîc n. 28. Wiestn. ibid. n. 25. Schmalzgr. hîc n. 24. aliisque pluribus affirmantibus, si absque certæ speciei, & numeri designatione solummodo certa quantitas pecuniæ, v. g. 100. fl. in pactum deducta est, & postea monetæ valor extrinsecus mutetur, mutationem hanc extrinsecam commodo, vel incommodo debitoris accidere, ut tantò pauciores numos solvere cogatur, quatenus eorum valor auctus est; vel tantò plures, quatenus eorum valor extrinsecus diminutus fuit, v. g. si debitor tempore, quo aureus valebat tres solummodo florenos, accepit 100. aureos, nunc quando aureus valet 4. fl. satisfacit, si creditori solvat 75. & vice versa, si accepit 100. aureos tempore, quo aureus valebat 4. fl. & postea aureus decrevit ad 3. fl. licèt acceperit tantùm aureos 75. solvere debet 100.

Prob. hæc assertio 1. consuetudine Imperii, secundùm quam crescentibus monetis secundùm valorem extrinsecum tantùm, debita pecuniaria omnia minore monetarum numero solvuntur. Quo modo Imperator Ferdinand. I. anno Domini 1559. in comitiis Augustæ celebratis florenum aureum Rhenensem octodecim paziis valentem, sine sui intrinseca immutatione, tribus crucigeris auxit, & potestatem fecit debitoribus eo valore auctiore debita sua dissolvendi:

Unde patet, augmentum valoris prodesse debitori, ad eúmque pertinere. Si autem ad hunc pertinet valoris augmentum, ad eundem quoque pertinere debet decrementum, ne mutationis alius percipiat commoda, alius incommoda perferre cogatur contra æquitatem naturalem, & in hac fundatam Juris Regulam, 55. in 6. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum, & contrà.*

Prob. 2. ratione; quia auctio, vel diminutio pecuniarum publica authoritate eo fine decernitur, & promulgatur, ut secundùm eam mercationes, & debitorum solutiones fiant, *l. 1. pr. ff. de contrab. empt.* ergo si decretum æstimationis justum est, ut ponimus, potest ac debet, per text. *c. 1. de Constitut ll. Leges 3. & 9. C. de LL.* & alioquin.

Et

Et alioquin si debitor unius v. g. ducati æstimati duobus florenis argenteis, postea ejus æstimatione aucta ad duos fl. & duos pazios, integrum ducatum solvere deberet, ampliùs ab ipso exigeretur, quàm in promissionem, & obligationem deductum fuerat. Unde

Ad fundamentum sententiæ oppositæ R. in debitis pecuniariis quibus species monetæ certo numero solvenda expressa non fuit, ad utrumque tempus attendendum esse, scilicet ad tempus contractûs, & solutionis; tempus contractûs quidem inspiciendum est, ut intelligatur quantitas debiti, seu valor pecuniæ v. g. mutuò datæ, quem illo tempore habuerunt, videlicet, quòd 100. aurei fecerint 300. fl. Tempus solutionis verò inspiciendum est, ut intelligatur valor pecuniæ, per quam solutio fiet; quia secundùm eum pecunia numerari debet.

Ad Conf. n. parit. inter vinum mutuò datum, & pecuniam numeratam; in restitutione enim vini, & similium consideratur quantitas, & materia; in restitutione verò pecuniæ non materia, sed sola æstimatio consideratur, nisi aliud in contractum deductum sit. Præterea pecuniæ æstimatio plerumque certa est, & definita publicâ lege Magistratûs, nec facilè mutatur; pretium verò vini incertum est, sæpiúsque variatur, neque vini æstimatio est de substantia vini, non enim vinum ideo melius est, quia pluris æstimatur; sicut tamen valor, extrinsecus, seu æstimatio imposita, est de substantia monetæ, juxta *l. origo* 1. *ff. de contrab. empt.*

Limitant tamen DD. suprà dictam assertionem 1. ut non procedat pro casu, quo auctio valoris extrinseci monetarum facta est à potestate non legitima, sed à privata Campsorum, Mercatorum fœneratorum &c. populo reliquo non consentiente, sed improbante; tunc enim ejus ratio in solvendis debitis, præsertim antiquis, nulla habenda est; quia solus ille valor extrinsecus monetæ censetur justus, qui publica authoritate, vel usu communi populi taxatus est, ut secundùm eum mercationes, & pecunariorum debitorum solutiones fiant.

2. Si talis auctio sit quidem constituta lege publica, sed non stabili, & perpetuò duratura, sed ad breve duntaxat tempus ob necessitatem aliquam occurrentem, ut si Principis edicto, vel populi consensu statuatur, ut monetarum pretia in duplum augeantur, quamdiu v. g. imminentis belli necessitas perdurat; tunc enim nullatenus admittendum est, ut antiquorum debitorum obligationes secundùm auctiorem illum valorem solvantur; quia neque Principis statuentis,

tis, nec populi consentientis voluntas fuit, aut esse potuit, ut monetarum mutatio, admodum notabilis, & valde discrepans ab intrinseco valore, constituatur, nisi quatenus id necessarium est ad præsentem necessitatem pellendam; non autem cum gravi præjudicio, & damno eorum creditorum, quibus veterum obligationum jus quæsitum fuit, ut cum aliis citt. notat Ant. Faber de *var. solut. debitor. pecuniar. c. 4. n. 50.*

190 Ad 2. membr. Q. 3. An, quando certa species, aut numerus monetæ promissus est, aut de eo solvendo conventum est, possit adhuc Creditori satisfieri per aliam ejusdem valoris, seu æstimationis monetam? DD. communiter respondent negativè apud Covar. l. c. Abb in *C. quanto citt. n. 15.* Bartol. *in l. Creditorem, 99. ff. de solution.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 312.* Laym. l. c. n. 14. aliosque. Ratio est, quia *Contractus ex conventione legem accipiunt*, juxta *Reg. 85. in 6.* & invito creditore aliud pro alio solvi non debet. *l. mutuum 2. §. mutui 1. ff. de reb. Credit.* Nec obest hîc *l. Origo 1. pr. ff. de contrab. empt.* ubi dicitur, quòd in nummis non tam substantiæ, quàm potestatis, seu æstimationis habenda sit ratio: nam hæc juxta citt. loquitur de solutione in moneta certæ speciei præstanda, quando non est conventum.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Excipiunt tamen 1. Casum, quo Creditor ex diversitate monetæ in alia specie, nullum sensurus est incommodum, tunc enim debere Creditorem recipere monetam à debitore, quamvis sit alia species, quàm quæ fuit in obligationem deducta, id, quod Cavar. cum aliis *l. c. de collat. numism. c. 7. §. un. Concl. 1.* ait esse consuetudine receptum, & sumitur ex citt. *l. Creditorem*, aliàs *l. Paulus 99.* quæ sic loquitur: *Paulus respondit, Creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit.* Ergo à contrario videtur cogendus, si nullum damnum patiatur. Id, quod æquitati conforme est; fieri enim potest, ut species pecuniæ, quæ mutua accepta est, vel alio nomine solvenda, vel inveniri, vel haberi, saltem facilè, non possit; & tunc utique voluntate justa debet Creditor alia specie pecuniæ esse contentus, si nihil inde damni passurus est.

Excipiunt. 2. Casum, quo moneta in obligationem deducta omninò periit, aut publica authoritate reprobata est, tunc enim alia ejusdem æstimationis non solùm solvi potest, sed etiam debet, juxta *argum. C. olim de censib.* & communem DD. contra Joan. Fabrum, existimantem, debitorem hoc casu omninò liberari, eò quòd tunc ei impossibilis fiat pecuniæ promissæ solutio. Sed

facilè ad hoc reſpondetur, videlicet, quòd in Contractibus, præſertim oneroſis, & reciprocis, duplex obligatio contrahatur à debitore; una ad præſtandam ſolutionem in certa ſpecie monetæ; altera ad ſolvendam æſtimationem pecuniarum, ſeu ad ſolvendum pretium pecuniarum certum, vel incertum, ſeu fortunæ commiſſum; quæ duæ obligationes, cùm dividuæ ſint, unà impoſſibili reddita, perſeveret altera, juxta Juris Reg. 37. in 6. *utile non debet per inutile vitiari.* Ut adeò cùm prior pecunia eſt prorſus reprobata, nova ſit ſolvenda, attenta prioris æſtimatione.

CASUS XXXIII.

De defectibus in Confeſſione commiſſis.

FUlgentius nunquam antehac in Confeſſione ſe accuſavit de pravis deſideriis, & pollutionibus in juventute habitis, eò quòd putaverit non eſſe peccata gravia; modò autem cùm inaudiat eſſe peccata, eadem in S. Tribunali aperit Marillo Sacerdoti, cum alio peccato gravi ex verecundia, ut putat, in alia Confeſſione omiſſo. Merillus, audita peccatorum Confeſſione, eum abſolvit, nulla præmiſſa monitione, nulláque impoſita obligatione præteritas Confeſſiones repetendi.

QUÆR. I. An, & quando teneatur Confeſſarius auferre pœnitenti ignorantiam circa peccata, quæ commiſit?

QUÆR. II. An, & quomodo teneatur Confeſſarius ſupplere defectus circa valorem ſacramenti à ſe in Confeſſione commiſſos?

QUÆR. III. An, qui nunquam in juventute confeſſus eſt prava deſideria, & pollutiones, quia non putavit eſſe peccata, teneatur poſtea, cùm id reſcit, reiterare Confeſſiones, vel ſaltem peccata illa per ignorantiam in prioribus Confeſſionibus omiſſa confiteri?

QUÆR.

QUÆR. IV. An, qui dubitat, an ex verecundia omiserit in Confessione aliquod peccatum mortale, teneatur repetere Confessionem illam, vel solùm confiteri peccatum omissum?

191 AD 1. Q. Sciendum est, ignorantiam aliam esse invincibilem, & aliam vincibilem. Invincibilis est, quæ morali diligentia superari, ac tolli non potest, eò quòd vel nunquam in mentem venerit, dubitare, aut cogitare de opposito, vel etsi in mentem venerit attamen adhibita diligente inquisitione ignorantia depelli, ac veritatis cognitio acquiri non potuit. Et hæc ignorantia, tam juris, quàm facti, utpote involuntaria, omninò à culpa excusat; & hinc dici etiam solet antecedens, eò quòd antecedat omnem voluntatis actum, atque ideò prorsus inculpata est. Ignorantia vincibilis est, quæ potest, vel potuisset, ac debuisset superari, ac tolli, & opposita scientia acquiri, atque adeò aliquo modo voluntaria est, & idcircò dici etiam solet consequens, quia consequitur voluntatem directam, vel indirectam, ideóque culpabilis est. Hæc porrò vincibilis ignorantia affectata esse potest, & non affectata; prior est directè voluntaria, ut notat S. Th. *q. 76. a. 3.* posterior verò indirectè. Affectata ergo ignorantia est, cùm quis Studio, & datâ operâ vult ignorare veritatem, sive ex tædio discendi, sive ex eo, ut sic legis obligatione ignorata, vel liberiùs peccare possit, vel ut aliquam inde excusationem mereatur.

Ignorantia non affectata seu indirectè tantùm volita, alia est crassa, lata, supina; quando scilicet ad hanc tollendam nulla, vel modica cura, ac diligentia adhibetur. Alia non crassa, non supina, quando scilicet hæc vel non tam facilè superari potuit, vel ad eam vincendam diligentia quidem adhibita est, sed non sufficiens. Omnis ignorantia, quæ mortalis est, secundùm Suarez *de censur. D. 4. S. 10. n. 10.* etiam crassa dicitur, licèt hæc latitudinem patiatur. His præmissis.

R. ad 1. Q. cum Soto *4. d.* 192
18. q. 2. a. 3. Sanch. *l. 2. D. 38.* Lug. *D. 22. S. 2.* Metin. Ledesm. Henriq. Arag. aliisque, quoties ignorantia, sive juris, sive facti, vincibilis, & lethaliter culpabilis est, aut contra ipsum pœnitentem, qui ex conscientia erronea putat esse peccatum, quod revera peccatum non est, non potest Confessarius dissimulare, sed tenetur monere, & ignorantiam auferre; quia cùm ignorantia hæc minimè excuset, pœnitens est affectus culpa lethali, & indispositus ad absolutionem; adeó-

que si Confessarius dissimularet,& non moneret, conferret sacramentum indigno. 2. Quia ex una parte monitio illa proderit, ut pœnitens, sublatâ ignorantiâ, cognoscat malum statum, in quo versatur, & fortè resipiscat; ex altera parte cùm pœnitens ad Confessarium accedat, tanquam ad Doctorem, & Vicarium Dei, ut ab ipso instruatur, nisi id præstet Confessarius, agit infideliter, & tacens, absolvénsque pœnitentem videtur suo facto illius errorem approbare,& confirmare.

Quòd si ignorantia, cujusque juris, invincibilis sit, cautè procedendum est,& perpendendum,quid præponderet; si enim spes probabilis sit, fore, ut monitio prosit sine gravi scandalo, & detrimento, tenetur Confessarius monere, & vi sui officii pœnitentem instruere,præsertim cùm ignorantia, quæ nunc invincibilis est, possit facilè fieri vincibilis: si verò prævideat, ignorantiam ablatam redundare debere in novum peccatum pœnitentis, qui prosecuturus est, id cum peccato faciens, quod priùs licitè faciebat, dissimulare debet Confessarius, saltem si non interrogetur, ut si v. g. videat, pœnitentem esse in conjugio inito cum impedimento irritante, non debet illud aperire, si ex hoc scandalum sequatur, & majus damnum pœnitentis, cujus majus bonum procurare debet; adeóque cessante spe boni pœnitentis,ad quod Confessio ordinatur, non tenetur Confessarius monere, sed potiùs tacere, ne insuper scandala, aliáque mala, & inconvenientia sequantur, & ansam præbeat peccandi iis, qui in bono sunt Statu. Sed quid si Confessarius nec sciret profuturam admonitionem, nec etiam sciret obfuturam, an tunc in dubio admonendus sit pœnitens?

R. si dubitat de profectu, & non timeatur damnum, teneri utique admonere, tum ex charitate, tum ex officio Doctoris,& Pastoris. Si verò dubitet, an profutura, vel obfutura sit admonitio, rectè applicatur hîc regula, quam de correctione fraterna adhibet Filliuc *t. 2: tr. 28. c. 6.* cum aliis, ut scilicet comparetur utilitas, & damnum, & gradus timoris, ac spei, ac omnibus consideratis illud eligatur, quod præponderare judicatur, & secundùm præsentem statum eligibilius est.

Limitant aliqui 1. doctrinam hanc cum Adrian. *quodl. 5. a. 2. à lit. F. vers. ad q. respondeo* eámque procedere ajunt duntaxat pro casu, quo ignorantia pœnitentis non redundat in detrimentum proximi, Verùm alii meliùs affirmant cum Sanch. Lug. aliisque citt. etiam in hoc casu tacere debere, quando probabiliter existimat fore, ut sua monitio nihil prosit,

sit, v. g. si pœnitens bona fide possideat hæreditatem, quam Confessarius novit injustè possidere, & credit nihil profuturam monitionem; quia est difficillimum relinquere illam, vel videt pœnitentem teneri restituere, & per ignorantiam invincibilem excusari, monitúmque non restituturum, ubi meliùs tacet, & tacere tenetur, cùm eadem sit ratio etiam in hoc casu, & nihil sit profuturum Creditori, quòd tali pœnitenti veritatem tunc aperiat Confessarius.

Limitanda tamen est tradita suprà doctrina pro casu, quo hujusmodi ignorantia redundat in detrimentum, & malum publicum, seu contra commune bonum, v.g. si Parochus habeat invincibiliter opiniones erroneas, quas subditis ingerit circa mores; vel si putet bona fide, se esse sacerdotem, cùm non sit, cujus ignorantia redundat in damnum commune eorum, qui ab eo sacramenta irrita, & nulla suscipiunt.

Ratio est; quia bonum publicum præponderat bono privato pœnitentis.

Porrò dixi suprà debere Confessarium dissimulare, & tacere, saltem si non interrogetur à pœnitente; nam si interrogetur, teneri tunc veritatem aperire, meritò censent Sotus l. c. *4. 4. ad 2.* Lug. citt. Suarez *D. 32.* S. 4. n. 2. Sanch. l. c. n. 14. Ledesm. Lud. Lop. Angl. Medin. Henriq. & alii; & ratio est; quia jam tunc conscientia pœnitentis læsa est in illo dubio, & taciturnitas Confessarii, esset erroris approbatio, utpote quam pœnitens, proposita interrogatione, interpretaretur affirmationem, sicque auctoritate Confessarii faceret, quod priùs ex ignorantia faciebat; posset tamen tunc Confessarius, ait Lug. fingere se non audiisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere, ut sic remaneat pœnitens in ea bona fide, quam priùs habebat, non tamen ipsius auctoritate confirmata.

Nec obest prædictis *C. qui scandelizaverit de reg. jur.* juxta quod utilius Scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur; nam id sic intelligendum est, ut cum aliis explicat S. *Th. 2. 2. q. 43. a. 7. in corp.* scilicet, quando aliquid sine peccato mortali fieri non potest, vel omitti, faciendum non est, vel omittendum propter scandalum, secùs quando fieri potest, vel omitti sine peccato.

Ad 2. Q. An, & quomodo supplendi sint defectus à Confessario commissi circa valorem sacramenti, absolvendo scilicet invalidè pœnitentem à peccatis lethalibus bona fide confitentem ex defectu jurisdictionis, aliove ex capite? 194

Non nullorum fuit opinio cum Sylvest. *V. Confessor.* & Navar. *in Sum. c. 16. n. 14.* dicentium, debere Confessarium, si sine scandalo, & damno fieri potest, talem pœnitentem monere de defectu commisso, ut iterum confiteatur: Si verò id fieri non possit, debere absolvere præsentem, vel etiam absentem, expectando tempus, quo Confessarius credat pœnitentem fore dispositum, & in Statu gratiæ, quorum sententiam quoad absolutionem ab excommunicatione non improbat Suarez *D. 31. S. 6.* Quoad absolutionem verò à peccatis in absentia, meritò hodie rejicitur ab omnibus,& contrarium constat ex Pontificia declaratione Clementis VIII. imò neque in præsentia debet talis absolvi, ut rectè probat Suarez, & Valq. *q. 93. a. 3. dub. 8.* quia absolutio non est valida sine intentione ex parte pœnitentis, & interim potuit graviter de novo peccâsse.

Alii cum D. Antonin. Valer. Pont. aliisque apud Suarez l. c. censent, Confessarium in tali casu non teneri ad monendum, aliudve faciendum, sed dolendum dundaxat esse de culpa præterita, relinquendo pœnitentem in bona fide; quia illa peccata, à quibus non fuit absolutus,per subsequentem Confessionem indirectè postea remittentur, & aliunde Confessarius non potest sine gravi honoris, & famæ detrimento pœnitentem monere. Excipiunt tamen casum, quo pœnitens esset in tali statu, in quo probabiliter putaretur nulla postea peccata confessurus.

Verùm meliùs R. cum Suarezio 195
citt. Vasq. l. c. Lug. *D. 22. S. 3.* Dicastill. *D. 10. n. 500.* Arriag. *D. 44. n. 11.* Coninch. Cordub. aliisque compluribus apud Lug. & Dianam *p. 11. tr. 4. R. 9. & p. 2. tr. 15. R. 6.* Quando error circa valorem, & substantiam sacramenti commissus est, præsertim ex malitia, aut culpabili negligentia sacerdotis, teneri Confessarium, si absque gravi incommodo, ac detrimento proprio, vel alterius, aut scandalo potest, petitâ licentiâ, monere pœnitentem, si aliâ viâ nequeat errorem corrigere. Ratio inter alias est, quia universim, quicumque alteri occasionem, aut causam dedit transgrediendi legem aliquam Divinam, debet, si potest occasionem, & ignorantiam tollere, ut legem Dei servare possit, ut si v. g. dixisti petro, non esse die festo audiendumSacrum, teneris postea eum monere de obligatione Sacri tali die audiendi: atqui ejusmodi defectus à Confessario commissi, sunt pœnitenti, eos aliàs ignoranti, occasio, vel causa transgrediendi, & negligendi legem Divinam de procuranda directa absolutione ab omnibus peccatis commissis: ergo tenetur eos

tollere

tollere, siquidem sine gravi suo incommodo, & scandalo potest, quod Suarez putat prudenti non esse difficile, si v. g. in alia Confessione interroget pœnitentem, utrum etiam de omnibus aliàs jam expositis doleat, petatque ab iis rursus absolvi, si fortè indigeret tali absolutione, & siquidem affirmet, poterit ab omnibus una absolutione directè absolvi, sicque defectus emendari: Pro praxi tamen cùm rarò detur talis opportuna monendi occasio, & plerumque id fieri nequeat sine gravi incommodo, aut detrimento honoris, & famæ Confessarii, utpote qui dicere deberet, se malè absolvisse, aut fortè non sine periculo violandi sigilli, idcircò poterit Confessarius se accommodare probabili multorum sententiæ deobligantium eum ad monendum ob rationem suprà insinuatam, nisi probabiliter putaretur, pœnitens postea non confessurus, vel non habiturus ampliùs confitendi occasionem.

196 Ad 3. Q. respondet Bordonus *in Miscellan. Decis. 321.* talem, qui prava desideria, & mollitiem confessus non est, putans non esse peccata non teneri præteritas confessiones repetere, quia cùm bona fide processerit, non peccavit, hujusmodi prava desideria non confitendo, atque adeò validè confessus est. Sed neque teneri ea postea confiteri, cùm rescit, esse peccata. Rationem dat; quia præteritæ peractæ Confessiones non caruerunt sua integritate; integritas, enim Confessionis pro objecto habet solùm peccatum cognitum ex parte pœnitentis; hic autem nunquam cognovit ea desideria, & pollutiones esse peccata, uti ponitur, ergo &c.

Econtra non esse quidem repetendas præteritas confessiones, sed sufficere, ut quis cùm postea advertit, ea duntaxat confiteatur, quæ omissa fuerant, docent Sylvest. *V. confessio, n. 4. q. 3.* Navar. *C. fratres de pœn. dist. 5. n. 82.* Eman. Sà *V. confessio.* Leander. *de Sacram. tr. 5. D. 9. q 69.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 9.* Beja *p. 1. cas. 9.* Bonac. Diana, qui *tr. 14. R. 19.* ita loquitur: communiter asserunt DD. quòd, licèt non teneatur iterare Confessionem, qui putat invincibiliter non esse mortale aliquod mortale, tamen hoc non obstante omnes asserunt, quòd teneatur confiteri peccata in priori confessione omissa, & ideò dicendum est contra Bordonum in casu posito non esse reiterandas Confessiones, sed explicanda, & confitenda omnia desideria in Confessionibus non explicata. Ita ille. Id, quod timoratorum praxis observat.

Ad 4. Q. putârunt non nulli 197
cum, & apud Carol. Baucium *in Miscellan. tom. 1. q. 474.* non teneri ita dubitantem repetere Confessionem, sed sufficere confiteri sub dubio

bio peccatum illud in Confessione omissum.

Ratio est; quia in dubio non debet pœnitenti imponi onus grave, quale est repetere Confessionem fortè etiam multorum annorum, nec aliud debet dubium operari, quàm ut pœnitens teneatur sub dubio exponere in Confessione peccatum omissum.

Confirmatur. Qui dubitat, an votum emiserit, etiamsi magis inclinet in partem voti, non tenetur voto, neque ad partem pro ratione hujus majoris inclinationis: Ergo neque est obligandus pœnitens ad reiterandam Confessionem, in qua dubitat, an ex malitia peccatum mortale in Confessione subticuerit, etiamsi magis inclinet, quòd illud ex malitia tacuerit. Nihilominus.

R. probabiliùs repetendam esse talem Confessionem. Ratio est; quia qui rationabiliter dubius est, an voluntariè, & ex malitia peccatum mortale omiserit in Confessione tenetur illud confiteri, uti admittit ipse Baucius adversarius, (nisi scilicet deposito dubio bona fide arbitretur se esse immunem ab obligatione confitendi) quia universale præceptum integrè confitendi est in possessione contra libertatem pœnitentiis, cui proin incumbit probare integritatem Confessionis: ergo etiam qui rationabiliter dubitat, an Confessionem mutilatam, & invalidam fecerit, tenetur illam reiterare, nisi probet integritatem: atqui talis dubitat de Confessione mutilata, & invalida hoc ipso, quod dubitet de peccato voluntariè, & ex malitia omisso: imò de peccato commisso, & omisso est certus, sed dubitet duntaxat, an illud ex verecundia, & malitiosè tacuerit; adeóque Confessionem invalidam peregerit: ideóque iterandam, si integritatem probare nequeat. Unde non currit paritas cum eo, qui dubitat, an votum emiserit, tum ex hoc capite, tum quia in tali casu possessio non stat pro voto, sed quamdiu dubitatur de emissione voti, libertas dubitantis manet in possessione, nisi contra ipsam probetur exceptio; in posito autem casu possessio stat pro præcepto universali integrè confitendi, nisi contra ipsum probetur exceptio ab eo, qui se præcepto, ejusque oneri vult subducere. Unde patet etiam responsio ad rationem in contrarium.

)o(

CASUS

CASUS XXXIV.

De Confessione ritè peragenda.

SImplicianus confitetur Ambrosio Sacerdoti sua peccata, sed reticet peccatum grave, quod sine manifestatione complicis aperiri non potest, nullúmque addit numerum gravium peccatorum, quo à Confessario requisito, addit numerum incertum pro certo, aitque se hactenus non consuevisse numerum addere, nec de hoc à suo Parocho unquam fuisse interrogatum. Nec se accusat, quòd in juventute non nunquam ob vanam gloriam, aut ob pœnæ timorem confessus fuerit.

QUÆR. I. An reticeri possit, aut debeat peccatum, quod sine complicis manifestatione non potest in Confessione exponi?

QUÆR. II. An Confessiones præteritæ Simpliciani repetendæ fuerint, eò quòd numerum gravium peccatorum hactenus non expresserit?

QUÆR. III. An teneatur exponere aspectus impudicos, oscula, tactus, & numerum copularum cum consanguineæ uno concubitu habitarum, & gradus incestûs?

QUÆR. IV. An Confessio ob vanam gloriam, seu ex fine malo facta ita vitietur, ut Sacramentum irritum, aut infructuosum reddatur?

198 AD 1. Q. Supponendum est ex communi DD. & Trident. *Sess. 14. cap. 5.* confessionem sacramentalem duplici modo integram esse, & dici posse, materialiter scilicet, & formaliter. Confessio materialiter integra tunc dicitur, quando omnia & singula mortalia explicantur, quæ sunt materia necessaria Confessionis; Formaliter verò integra dicitur, quando exponuntur omnia peccata mortalia, quæ hîc, & nunc moraliter explicari possunt, ita ut nulla reticeantur absque justa, & sufficienti causa: Unde si quis aliquod peccatum omittat ex oblivione inculpabili, aut ex alia justa, &

rationabili causa, dicitur integrè formaliter confiteri, & satisfacit divino præcepto; licèt enim per se loquendo confessio formaliter, & materialiter integra esse debeat; per accidens tamen sufficit etiam confessio solùm formaliter integra, ut constat ex praxi Ecclesiæ & Trident. l. c. ita loquente: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur*; ratione scilicet doloris universalis se se ad omnia extendentis, ut alibi dictum est, & ratio ulterior, cur Christus Dominus hoc sacramentum Pœnitentiæ hoc modo instituerit, videtur esse; quia apud plerosque pœnitentes, præsertim qui diu in statu malo vivunt, aut paulò diutiùs Confessionem differunt, ferè semper esset moraliter, imò non rarò etiam vix non physicè impossibile revocare in memoriam omnia peccata commissa, eáque exactè, & distinctè confiteri. sicque pauci fructum ex hoc salutari sacramento referrent, quod tamen Christus voluit esse universale, & facile medium, quo peccatores seriò pœnitentes in gratiam cum Deo redire possent. Interim tamen manet obligatio, ut, qui tantùm formaliter integrè confitetur, teneatur postea cessante causa aperire in alia Confessione omnia peccata mortalia, quæ ex oblivione, aliave justa causa explicare non potuit, aut non debuit, eò quòd aliàs ex tali peccato, vel circumstantia manifestata in confessione sequeretur vel pœnitenti, vel Confessario vel tertiæ personæ grave, detrimentum Confessioni extrinsecum, vel in vita, vel in fama, vel in bonis fortunæ; tunc enim, si haberi non possit alius Confessarius, cui confitearis, & urgeat necessitas confitendi, exponenda sunt alia peccata, tali peccato, vel circumstantia dissimulata, donec postea peccatum, quod reticuisti, commodè confiteri possis; prout etiam constat ex hac propositione n. XI. ab Alexand. VII. proscripta, *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Ubi etiam notanda est hæc ab Innoc. XI. damnata, *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.*

Porrò quando ex manifestatione talis peccati, aut circumstantiæ non sequitur mors, publica infamia, aut aliud grave malum, sed sola duntaxat infamia occulta tertiæ personæ complicis, an tunc possit, aut debeat peccatum tale in Confessione reticeri, dubium, & controversum est inter DD. Ubi.

Prima multorum sententia docet, tacendam esse circumstantiam illam, ex qua persona complicis 199

plicis aliàs cognosceretur, atque adeò non posse licitè in Confessione manifestari differentiam specificam peccati, si ex illa Confessarius veniat in notitiam complicis. Ita Navarr. *c. 7. Præp. dub. 6.* Marsilius, Armill. Can. Valent. Villalob. Medin. Ledesm. Lopez, aliique, quos refert, & sequitur Diana *1. tom. tr. de circumst. aggrav. R. 49. & tom. 2. tr. 4. de Sacram. R. 54.* Horum ratio potissima est; quia jus positivum cedere debet juri naturali: atqui integritas Confessionis provenit ex jure positivo; obligatio verò non infamandi alterum ex jure naturali: ergo hujus major ratio habenda est, quàm illius, adeóque omittendam esse confessionem talis peccati, seu circumstantiæ, eamque differendam, donec talis peccati circumstantia specifica citra ullam complicis infamationem in alia Confessione manifestari possit.

200 Secunda sententia tenet, posse, & debere pœnitentem eo casu integrè confiteri tale peccatum non obstante infamia complicis, quam apud Confessarium incurrit, quando scilicet præter hujus infamationem apud Confessarium nullum aliud grave damnum timendum est, & urgente confessionis necessitate aliter nunc peccatum tuum confiteri nequeas. Ita S. Th. *opusc. 12. q. 6.* & *4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5.* ubi *si potest*, inquit, *speciem peccati confiteri, non innotescendo personam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo; si verò speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, necesse est, ut exprimendo speciem peccati exprimat personam.* S. Bernard. verò in formula honestæ vitæ ita ait: *De nullo siniſtrè loquaris, nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Idem sentiunt Suarez *D. 34. S. 2. n. 1.* Lugo *D. 16. S. 7.* Vasq. *q. 91. a. 2. dub. 3. n. 1.* Coninch *D. 7. dub. 9. n. 83.* Henriq. *l. 2. c. 9. n. 3. & 5.* Alens. Sotus Durand. Palud. Adrian. Sylvest. Tolet. Rebell. Reginald. Gabr. Less. Malder. aliique complures apud citt. Lug. Dianam, Ills. *tr. 6. D. 6. 4. a. 8.* & Tann. *D. 6. q. 7.* Ratio potissima petitur ex ipsa hujus Sacramenti institutione; ubi Christus voluit fideles integrè deferre sua peccata ad Sacerdotes tanquam ad Judices, tam quoad speciem, quàm quoad numerum, & hoc quidem non obstante infamia, quæ ex ipsa Confessione oritur, utpote confessioni intrinseca, cùm nequeat homo obligari ad manifestanda crimina occulta, quin hoc ipso obligetur ad subeundam propriam infamiam apud Confessarium, quod malum voluit Christus ut homo subiret propter maximum bonum, & commodum, quod secum affert hoc Sacramentum, & integra peccatorum omnium manifesta-

tio: ergo sicut propter hoc maximum bonum obligavit Christus pœnitentem ad manifestanda sua crimina etiam cum infamia propria; utpote intrinseca Confessioni; sic ob idem bonum obligavit ad permittendam infamiam complicis, utpote quæ necessariò etiam oritur ex ipsa Confessione integra facta tali Sacerdoti, sicut oritur amissio propriæ famæ ex ejusdem peccati manifestatione; atque adeò sicut non potest pœnitens celare suum peccatum ad vitandum damnum proprium, ita neque ad evitandum alienum, præsertim cùm strictius jus habeat ad propriam famam tuendam, quàm alienam: Unde non est paritas cum casu, quo si tota malitia peccati aperiatur, prudenter times illud fore tertio revelandum, ubi ab integritate Confessionis excusaris. Ratio disparitatis est, quia unum incommodum est Confessioni intrinsecum; alterum extrinsecum; violatio enim sigilli, quæ prudenter timetur futura, provenit ab extrinseco, ex ipsa nempe malitia, vel imprudentia Confessarii. Contra verò infamatio Complicis, non minùs quàm infamatio pœnitentis, oritur ex ipsa natura Confessionis integræ, cùm nequeat tota malitia specifica peccati exprimi, absque eo, quòd Complex innotescat Confessario. Conf. ex eo, quia Complex videtur jus suum ad famam amisisse per ipsum peccatum tecum patratum; ut notat Tambur. *tr. 2. de 2. Eccl. præcept. n. 5.* quia sciebat, te Christianum esse, & ad Confessionem accessurum, nec posse te integrè confiteri, nisi manifestando peccatum suum, & tamen tecum peccare voluit, ulróque consensit.

P. 2. Quia Lex naturalis servandi famam alterius illæsam non obligat in quocunque casu, sed tantùm tunc, quando non adest rationabilis causa, vel nisi præponderet aliud notabiliter majus damnum; ita ex communi DD. sententia potes viro prudenti secretum servaturo pandere crimen alterius occultum, ut obtineas ab illo necessarium consilium in re gravis momenti: sic in judicio legitimo rogatus potes manifestare Complicem ob bonum commune Reipublicæ &c. atqui in casu posito adest rationabilis, & justa causa manifestandi complicem, tum ut servetur universim integritas Confessionis, quæ cedit in maximam reverentiam sacramenti; tum ut Confessarius exactè, & accuratè fungi possit officio Judicis, Consiliarii, & Medici, quod non minus est bonum, quàm bonum privati hominis consilium petentis; tum ne pœnitens non sine magna sæpè molestia bis confiteri cogatur idem peccatum, semel scilicet nunc absque circumstantia manifestativa Complicis, & iterum postea, quando absque illo peri-

periculo confiteri potest; Complex verò minus illicium habeat ad peccandum, si sciat totum delictum in sacro Tribunali manifestatum iri; tum denique, quia sic longè communiùs judicant DD. ex quorum sensu maximè pendet, quænam causa censeatur rationabilis, & sufficiens; quibus proin bonis tantillum illud incommodum complicis, præsertim ejus culpa causatum, nequaquam præponderat; cùm ipse etiam pœnitens eandem ob causam similem jacturam existimationis, & famæ apud Confessarium complicis negligere teneatur. Ex quibus constat, argumentum adversariorum in oppositum suprà relatum non fore efficax, & convincens. Unde dicendum est tanquam communiùs, & longè probabiliùs in posito casu licitam esse complicis manifestationem, & hoc ipso etiam debitam, ut censent plerique hujus sententiæ Patroni; quia omnis causa, quæ nos excusat ab integritate Confessionis, reduci solet à DD. ad impotentiam physicam, aut moralem: atqui nec datur impotentia physica, nec moralis, si licitè potes Complicem manifestare. Præterea quando lex est certa, & exemptio tantùm dubia, standum est lege certa; in posito autem casu lex integræ Confessionis est certa; exemptio verò propter infamationem Complicis est valdè dubia, & incerta: ergo. Unde Vasq. l. c. ait, concessa priori doctrina, hanc posteriorem certam esse, quòd scilicet Complex debeat in eo casu manifestari. Dixi tamen suprà, si pœnitens aliter tunc confiteri nequeat; quia si commodè potest Confessionem in aliud tempus differre, vel nancisci alium Sacerdotem, cui ipse confiteatur, & cui Complex sit ignotus, utique vitari debet infamatio Complicis, ut omnes fatentur, teste Suarezio l. c. quia non apparet, unde tunc proveniat tibi jus in alterius famam, ut colligitur ex suprà dictis, patétque ex iis, quæ alibi fusiùs hac de re dicta sunt in libello de Confess. & Commun.

Ad 2. Q. R. Cum communi 201
per se repetendas esse Confessiones Simpliciani, ut patet ex alibi dictis. Ratio desumitur ex Concil. Trident. quod *Sess. 14. c. 5. & 7.* requirit Confessionem omnium mortalium tam quoad speciem, quàm quoad numerum: ergo licèt Simplicianus ex ignorantia inculpata validè hactenus fuerit absolutus, non expresso numero, semper tamen manet obligatio numerum explicandi, ubi ejus necessitatem intellexerit v. gr. in Confessione, Concione, Catechismo &c. Nihilominus non teneri Confessarium imponere Simpliciano repetitionem Confessionum, in quibus numerus non fuit expressus, probabiliter censent.

Henriq. *l. 2. de pœnit. c. 3. n. 10.* Fagund. *l. 3. c. 4. n. 10.* Dicastill. *de pœnit. tr. 8. D. 9. n. 57.* & alii; quia cùm tales homines bona fide procedant, & ordinariè uniformem ferè vivendi rationem teneant, facilè prudens Confessarius ex Confessione unius anni conjicit, quantùm aliis annis peccaverit, ut ita virtualis numeri explicatio interveniat: Addo tamen magnâ hîc prudentiâ Confessarii opus esse tum circa bonam fidem, tum circa hanc uniformem vivendi rationem; sæpè enim contingere potest, ut non absque conscientiæ remorsu sic obiter confiteantur, ut pro diversis occasionibus magna sit inæqualitas numeri hoc v. g. quàm aliis annis, quo in casu, nisi aliter ex circumstantiis colligi possit, utique repetitio Confessionum instituenda, & numerus apertè, quantùm fieri potest, explicandus est, ut patet ex ante dictis.

Cæterùm notat hîc Vasq. *in 3. q. 93. a. 3. dub. 7.* rusticos, aliósque rudiores homines, si absque prævio examine ad Confessionem accedant, non facilè remittendos, ut Secum ipsis priùs examen instituant, sed paucis interrogationibus juvandos, & expediendos esse; nec debere interrogationes esse molestas, longas, & enucleatas, sed Statui, & qualitati cujusque pœnitentis convenientes.

Ad 3. Q. 1. Membrum notandum, actus humanos alios esse homogenios, id est, similes, uniformes, & ejusdem speciei, qui circa idem objectum, vel personam versantur; Alios heterogenios, seu dissimiles, qui vel à diversa persona, vel ab eadem, sed diverso modo prodeunt, vel in objectum diversum tendunt. 202

Rursus alios dici consumatos, qui vel interiùs, vel exteriùs perficiuntur, & de se ad alium actum, vel opus complendum non ordinantur; alios verò dici non consumatos, qui vel ex se, vel ex communi operandi modo velut media, ac dispositiones, vel circumstantiæ, partes, aut complementa ad alium actum, aut opus complendum ordinantur. Hoc notato.

R. Teneri utique Simplicianum exprimere numerum copularum uno etiam concubitu habitarum, quia sunt peccata distincta, nec unum respicit, & ordinatur ad alterum; opera enim homogenia, quæ successivè patrata plurium completarum actionum nomine veniunt, juxta communem DD. totidem sunt numero distincta peccata, quamvis eodem continuo pravæ libidinis proritu fiant. Sic qui cum eadem uno concubitu tres habet copulas, tres committit fornicationes; qui eodem furoris

roris æstu percitus tres successivè interficit homines, tria patrat homicidia distinctè confitenda. Sic Sacerdos, qui die natali Domini tria continua Sacra celebrat, tribus se sacrilegiis obstringit; quia videlicet quodvis Sacrum est opus de se completum, nec ad alterius complementum ordinatur: imò juxta probabilem multorum sententiam Confessarius eadem sessione, & sine morali interruptione multos in Statu malo absolvens pœnitentes, totidem committit sacrilegia, ex simili ratione; quia in quovis completur judicium Christi nomine indignè tractatum, nec judicium unius ad alterius causam ordinatur; Alii tamen fortassis æquè probabiliter negant, ejusmodi Confessarium plura peccata committere, eò quòd sit una moraliter indigna functio, unúmque indignum ministerium. Contrà verò quando plures actiones malæ ex natura sua, vel si de se malæ non sint, ex operantis intentione ad unum opus principale vel tanquam media, ac dispositiones, vel ut partes, aut complementa absque interruptione ordinantur, & cum ipso opere unius velut actionis completæ vocabulo designantur, unum moraliter peccatum constituunt, ut docet communis DD. Sic si sacerdos in Statu peccati mortalis constitutus probè sciens, & impœnitens ad templum accedat, vestes induat, ad aram faciat, & post hoc S. Eucharistiam distribuat, & residua Hostiarum fragmenta resumat, unum communiter sacrilegium patrare censetur; quia præviæ, & secutæ actiones ad unum Sacrificium, prout à Christianis fit, de quo etiam Laici participant, completum, & consumatum pertinent. Sic in duello formato actiones præviæ ordinatæ ad opus principale, scilicet provocatio, & acceptatio duelli, loci designatio, comitum electio, armorum præparatio, congressus, scandalum spectatorum, cædes rivalis &c. unum moraliter peccatum constituunt, quod expones dicendo: Semel ad duellum formatum, & publicum coram multis stravi adversarium. Idem dic etiam de aliis actibus homogeniis non consumatis tendentibus ad eundem finem, sæpiùs etiam repetitis sine notabili interruptione, quales v.g. sunt, turpes aspectus, tactus, oscula ejusdem personæ cum desiderio copulæ tali ratione, sæpiùs repetita; repetita item ejusdem personæ verbera &c. Quæ satis confiteberis, si dicas, semel proximum verberibus excepi, semel solutam cum desiderio fœdi operis impudicè tetigi, aspexi, osculatus sum, &c.

Ad 2. Membr. Q. 3. Noto non esse hîc quæstionem de gradibus Consanguinitatis, & affinitatis reservatis, aut qui impedimentum afferunt matrimonii, ubi utique impe- 203

impedimentum declarari debet; cùm afferat malitiam inceſtûs ſpecie diverſam; Sed an debeat explicari gradus ipſe conſanguinitatis, & affinitatis in particulari ſeu potius an ipſi inceſtus ſint ſpecie diverſi ex graduum diverſitate, ubi magna eſt inter DD. quæſtio, & controverſia.

Diana *p. 1. tr. 7. R. 31.* cum S. Th. *22. q. 154. a. 9.* Cajetan. & aliis à ſe relatis affirmat, inceſtus inter Conſanguineos, & affines non differre ſpecie in genere moris, ac proin pœnitentem per ſe loquendo non teneri explicare circumſtantiam conſanguinitatis, vel affinitatis, nec diverſitatem graduum; quia talis circumſtantia non mutat ſpeciem inceſtûs, ſed ſolùm aggravat intra eandem ſpeciem, ſicut maior, vel minor quantitas rei furtò ablatæ.

Alii cum Navarr. *in man. cap. 16. n. 3.* Bonac. *de ſacr. d. 5. q. 5. p. 2. §. 3. diffic. 3.* aſſerunt, omnes inceſtus ſpecie differre, & conſequenter in Confeſſione aperiendum eſſe, in quo gradu inceſtus fuerit commiſſus.

Valq. *in præſenti dub. 4. a. n. 11.* Lugo *D. 16. S. 3.* & alii, mediâ viâ incedentes cenſent, coitum cum parentibus probabiliter differre ſpecie ab aliis omnibus propter ſpecialem deformitatem, quæ oritur ex peculiari reverentia parentibus debita, quæ non debetur aliis conſanguineis, imò in copula declarandum eſſe, an fuerit cum matre, vel filia, nec ſufficere dicere, ſe peccaſſe cum conſanguinea in primo gradu lineæ rectæ, quia malitia diverſa, eſt in filio, quantus peccat contra reverentiam matri debitam, quæ malitia non eſt in patre, ſed alia diverſa, quando peccat cum filia; adeóque non ſufficere dicere: peccavi cum conſanguinea in primo gradu; quia in fratre, & ſorore non apparet eadem turpitudo, quæ eſt inter patrem & filiam. Coitum autem etiam cum fratre, aut ſorore probabiliter differre ſpecie ab aliis; quia probabilius eſt ſecundùm Lug. l. c. & Sanch. & Th. Sanch. *l. 7. de matr. D. 52. n. 11.* hunc eſſe jure naturæ interdictum, propter ſpecialem fœditarem, quæ eſt in illa conjunctione, quia cùm fratres ab incunabulis convivant, ſimúlque nutriantur, nimis proclives aliàs eſſent ad coitum, niſi naturæ fræno prohiberentur ob illam nimiam conjunctionem.

In reliquis verò gradibus prohibitis tranſverſalibus conſanguinitatis & affinitatis ajunt non eſſe differentiam ſpecificam, ſed majorem, vel minorem gravitatem non neceſſariò explicandam, excepto tamen primo affinitatis gradu lineæ rectæ, quem ab aliis ſpecie differre arbitrantur ob ſpecialem, quam continet, deformitatem propter reve-

reverentiam quasi paternam debitam uxori patris, vel marito matris. Ex his tribus sententiis probabilibus secunda utpote tutior, in praxi utique consulenda est, spectata tamen ratione probabilior videtur ultima, quæ inter utramque media est.

204 Ad 4. Q. R. licèt non nulli ex antiquioribus cum Sylvest. *V. confessio q. 7. §. 9.* Angelo *V. vana gloria*, §. 1. & Armill. universim videantur affirmare, irritum, & infructuosum esse hoc sacramentum, si ex malo fine pœnitens illud recipere velit, communis tamen Recentiorum sententia apud Lug. *D. 15. S. 9.* contrarium tenet cum Suarez in præsenti *D. 2. S. 3. n. 4. & seqq.* Coninck. *D. 35. de matr. dub. 2.* Lug. l. c. Soto, Navarr. & aliis, dummodo finis, qui intenditur, non sit mortaliter peccaminosus, hoc ipso, quòd tunc pœnitens non haberet dispositionem necessariam, dolorem scilicet, & propositum non peccandi, atque adeò irrita & nulla esset confessio; quando verò intentio est mala solùm venialiter, Sacramentum non invalidatur; quia adhuc stare potest dolor, & propositum circa peccata mortalia, & circa alia venialia, quod sufficit ad valorem Sacramenti: Unde licèt talis Confessio sit cum peccato veniali conjuncta, quia tamen veniale non est obex gratiæ, fieri potest, ut non solùm talis Confessio sit valida, sed etiam ut absolutio sit fructuosa; cùm non obstet, quominùs quis possit spe veniæ obtinendæ, & gratiæ impetrandæ confiteri, & tamen simul faciat id ob vanam aliquam gloriam, si quidem in tali casu adest intentio suscipiendi Sacramentum, & omnia requisita ad illius valorem.

Conf. quia, ut latè explicat P. Coninck l. c. dumodo non excludatur finis principalis positivè, nolendo illum, non est obligatio sub mortali in hujusmodi rebus, non utendi illis, nisi desiderando positivè finem principalem. sicut ergo potest absque mortali contrahi matrimonium ad acquirendas divitias, vel honorem; sic potest Sacramentum pœnitentiæ absque culpa gravi ordinari ad aliquod aliud bonum, non excludendo finem principalem ipsius Sacramenti.

Nec obest, quod idem actus non possit simul esse bonus, & malus juxta communiorem, nam licèt non possit idem actus simul esse bonus, & malus bonitate, & malitia intrinseca; potest tamen esse bonus intrinsecè, & in se, & malus extrinsecè seu denominativè ex fine operantis, aut per malitiam alterius actûs. Sic potest quis ex motivo vanæ gloriæ, vel alterius finis mali velle exercere actus temperantiæ, justitiæ, & aliarum virtutum, ut possit postea de illis gloriari, vel ad alium finem malum,

qui actus sunt boni ex proprio objecto, mali autem ex fine extrinseco actûs imperantis, ut fusè probat Lug. l. c.

CASUS XXXV.

De Confessione, & Communione muti simul, & surdi à nativitate.

JUdas mutus, & surdus à nativitate, adultior factus tempore Paschali post tunsionem pectoris, & aliquot suspiria coram ostenso Crucifixo edita, fuit à suo Parocho absolutus, & ad S. Communionem admissus per complures annos. Postquam autem Parochus ex aliorum relatione certò intellexit, Judam contrahere consuetudinem de die & nocte furandi ex alienis hortis, & agris, curavit, ut ejus domestici illum jam 40. annos natum à furtis per minas, & signa eidem magis nota deterrerent, sed cùm nulla appareant emendationis signa, hócque notum sit Parochianis, Parochus à tempore jam trium annorum Judæ licèt coram aliis sæpiùs suo modo instanti, & quasi urgenti, absolutionem tamen negat, & Communionem.

QUÆR. I. An Parochus benè fecerit prima illa vice Judam surdum simul & mutum absolvendo, eúmque admittendo ad S. Communionem?

QUÆR. II. An benè postea ei negaverit absolutionem; & S. Communionem ob contractam eam furandi consuetudinem, sitque tale medium ulteriùs continuandum?

QUÆR. III. An Judas Surdus simul, & mutus à nativitate contrahere potuisset matrimonium?

205 AD 1. Q. R. rectè fecisse Parochum admittendo Judam mutum, & surdum ad utrumque Sacramentum, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia quantum ex adjectis, & perscriptis circumstantiis apparet, utriusque capax fuit, & quidem quoad Sacramen-

cramentum Pœnitentiæ tenet communis DD. cum, & apud Sanch. *l. 1. de matr. D. 8.* imò eum ad Confessionem teneri, docent Cajetan. *in Sum. V. Confessio condit. 11.* Tolet. l. 3. c. 6. Navar. *in c. fratres, d. 5. de Pœnit.* aliique, quia mutus & Surdus per nutus, alidque signa sufficienter potest aliqua saltem peccata exprimere, puta, iræ, impatientiæ &c. quæ sui accusatio per aliquod signum manifestata est vera confessio, ut notat citt. Tolet. Plerumque enim tales volunt & intendunt facere id, quod ab aliis fieri vident, videlicet, quòd cum dolore, & gemitu ad Confessarium accedant accusantes se de peccatis suis &c. quod & ipsi deprehendere possunt, ac solent tum aliorum exemplo, tum ex nutibus, & signis, quæ ab aliquo instructore ipsis adhibentur.

Advertit tamen hîc Laym. *l. 5. tr. 4. c. 4.* non esse talem absolvendum, excepto mortis periculo, etiamsi signa doloris edat, nisi unum saltem peccatum in specie v. g. iræ, impatientiæ, per consuetum aliquod signum, seu nutum aperiat, quia, licèt specifica, & particularis peccatorum explicatio non sit de necessitate Sacramenti, est tamen per se de necessitate præcepti Divini, quod pœnitentem obligat quamdiu, & quatenus servari potest.

Quoad Sacramentum Eucharistiæ id ipsum docent Palao *tr. 21. pun. 10. n. 9.* Abb in c. *cùm apud, n. 6. de sponsal* Laym. *l. c.* Gobat. *tr. 4. cas. 7.* Dian. aliique, asserentes, mutis, & surdis à nativitate, quando ex signis, nutibus, aliisque indiciis constat discretionem habere, & panem cœlestem sufficienter à profano discernere, non solùm in articulo mortis, sed etiam tempore Paschatis concèdendam esse S. Eucharistiam; quia licèt tales distinctè edoceri, atque intelligere omnia non possint, quæ ad substantiam Sacramentorum concurrunt, sufficit tamen, si aliorum exemplo, & magisterio instructi sciant hunc spiritualem cibum discernere à corporali, & profano, neque necesse est, ut qualititatem hujus cibi perfectè agnoscat, sed satis est, si illum à profano ita distinguat, ut tanquam remedium suæ salutis accipiat, & veritatem hujus Sacramenti agnoscat saltem implicitè, credendo esse spirituale donum Dei ad animæ suæ salutem institutum, quod proinde accipere velit secundùm illam intentionem, quâ ab aliis fidelibus, seu tota Ecclesia accipitur: imò nec satis liquet, an non talis surdus, & mutus speciali Dei auxilio adjutus mysterii hujus veritatem per exteriora signa agnoscat. Accedit, quòd hujusmodi hominibus Eucharistia valdè necessaria sit tum ad augmentum gratiæ, tum ad præcavenda peccata futura.

Quod si prudens Confessarius non qualemcunque discretionem, sed maturam, pietatem insuper, modestiam, & magnum illius desiderium in eo animadvertat, non solùm in Paschate, sed etiam aliis solemnioribus festis Eucharistiam eidem concedere poterit, ut notat citt. Palao; quia nulla apparet ratio, ob quam hæc sit ei deneganda; cùm se ad illam suscipiendam per actualem devotionem disponere possit. Si tamen quis mutus, surdus, & simul cæcus à nativitate foret, non esse S. Eucharistiam eidem administrandam meritò censent citt. AA. eò quòd tales incapaces existant, tanti cibi dignitatem, & excellentiam cognoscendi.

206 Ad 2. Q. R. non fuisse hæc duo sacramenta Judæ aliàs ad eadem admitti solito deneganda ob eam furandi consuetudinem, quam per furta minuta contrahere scribitur, eò quòd ex una parte alia remedia ad eam deponendam adhiberi possint, aliâque pœnâ puniri, non spirituali hac gravissima, sed corporali, eâque ad emendationem efficaciori, magisque proficua, v. g. verberatione, aliave simili castigatione, cùm deprehenditur furtim similia surripere. Ex altera parte Eucharistia, quâ tam longo tempore carere debet, sit ei maximè proficua, imò & valde necessaria ad præcavenda peccata futura; possitque se ad illam dignè suscipiendam præparare ex propria consideratione eorum, quæ ab aliis fieri videt, vel per aliorum inductriam ad illam disponi præmissa etiam Confessione, cujus omnia requisita hîc, & nunc habere potest, licèt postmodum mutata voluntate relabatur, aliisque insuper etiam coram aliis præsentibus editis pœnitentiæ signis, per quæ scandalum, si quod fortè ex illius susceptione oriri posset, tolleretur. Accedit, quòd non videatur Judas graviter deliquisse per minuta illa furta successivo tempore commissa, nisi fortè ab initio voluntatem habuisset notabilem quantitatem auferendi, nec satis agnoscere se lethaliter peccare Sacramentum eo in statu suscipiendo. Aliud tamen dicendum foret, si consuetudinem contraheret auferendi malitiosè summas graves, ita ut publicus peccator audiret, neque post seria monita, & castigationem adhibitam à peccato desisteret, idque aliis etiam constaret; quia Eucharistia, peccatori sive facto, sive jurê publico illam petenti, neganda est juxta unanimen DD. consensum, sive privatim petat, sive publicè, quia tunc petens nec jus verum, neque apparens habet petendi. Ubi maximâ opus est prudentiâ in repellendo peccatore à publica communione, ut notat Palao *l. c. p. 20.* eò quòd te inscio potuerit peccatum suum retractâsse, illiúsque seriò pœnituisse, aliáque si quæ sunt, impedimenta sustulisse; præstat tamen

men, ut, cùm peccatum tibi, & aliis notum sit, tibi quoque & aliis notus sit recessus ab eo, ut constet petentem Eucharistiam ad illius susceptionem dispositum esse: In articulo tamen mortis peccatori publico petenti non esse hoc Sacramentum denegandum, docet communis cum Suarez *D. 67. S. 6.* quia quisque præsumitur se tunc velle ritè disponere, & optimum, quod potest, animæ suæ remedium adhibere, scandalum quoque tollitur per extremam illam gravissimam necessitatem, vel per Ministrum Sacramenti pœnitentiam occultam moribundi ex hujus consensu manifestando, si opus esse videatur, id, quod Tambur *n. 24.* faciendum esse ait saltem tunc, quando ad moribundum Eucharistia publicè deferenda esset.

207 Ad 3. Q. non improbabiliter censent Bald. *l. discretis n. 1. C. qui test. fac. post.* Jas. n. 8. Anchar. n. 5. & alii, mutum simul, & surdum à nativitate non posse matrimonium contrahere. Ratio est; quia non videntur tales habere posse legitimum consensum; nam licèt ex naturæ instinctu norint, quid sit copula, illiúsque ardore brutorum more premantur; quid tamen matrimonium sit, & quid importet, scire posse non videntur. 2. Quia mutus simul, & surdus à nativitate uxta *l. qui id, quod 34. §. Mutus verb. donare, ff. de donat.* donare non potest: ergo multò minùs inire contractum sponsalitium, & matrimonium. Verùm.

Contrarium probabiliùs tenent, siquidem talis homo perspicacis sit intellectûs, Cov. *4. decretal. 2. cap. 2. fin.* Host. *c. cùm apud, vers. Surdus.* Præpos. *n. 5.* Tabiena *q. 6. n. 7.* Greg. Lop. *l. 5. tr. 2. p. 4.* Card. *n. 1.* Alex. de Nevo *n. 12.* Sanch, *l. 1. D. 8.* aliique.

Ratio est, quia cùm ex una parte matrimonium nullibi eis prohibitum reperiatur, difficillimum esset eos compellere ad castè vivendum, & remedium ad libidinis ardorem compescendum à naturæ Authore concessum eis denegare: ex altera parte muti, & surdi tam perspicacis sæpè & acuti sunt intellectûs, ut multa explicatu difficillima facilè signis manifestent, aliáque ipsis significata, & explicata facilè percipiant, & intelligant, ut docet experientia.

Conf. ex *c. cùm apud de sp.* ubi ad quæstionem an mutus & surdus matrimonialiter copulari possint? respondetur sic in num. singulari, *si talis* (nempe mutus, & surdus, de quo erat quæstio) *velit contrahere, non debet sibi denegari.* Ubi cùm in singulari loquatur, de muto simul, & surdo intelligendum esse videtur. Demum si surdus, & mutus potest esse capax Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ut suprà dictum est, non est, cur signis etiam edoceri

possit, ut, quid sit matrimonium, intelligere, & consensum signis indicare queat. Unde patet etiam responsio ad 1. rationem in contrarium allatam.

Ad 2. R. id in jure Civili circa eos contractus expressum, & prohibitum esse, eò quòd muti simul & surdi aliàs facilè decipi possent, cùm difficile admodum sit eorum contractuum vim & naturá nosse. De contractu autem matrimoniali nullibi id prohibitum reperiatur; essétque aliàs durissimum eos compellere continenter vivere, & remedium ad sedandum libidinis æstum à Christo institutum eis denegare, ut suprà insinuatum est.

CASUS XXXVI.

De jurisdictione, & Casibus reservatis.

Simpson Parochus à Bonifacio vicino Parocho ad audiendas die Dedicationis confessiones invitatus Summo mane comparet, sedétque pro tribunali, & pœnitentium Confessiones audit, inter quos advena quidam S. tribunal subit cum duplici gravi peccato, uno reservato Episcopo Diœcesis ipsius pœnitentis, altero reservato Episcopo in Diœcesi ipsius Confessarii. Simpson licet non nihil dubitaret, putans tamen se advenas, & peregrinos absolvere posse, eum ab utroque casu reservato absolvit sine alia obligatione se sistendi habenti potestatem in reservata.

QUÆR. I. An peregrini, & advenæ habentes casum reservatum in sua Diœcesi, & transeuntes ad aliam Diœcesim, ubi non est reservatus, absolvi possint à quovis approbato Confessario?

QUÆR. II. An iidem ab eodem absolvi possint, si peccatum sit duntaxat reservatum in Diœcesi Confessarii; non verò in Diœcesi pœnitentis, seu peregrini?

QUÆR. III. An peccare dicendus sit Simpson Sacerdos absolvens cum jurisdictione dubia, vel ex ratione probabili?

Ad

208 AD 1. Q. R. Confessarium, habentem potestatem in Diœcesi absolvendi à reservatis, non solùm posse eam exercere etiam in advenas, & peregrinos ex tacito consensu Prælatorum, & generali consuetudine, vi cujus peregrini, & advenæ, ut incolæ, à Diœcesium Confessariis absolvuntur, uti contra Sotum *d. 18. q. 2. a. 4.* docent S. Anton. *3. p. tit. 17. c. 4.* Cajetan. *Summ. V. absolutio 2.* Suarez *D. 30. de Pœnit. Sect. 1. n. 4.* Lugo *D. 20. n. 71.* Paud. & alii.

Verùm etiam posse peregrinos, & advenas etiam absolvi à quovis alio Sacerdote approbato, quando casus est duntaxat reservatus in propria peregrinorum, & advenarum Diœcesi. Ita Suarez *D. 33. S. 1. n. 5.* Navar. *in man. cap. 27. n. 275.* Lacroix *l. 6. p. 2. n. 1631.* Octavius Maria à S. Joseph. aliique cùm, & apud Bonac. *D. 5. q. pun. 5. §. 2. n. 9.* Ratio est; tum quia Confessarii non tenentur scire casus aliis aliarum Diœcesium Episcopis reservatos; tum quia reus, seu pœnitens, ut incola, judicandus est juxta forum, & leges loci illius, in quo reperitur; tum quia reservatio Episcopalis vim tantùm habet intra Diœcesin reservantis; tum denique quia adesse censetur tacitus Prælatorum consensus. Et ita declaravit etiam Clemens X. *in Const.* quæ incipit: *Superna, edita Anno 1670.* addita tamen hac limitatione, *nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Diœcesin pro absolutione obtinenda migrâsse.* Tum quia tunc non censetur illorum Episcopus consentire; tum quia par non est, ut fraus, & dolus eis patrocinentur; qualis fraus tunc contingeret, quando quis habens reservata in sua Diœcesi, absque necessitate, datâ operâ, consultò, ac Studiosè pergeret in aliam, in qua non sunt reservata, ut ibi absolvatur, & proprium Pastorem evitet; tunc enim ageret in fraudem reservationis, & reservatio non haberet effectum.

Ad 2. Q. An peregrini, & ad- 209
venæ à quovis approbato Confessario absolvi possint, si habeant casum tantùm reservatum in Diœcesi Confessarii, non verò reservatum Episcopo proprii domicilii, seu in Diœcesi ipsius pœnitentis? Censent non nulli cum Fagund, & Stoz posse eos absolvi. Rationem dant; quia reservatio fit ab Episcopo in propriæ Diœcesis bonum, & circa peccata suorum Diœcesanorum; non autem peregrinorum, qui non sunt Oves suæ Diœcesis, nec subditi, & insuper Confessarius viatorum absolvat per jurisdictionem ab Episcopo viatoris ex recepta consuetudine delegatam, quæ ab alio respectu non subditi restringi nequit.

Con-

210 Contrarium tamen meliùs, ac probabiliùs docent plerique cum Suarez l. c. Navar. l. c. n. 261. Lug. Cajetan. Bonac. Diana, Averſa, Con. Marchant. Bordon. &c. negantes poſſe eos abſolvi, niſi ab habente poteſtatem abſolvendi à reſervatis. Ratio eſt; tum quia Epiſcopus hujus Diœceſis reſpectu talis peccati directè ſuſtulit Confeſſario jurisdictionem, eò quòd reſervatio immediatè Confeſſarium tangat, cui tollitur jurisdictio in reſervata; tum quia, licèt peregrinus non ſit aliàs ſubditus, judicatur tamen tunc ut ſubditus, & incola illius loci, cùm judicandus ſit juxta leges, & conſuetudinem loci, in quo reperitur; & maximè in foro Sacramentali pœnitens judicari debet, & abſolvi ſecundùm conditionem delictorum, quæ confitetur, & jurisdictionem quam obtinet Confeſſarius pro eo tempore, quo pœnitentis confeſſionem audit: cùm ergo tunc temporis Confeſſarius reſpectu reſervatorum ligatam, & impeditam habeat jurisdictionem, & pœnitens in ordine ad hunc actum fiat ejus ſubditus, ideircò neminem extra mortis articulum abſolvere poterit. Quæ ratio militat à fortiori, ſi peregrinus caſum habet reſervatum utrique Epiſcopo, prout etiam declaratum eſt à Clemente X. l. c. Neque obſtat, ſi dicas, peregrinum non incurrere in cenſuram latam ab Epiſcopo loci, in quo confitetur, quando peccavit extra ejus Diœceſin: ergo neque in reſervationem, quæ cùm habeat rationem pœnæ, afficere debet tantùm ſubditos, non peregrinos, & viatores. R. enim n. parit. quia cenſura per ſtatutum lata immediatè afficit territorium, illíque cohæret, atque ideircò neminem ligat extra territorium peccantem, teſte Laym. Reſervatio verò non afficit propriè territorium, nec in territorio exiſtentes, ſed immediatè afficit Confeſſarios, quibus adimitur, vel limitatur jurisdictio, ne ſcilicet abſolvant tali crimine obſtrictos; & quòd reſervatio nihil operetur directè, & immediatè circa pœnitentes, patet etiam ex eo, quòd ſi Diœceſanus commiſſo crimine reſervato in Diœceſi, deinde ſe transferat bona fide ad aliam Diœceſin, ubi tale delictum non eſt reſervatum, poſſit ibi per Confeſſarium ſimplicem approbatum abſolvi, ut ſuprà inſinuatum eſt. Quod non fieret, ſi reſervatio immediatè & directè afficeret Diœceſanum peccantem. Ex dictis colligitur etiam reſponſio ad rationem in contrarium allatam. 211

Ad 3. Q. R. cum Suarez *D. 26. ſect. 6.* Coninck *d 8. dub. 6. n. 45.* Palao *tr. 23. D. unic. p. 14.* Regin. aliisque Sacerdotem habentem jurisdictionem dubiam in peccata pœnitentis illicitè abſolvere, & peccare, niſi gravis neceſſitas urgeat, qualis v. g. eſſet, ſi præcepto annuæ

nuæ Confessionis pœnitens obligaretur, vel si absque nota, & scandalo non posset communionem, aut Missam differre, nec alius adesset, cui posset confiteri. Ratio est, quia absolvens cum tali dubio exponit se periculo conferendi Sacramentum invalidè, quod extra casum magnæ necessitatis non licet; urgente tamen necessitate licitè absolvit, adjecta tunc conditione, *si*, vel *in quantum possum*, & monito pœnitente, ut iterum confiteatur alicui certam jurisdictionem habenti, ut notant citt. DD. cum aliis, licèt Salas *tr. 8. d. 1.* hoc onus non agnoscat.

Expedit tamen in hoc casu peccatum aliquod veniale adjicere, in quod absolutio certò validè, & directè cadat, sicque ab hoc directè, à cæteris verò peccatis saltem indirectè pœnitens absolvatur.

Quod si Sacerdos ex ratione verè probabili resolvat, se habere
112 jurisdictionem in peccata pœnitentis, licitè absolvit, ut docent Suarez l. c. Lugo *D. 19. n. 20.* Coninck. l. c. Palao, Bonac. Sanch. Turrian. Mald. Præpos. aliique. Tum quia tunc est practicè certus de actione licita, & jurisdictione in aliqua saltem peccata pœnitentis, utpote qui ordinariè confitetur aliqua venialia simul cum mortalibus; tum quia Pontifex pro eo casu dat facultatem, & jurisdictionem propter communem fidelium utilitatem, & probabilem DD. opinionem id affirmantium, quo in casu docet Lugo l. c. à n. 28. cum communiore sententia Suarez Dianæ, Palai, Bonac. Dom. Viva, & aliorum citt. Ecclesiam propter commune bonum dare tunc jurisdictionem, etiamsi sententia illa esset reipsa falsa, sicut dat jurisdictionem propter publicam utilitatem, quando intervenit communis error cum titulo colorato, v. g. dum aliquis passim putatur esse Pastor, qui ob censuram, vel alium defectum re vera talis non est; tunc enim Ecclesia supplet defectum, & jurisdictionem impertit propter communem pœnitentium utilitatem juxta communem DD. & patet ex *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* imò etiam cùm solùm intervenit error communis absque titulo colorato, ut docent plurimi apud Dianam *R. 94.* & Domin. Vivam *in propos. 1. damn. ab Innoc. XI.*

In mera tamen probabilitate non licere Confessario absolvere, nisi aliunde accedat certitudo practica, vel eligi non possit tutior, constat ex propositione hac ab Innoc. XI. proscripta: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Nec obest, inquit hîc Cardenas *D. 2. c. 3.* quòd Confessarius absolvat pœnitentem habens cognitionem duntaxat probabilem de recta dispositione pœnitentis; quia non potest dici, quòd tunc relinquat tu-

tiorem, quando impossibile est, tutiorem sequi; est autem impossibile, ut plurimùm, ut Confessarius habeat cognitionem plusquàm probabilem de legitima dispositione pœnitentis, cùm ea cognitio nitatur dicto pœnitentis, aut aliis signis externis fallibilibus; & ideo operatur juxta cognitionem facti probabilem, sed non relinquit tutiorem, utpote plerumque impossibilem; alias ferè nunquam posset absolvere pœnitentem, nisi in mortis articulo.

CASUS XXXVII.

De potestate delegata, alteri concessa ad se absolvendum, & secum ipso dispensandi, ac Confessiones audiendi.

MAuritius Episcopus facultatem obtinuit absolvendi suos subditos à Casibus Pontifici reservatis; cùm autem ipsemet in Casum Pontifici reservatum inciderit, subdelegat suam potestatem suo Confessario, ut se ab illo absolvat, qui, vix finita absolutione, tactus apoplexiâ extinguitur; In jejunio verò, voto, & in iis, in quibus cum suis subditis dispensare potest, ipse Mauritius non nunquam secum ipso dispensat.

QUÆR. I. An Episcopus, vel Abbas, possit secum ipso dispensare in jejunio, voto, & iis, in quibus potest cum suis subditis?

QUÆR. II. An rectè Mauritius suo Confessario subdelegaverit suam potestatem ad se à Casu reservato absolvendum?

QUÆR. III. An potestas alicui delegata ad Confessiones audiendas, mortuo delegante, exspiret?

213 AD I. Q. Satis conveniunt DD. Episcopos, Abbates, aliósque superiores, qui potestatem habent cum suis subditis dispensandi, posse secum ipsis dispensare indirectè, quando scilicet in lege jejunii v.g. vel testi dispensant pro tota Civitate, vel conventu,

ventu, eos quoque in tali dispensatione includi, utpote qui sunt præcipua membra, & pars Communitatis.

Sed tota difficultas est, an dispensare secum ipsis possint directè, in votis, juramentis, præceptis Ecclesiæ, & aliis, in quibus possunt cum suis subditis dispensare? Ubi non pauci concedunt quidem Summum Pontificem secum ipso dispensare posse ob plenissimam, quam habet, potestatem; negant verò de Prælatis inferioribus habentibus potestatem ab illo derivatam. Alii complures generaliter id negant de omnibus ob sequentes rationes.

Prima desumitur ex *C. fin. de institu.* ubi deciditur, eum, qui beneficium conferre potest, non posse se ipsum instituere, & ratio subditur, quòd *inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis.* 2. *Ex l. quamquam 1. ff. de auth. & conf. tutor.* ubi Regula Juris est, *in rem suam auctorem tutorem fieri non posse.* 3. Quia idem super semetipsum jurisdictionem exercere nequit, *l. ille, à quo vers. Tempestivum, ff. ad Trebel. & l. pen. ff. de recept. arbitr.* Dispensare autem est actum jurisdictionis exercere, & actum superioris in subditum, qui proin erga semetipsum exerceri nequit, cùm nemo possit esse se ipso superior. 4. *Ex c. magnæ 7. de vot.* ubi Innoc. III. Laudat Episcopum Trecensem, quòd noluerit, se obligatione voti peregrinationis, quam voverat, exemptum judicare absque sedis Apostolicæ consilio. Ubi Glos rationem reddens *Verb. Consilio*, ait, *quia nemo juramentum, vel votum suum debet interpretari.* 5. Quia superior nequit se absolvere à censuris, vel aliis pœnis, & inhabilitatibus; ergo neque secum dispensare; ejusdem enim est ligare, & solvere *C. inferior d. 21. & C. cùm inferior de major.* nemo autem legislatorum potest lege aliqua se ligare; adeóque neque absolvere secum dispensando.

Hæ modò allatæ rationes, si quid evincunt, probant etiam Pontificem secum ipso dispensare non posse; plenitudo enim potestatis in Pontifice præ cæteris Prælatis in eo solo versatur, quòd sit generalis in toto orbe, & ab illa reliquorum Prælatorum potestas derivetur, posítque ex justis causis coarctari; nullus autem textus, vel ratio probat ad eam pertinere, ut solus Pontifex possit secum dispensare. Unde

Ad 1. Q. R. Episcopos posse 214
probabiliùs secum ipsis dispensare in votis, juramentis, iisque aliis casibus, in quibus possunt cum suis subditis, nisi fortè speciale aliquid obstet. Ita communior sententia cum Suarez *l. 6. de LL. c. 12. n. 8.* Sanch. *l. 8. D. 3. n. 8.* Palao *tr. 3. D. 6. p. 7. §. 1.* Bonac.

D. 4. q. 2. p. 7. n. 31. Covar. *cap. Alma 1. part. §. 1. n. 7.* Salas *D. 20. sect. 3. diffic. 3. & sect. 12.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 2. à n. 31.* Rodriq. *2. p. cap. 30. n. 4.* Henriq. *l. 14. cap. 18.* Basil. *l. 8. c. 4. n. 9.* Azor *l. 7. c. 29.* Soto, Lud. Lopez, Armill. Emman. Sà, aliisque pluribus. Ratio est; quia jurisdictio hæc secum dispensandi non est contentiosa, quæ testium probationem, ac partis citationem desideret, & sic personarum distinctionem exigat; sed solam postulat velut directionem ex prudenti judicio ad perpendendam justitiam causæ dispensationis, quod non repugnat erga se ipsum haberi, quamquam magis expediens foret, ac securiùs alieno stare judicio; Neque jurisdictio hæc est punitiva, seu coactiva, quam in semetipsum exerceri repugnat, sed est jurisdictio voluntaria, & gratiosa, quæ distinctionem personarum non requirit, & in qua potest quis secundùm diversas rationes esse agens, & patiens, ac plurium vices sustinere, dummodo exercitium unius actûs non obstet exercitio alterius, prout latè probat Abbas *c. ex litteris, n. 11.* constatque *ex l. si Consul ff. de adopt.* ubi si filius familias præses sit, potest semetipsum emancipare, vel in adoptionem tradere. Sic licèt nil æquè requirat distinctionem personarum, ac actus justitiæ, cùm de ratione hujus sit esse ad alterum, nihilominus datur justitia ejusdem personæ ad semetipsam diversis rationibus consideratam, ut constat in Christo Domino, qui ut Deus homo satisfecit de rigore justitiæ, & quatenus una erat ex personis Divinis, sibi ipsi satisfecit: ergo neque repugnabit, actum hujus jurisdictionis erga &c. se ipsum exerceri posse.

Conf. neque ex Jure naturali, neque ex positivo repugnat aliquem secum ipso dispensare: ergo hoc negandum non est Episcopo, aliive superiori. Non Jure naturali; nam si inde repugnaret, tunc ideò, quia dispensatio requirit distinctionem personarum, eò quòd sit actus jurisdictionis, qui debet erga alium exerceri: atqui ex hoc capite nulla est repugnantia, quia jurisdictio, quæ requirit distinctionem personarum, est jurisdictio coactiva, & contentiosa, quæ inter partes fieri debet, vel quæ sententiam requirit condemnatoriam, vel absolutoriam; at jurisdictio, quæ in dispensatione exercetur, non est talis, sed est omninò voluntaria: adeóque non repugnat, ut quis erga se ipsum illam exerceat.

Neque ex Jure positivo repugnat, si quidem nullibi reperitur generaliter prohibitum esse, superiorem non posse secum dispensare in iis, in quibus potest cum suis subditis; ratio enim in C. fin. citt. insinuata, quòd inter dantem, & accipientem debeat esse

distinctio

distinctio personalis, non est generalis, ut constat ex pluribus textibus ab Abb. in contrarium adductis, sed est specialis in illo casu Beneficiorum, ut vitetur iniquum ambitionis exemplum in Prælatis, & maximum inconveniens, quod esset, si Prælatus Beneficiorum distributor sibi ipsi Beneficium conferret.

Conf. 2. Vel hæc dispensatio secum ipso facienda est in lege propria, vel in lege superioris? Si primùm, tunc non est propriè dispensatio, cùm nemo propriè, ac directè sua lege ligetur, sed ligatur lege naturali dictante, eum non esse excusandum ab obligatione suæ legis, si honestam aliquam excusationis causam non habeat; dein etsi esset propriè, ac directè sua lege ligatus, posset tamen se ab illa solvere nolens obligari, siquidem obligatio legis ex propria ejus voluntate pendet; si verò ex causa dispenset in lege superioris, & ex ejus commissione, tunc, dum hic superior ipsi potestatem dispensandi concedit, ne Superior deterioris conditionis sit, quàm subditi, censetur hanc ipsam eidem etiam concedere quoad se ipsum. Eodem modo dicendum est de voto, & juramento; nomine enim Dei Superiores obligationem hanc remittunt, quibus à Deo hæc potestas non solùm quoad subditos, sed etiam quoad se ipsos censetur concessa. Unde

Ad argumenta in contrarium suprà proposita R.

Ad 1. Patet responsio ex dictis; quia ratio in citt. c. fin. data non est sumenda generaliter, sed in illa materia Beneficiorum ob allatas suprà rationes.

Ad 2. R. Id speciale esse gratiâ fraudum vitandarum: Unde negatur paritas; quia ibi est periculum damni in bonis pupilli, quale damnum non est in illa dispensatione.

Ad 3. R. Id verum esse de jurisdictione punitiva, & contentiosa; non autem de jurisdictione voluntaria, quæ juxta dicta potest ab aliquo in se ipsum exerceri, ubi satis est, si eadem persona respectu sui ipsius sit superior, & inferior secundùm diversas rationes.

Ad 4. Episcopus ille laudatur, non quia fecit opus necessarium; sed quia fecit opus supererogatorium, & maximè decens.

Ad 5. R. absolutionem à censuris esse quamdam sententiam, quam nequit quis in se ipsum dictare, se seque absolvere, uti neque ab aliis pœnis, quæ sententiam requirunt, quasque per sententiam contraxit; quoad alias autem pœnas, quas quis ipso jure incurrit, quæque sententiam non requirunt,

ſicut poteſt cum aliis, ita probabiliùs poteſt etiam ſecum ipſo diſpenſare, ut patet ex dictis: imò tali caſu potiùs dispenſat Superior, à quo hanc poteſtatem accepit,& qui pœnam impoſuit, ut notat citt. Palao, qui cum Sanch. Suarez, & aliis citatis traditam ſuprà doctrinam extendendam eſſe ait ad Prælatos regulares, Generales, Provinciales, Priores, Rectores, & qui illorum vices in abſentia gerunt; quia hi omnes jurisdictionem habent quaſi Epiſcopalem in ſuos Religioſos, & poteſtatem ordinariam diſpenſandi in jejuniis, votis ſubditorum, ac aliis præceptis ratione ſui muneris inſtar Epiſcoporum cum ſuis ſubditis,ut cum citt. DD. notant etiam Nav. *l. 1, Conſ. in 2. edit. conſ. 36. & in Summ. c. 12. n. 75.* & Azor *l. 7. inſt. mor. c. 29. q. 6.*

215 Ad 2. Q. Negativam tenet Beja cum aliis *par. 4. caſ. 5.* eò quòd jurisdictio delegata non extendatur ultra perſonas in delegatione expreſſas, *C. P. & G. de offic. delegati.* atqui in hac delegatione, & facultate, quam obtinuit Mauritius, exprimuntur tantùm ſubditi: ergo non debet extendi ad eorum Paſtorem, ſeu Epiſcopum.

Nihilominus tenenda eſt affirmativa, & dicendum, ſi alicui ratione officii ſui delegata ſit poteſtas abſolvendi, vel diſpenſandi cum tota Communitate, ſeu omnibus ſubditis, poſſe eum in caſu particulari illam alteri ſubdelegare, eique conceſſum eſſe, ut talem abſolvendi poteſtatem ſuo Confeſſario committat, exercendam erga ſe ipſum, ſi tali abſolutione indigeat. Ita Suarez *D. 30. S. 2. & 41. S. 1.* Sanch. l. c. n. 3. Palao *l. c. §. 1.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 10.* Rodriq. *l. 1. reg. qq. quæſt. 21. a. 8.* Palud. Gabr. Sayr. Emman, ſà, Tabien. aliique plures apud Sanch. l. c. Ratio eſt; quia ex una parte non repugnat, Epiſcopum jurisdictionem in ſemetipſum exercere, etiam in abſolutione Sacramentali, committendo Confeſſario, ut ipſum Epiſcopum abſolvat, ut conſtat ex communi ſententia, aſſerente, Confeſſarium Pontificis ab ipſomet ſortiri jurisdictionem ad illum abſolvendum; ex altera parte non decet Epiſcopum deterioris conditionis eſſe, quàm ſuos ſubditos, qui præ manibus habent, à quo poſſint abſolvi; Epiſcopus verò debeat abſentem quærere: Unde in *c. fin. citt.* datur facultas Prælatis exemptis eligendi Confeſſarium, qui eos abſolvat,ne cogantur abſentem ſuperiorem adire.

Conf. ex declaratione Congregationis Concilii Trid. apud Suarez l. c. ubi, *ſi Epiſcopus in aliquod delictorum*, (de quibus Trident. *Seſſ. 24. c. 6. de Reform.*) *lapſus ſit, licitum eſſe ad ſe abſolvendum, proprium Confeſſarium deputare, cum eadem*

dem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere. Accedit, quòd Papa tribuens Episcopo generalem facultatem Diœcesanos à casu Papali absolvendi, censeatur auferre reservationem respectu talis Diœcesis, ut cum aliis notat Suarez l. c. n. 15. Unde

Ad fundamentum contrariæ sententiæ R. illud tunc locum habere, quando potestas alicui delegatur respectu certarum duntaxat personarum; secùs si delegetur respectu omnium subditorum, seu totius Communitatis; tunc enim ex quadam æquitate, & in re favorabili censeri etiam comprehensum ipsum Pastorem Communitatis, ob allatas rationes.

216 Ad 3. Q. Notandum est, delegationem posse esse generalem, & indeterminatam, & specialem respectu certarum duntaxat personarum. Loquendo de generali, & indeterminata, non nulli cum Palud. *in 4. d. 17. q. 4. a. ult. concl.* 7. S. Anton. *p. 3. tit. 17. c. 9. in fin.* Sylvest. *V. Confessor 9. 7.* Ang. *V. Indulgentia n. 7.* Philiarch. *tom. 1. de offic. Sacerd. p. 2. l. 2. c. 24.* aliisque censent satis probabiliter potestatem delegatam ad audiendas Confessiones exspirare morte delegantis. Rationem dant; quia potestas jurisdictionis delegata, mortuo concedente, exspirat, re integra adhuc existente, id est, antequam delegatus cœperit jurisdictione uti, sicut ex communi docet Abb. in *c. relatum n. 7. de offic. & potest. Judic. delegati.* & patet ex alibi dictis: Atqui potestas audiendi Confessiones est potestas ad exercendam jurisdictionem, & res est adhuc integra quoad omnes eas personas, quarum Confessiones nondum cœptæ sunt audiri: ergo.

2. Quia hæc potestas videtur esse gratia facienda, non facta; cùm Episcopus non concedat facultatem audiendi Confessiones in favorem ipsius Confessarii, sed in gratiam pœnitentium, ut ovium saluti consulat, prout ex officio tenetur: ergo concedentis morte, re integra, exspirabit, juxta eâ, quæ alibi dicta sunt de gratia facienda.

Sed contrarium, idque probabiliùs, asserendum est, ac dicendum cum Navar. *c. placuit n. 162. de Pœnit. d. 6.* Sanch. *l. 8. D. 28. n. 72.* Laym. *l. c. n. 22.* Henriq. *l. 6. c. 6. n. 7.* Sà *V. gratia n. 4.* Sayr. *tom. 1. l. 7. c. 14.* Graff. *1. p. decis. l. 1. c. 12.* aliisque, licentiam audiendi Confessiones concessam ab Episcopo, aliove Ordinario potente concedere, non exspirare morte concedentis. Ratio est, 1. quia omnia jura, ut notat Sanch. l. c. quæ decidunt potestatem jurisdictionis perire morte delegan-

tis

tis re integra, agunt de potestate contentiosa, seu ad lites, qualis non est potestas audiendi Confessiones, hæc enim computatur inter gratias, quæ, si gratiæ factæ sunt, non exspirant morte concedentis; illa verò computatur inter Justitiæ litteras, ubi mortuo delegante jurisdictionis potestas delegata exspirat, si res sit integra, ut constat ex *C. sanè, C. relatum, C. gratum,* aliisque, idque etiam ideo, quia jurisdictio ad Justitiam alicui delegata habet rationem mandati, mandatum autem exspirat morte mandantis. Ut alibi dictum est; contra verò potestas audiendi Confessiones meritò computatur inter gratias factas; quia, licèt remotè tendat in utilitatem pœnitentium, cùm tamen non concedatur respectu personæ determinatæ in peculiarem illius favorem, atque ad ipsius petitionem, sed generatim & absolutè, reputatur potiùs gratia proximè, ac directè facta ipsi Sacerdoti, cui conceditur, & in cujus maximum favorem, & beneficium redundat, & Statim, ac ipsi conceditur, est perfectè concessa, & à nullius executione dependens, quæ est gratiæ factæ definitio, ut notat Sanch. n. 48. gratiam autem, seu beneficium Principis decet esse mansurum.

Conf. ex ipsa praxi; nam mortuo Episcopo Pœnitentiarius, aliique Confessarii ab ipso exposîti pergunt concessa sibi facultate uti, donec à Capitulo, vel successore revocetur, quin & ipsos Sacellanos, & cooperatores à Parochis ad audiendas Confessiones assumptos, iis mortuis, videmus, inquit Ægid. *D. 8. dub.* 10. suo officio fungi, donec à successore amoveantur.

Ex his patet responsio ad argumenta in contrarium allata. Nam quòd potestas jurisdictionis delegata exspiret re integra, intelligendum est de jurisdictione delegata contentiosa, seu ad lites; secùs quando est in solo conscientiæ foro, & gratiosa, utpote quæ non habet rationem mandati, sicuti prior, sed gratiæ, & beneficii. Demum delegatus ad Justitiam vices gerit delegantis, ejúsque personam repræsentat, juxta citt. *cap. sanè.* Cùm ergo mortuo delegante exspiret ejus jurisdictio, per consequens exspirat etiam jurisdictio in delegato, quia extincto jure Auctoris, extinguitur etiam jus acceptoris, *l. lex vectigal ff. de pignoribus.* At verò delegatus ad confessiones audiendas judicium in foro conscientiæ exercet non in persona delegantis, sed in persona, & auctoritate Christi per ordinis potestatem.

Secùs

Secùs tamen dicendum foret, si licentia concessa esset Sacerdoti ad audiendas Confessiones alicujus determinati pœnitentis, in illius pœnitentis favorem; tunc enim facultas exspiraret morte concedentis, re integra, id est, quoad Confessionem nondum audiri cœptam; quia cùm illa gratia sit in illius pœnitentis favorem concessa, & nondum sit perfecta, sed per Confessarium executioni primùm mandanda, non habet rationem gratiæ factæ, sed faciendæ, quæ morte concedentis, re integra, exspirat, juxta alibi dicta. Ex quo capite AA. communiter etiam asserunt, facultatem dispensandi cum determinata persona, in illius favorem concessam, morte concedentis exspirare re adhuc integra.

CASUS XXXVIII.

De pœnitentia à Confessario pœnitenti imponenda, & à pœnitente acceptanda.

Titius helluo jejunare non assuetus pro pœnitentia à Confessario accipit, ut per dies aliquot Sabbatinos jejunet, & à sacra mensa eo die abstineat, sed post octiduum confiteatur, & communicet.

QUÆR. I. An Confessarius benè, & absque violatione Sigilli potuerit pro pœnitentia ea jejunia imponere?

QUÆR. II An possit à Confessario pro pœnitentia imponi, ut pœnitens abstineat à Sacra Communione?

QUÆR. III. An justam pœnitentiam à Confessario impositam possit pœnitens recusare, aut dissimulare, se illam acceptare animo tamen non explendi, eò quòd velit in Purgatorio expiare pœnam peccatis debitam, vel eò quòd sciat se posse lucrari Indulgentiam plenariam? Item an pœnitenti liberum sit, inchoatam Confessionem abrumpere, & sententiam hujus Sacerdotis declinare, alium adeundo?

QUÆR. IV. Qualem & quantam pœnitentiam Confessarius imponere debeat, & an hæc solùm per modum consilii, aut sub conditione, imponi possit?

ANte solutionem primi Q. præmittendum est priùs, Confessarium ex Trident. *Sess. 14. c. 8.* obligari sub gravi peccato per se, & regulariter loquendo injungere pœnitentibus Salutares, & convenientes Satisfactiones, ac pœnitentias; & ratio est, quia ex officio suo debet tanquam Judex debitam pro peccatis pœnam exigere, & tanquam Medicus pœnitentem à relapsu præservare, & tanquam Minister Sacramenti illud integrali sua parte non mutilare. Hoc præmisso.

217 R. Ad 1. Q. Confessarium Titio helluoni, cæteris paribus, benè imposuisse pro pœnitentia jejunia aliqua, idque sine Sigilli violatione, benè quidem; nam helluoni per se vel maximè convenit abstinentia à cibo, seu jejunium, utpote pœnitentia Salutaris, & competens, & quidem, si posset, deberet Confessarius tantam imponere pœnitentiam, quæ in hac vita æquivaleret pœnæ Purgatorii, si Confessarius sciret, quantam deberet pœnitens pro peccatis hîc & nunc clavibus subjectis sustinere in Purgatorio, & quanta pœnitentia in hac vita æquivaleret tali pœnæ, ut benè monet Card. de Lugo *D. 25. n. 6.* Idque per se loquendo; nam per accidens attendendum est ad facultatem pœnitentis, uti sunt robur corporis, & bona fortunæ; item dispositio animi, magnitudo contritionis &c.

Hinc autem fit, ut Confessarius prudenter æstimare debeat, an vires Titii sint tales, ut commodè pati possit jejunium; nam fieri potest, ut quis natura sit helluo, ut sunt, qui intestinum rectum habent, & tamen viribus sit infirmus. Pœnitentia porrò rationabilis esse debet, nam si irrationabilis esset, talem quantumvis acceptatam non obligari pœnitentem peragere, communiter docent DD. Nec imponenda est pœnitentia gravis ei, qui videtur ægrè, vel omninò non impleturus, maximè si pœnitens de ea conqueratur, vel roget pro alia sibi faciliore; tunc omninò ejus infirmitati condescendendum est, & pœnitentia moderanda, aut prorsus mutanda, tum ne tali pœnitenti præbeatur occasio novi peccati per omissionem pœnitentiæ quantumvis peccatis proportionatæ: tum ne talis pœnitens tristis, & afflictus discedens in periculum desperationis conjiciatur, vel ne quærat Confessarium, qui nesciat eum curare, aut ne penitus absterreatur à frequentanda Confes-

sione,

sione, ad quam potiùs habitualis peccator alliciendus esset; cùm longè utiliùs sit peccatoribus frequenter Confiteri, quàm alia opera pœnalia exercere, ut ait Dicastillo.

Hinc præstat cum parva pœnitentia, quæ tamen videtur implenda, ducere pœnitentem ad Purgatorium, quàm cum magna non adimplenda præcipitare in Infernum, ut ait Jo. Gerson *p. 2. operum in regul. moral.* Est tamen in dato casu commonendus pœnitens, ut notat Laym. minorem pœnitentiam sibi injungi ob ipsius imbecillitatem, ut propterea ipse spontaneis operibus bonis defectum pœnitentiæ suppleat, & peccata sua non pro parvitate pœnitentiæ parvi faciat. Potest autem hîc Confessarius insuper attendere in pœnitente magnitudinem contritionis; nam magis contrito levior potest imponi pœnitentia; cùm ipsa quoque contritio multum pœnæ demat; & multò magis considerare poterit, an pœnitens multa bona opera frequentare soleat, quibus ex opere operantis respondeat fructus satisfactionis; huic enim minui poterit pœnitentia; quam ob rem non est improbandum, si iis, qui non solent, nisi venialiter tantùm peccare, & tamen multa bona opera quovis die peragunt, ut Regulares, aliæque devotæ personæ faciunt, injungantur leviſſimæ pœnitentiæ, quia, cùm confitentur, plerumque pœnam temporalem pro peccatis suis venialibus debitam jam ante, vel totam, vel quoad partem potiorem per alia bona opera persolverunt.

Sic etiam pœnitentia minui potest, si pœnitens jam ante sit lucratus Indulgentias, vel mox sit lucraturus; vel si Confessarius verba illa: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris* &c. proferat cum expressa intentione imponendi pœnitentiam, seu aliqua bona opera, si quæ postea facturus est pœnitens, quod potest Confessarius facere proferendo illa verba non tantùm per modum orationis, & deprecativè, sed simul etiam verè authoritativè, seu ex potestate clavium, ut censent complures cum Navarr. *in man.* Reginald. Fill, Bonac. Tan. Dian. Henriq. Amic. Suarez, aliisque, arbitrantes contra Vasq. Lug. Pal. & alios, per illa verba: *quidquid boni* &c. elevari omnia pœnitentis opera bona ad rationem pœnitentiæ Sacramentalis, & acquirere specialem vim satisfaciendi, etiam ex opere operato. Verùm cùm per prædicta verba, *quidquid boni feceris* &c. Non imponatur aliquid determinatè, nec absolutè, sed tantùm conditionatè, adeóque vi hujus impositionis possit pœnitens nihil omninò facere, ideo Confessarius determinatè, & absolutè alias quoque

Salutares, & convenientes satisfactiones injungere debet pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ne aliàs participem se reddat alienorum peccatorum.

Ex dictis patet, quàm rectè procedat & justè excusetur hodierna praxis, qua leves pœnitentiæ, ut inquit Lugo, imponantur pro gravioribus peccatis; tametsi enim Confessarius per se loquendo non rectè faciat, si pro gravibus peccatis leves injungat pœnitentias, quia agit contra officium æqui Judicis, præbétque occasionem, ut pœnitentes peccata minoris æstiment, liberiúsque ea committant, & propterea teneantur salutares, & pro qualitate criminum convenientes satisfactiones injungere; ex prædictis tamen satis patet, quòd pœnitentia possit esse adhuc salutaris, & conveniens, quamvis pro gravitate delictorum si præcisè secundùm se spectentur, sit multò minor.

Quòd autem Confessarius in posito casu absque violatione Sigilli potuerit imponere Titio helluoni jejunia Sabbathina; Ratio est, quia imprimis non potest aliis constare, an pœnitens opus externum injunctum ex spontanea pietate, voto, vel ex injuncta pœnitentia peragat, vel certè si id pateret, manifestatio fieret cum consensu pœnitentis sponte acceptantis talem pœnitentiam, ut notat Dicastillo.

Ad 2. Q. An à Confessario 218
imponi possit pro pœnitentia, ut pœnitens abstineat à S. Communione, negativè respondet Baucius *in miscellan. Cas. Consc. tom. 2. opusc. 2. q. 228.* cum Jo. Sancio in *Select. D. 33.* Rationem dat; quia cessatio ab actu virtutis non potest esse objectum pœnitentiæ: Sed non communicare est cessare ab actu virtutis: ergo non potest esse objectum pœnitentiæ; atque adeò nequit Confessarius talem pœnitentiam imponere, nec pœnitens tenetur eam adimplere, utpote impeditivam majoris boni. Verùm

Dicendum est cum Diana *l. 10. tr. 13. R. 47.* Leandr. *de Sacram. tr. 5. D. 9. q. 38.* Salazar, *tr. de frequent. commun. cap. 14.* §. 2. Card. de Lugo D. 25. *S. 5. n. 65.* aliisque, posse à Confessario absolutè talem pœnitentiam imponi: Rationem reddit Lugo l. c. ubi sic loquitur: Dubitari potest, an possit Confessarius imponere in pœnitentiam, ut abstineat pœnitens à Communione aliquot diebus, de quo controversia fuit annis præteritis, quibusdem id negantibus, quibusdem verò affirmantibus. Ex iis autem, quæ diximus *D. 17. de Eucharist.* facilè respon-

respondere possumus; ostendimus enim frequentem usum communionis non esse rem ita determinatè bonam, ut non possit aliquando, & in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quàm accedere, etiamsi non sit conscientia peccati mortalis: Quod auctoritate, ratione, & exemplis latè probavimus. Cùm ergo Confessarius possit præcipere opera honesta, & virtutum in pœnitentiam, non videtur dubium in genere, & de possibili, quòd possit aliquando præcipere pœnitenti, ut abstineat à Communione tali die, quando scilicet constat, melius tunc esse abstinere, quàm accedere; quod ex Statu pœnitentis, & defectu reverentiæ, ac dispositionis colligi prudenter potest. Hæc ille.

Confirmatur ex Leandro l. c. quia præceptum à Confessario latum de non recipienda Eucharistia est punitivum, & pœnale, ac justum, si ex intentione detur pœnitentiæ subeundæ: ergo benè poterit à Confessario injungi: Regulariter tamen non expedit, hujusmodi pœnitentias injungere, licèt pro calu raro, spectatis circumstantiis, utiliter id fieri possit. Unde patet responsio ad argumentum in contrarium allatum.

219 Ad 3. Q. An pœnitens Titius possit excipere, vel omninò non acceptare talem pœnitentiam, multi cum Cajetano *q. 2. de satisfact.* Navar. *in summa cap. 3. de satisfactione,* Medina, *de Confess. q. 41.* Panormit. *in cap. significavit de pœnit. & remiss.* Gabr. Sylvest. Angel. Armill. Hostiens. aliisque, putârunt, non esse obligatum pœnitentem ad acceptandam pœnitentiam à Confessario injunctam, sed posse pœnam peccatis suis debitam differre in Purgatorio luendam; Scotus verò docuit, non esse quidem obligatum ad acceptandam pœnitentiam, sed tamen si acceptaverit, obligari ad eam adimplendam.

Moventur, tum quia nemo tenetur in hac vita pro peccatis satisfacere, sed potest satisfactionem in Purgatorium remittere; tum quia hoc judicium, cùm voluntarium sit, in invitum exerceri non potest, nihilque videtur obstare, quin te Sacerdoti subjicias quoad peccatorum absolutionem absque subjectione ad satisfactionem acceptandam, vel exequendam.

Accedit, quòd si obligatus esses acceptare pœnitentiam à Confessario injunctam, obligatus esses acceptare quamcunque, cùm nulla, quantumvis gravis sit, æquet peccati gravitatem. Nihilominus.

Tenenda est hodie communiter recepta, & vera sententia, af- 220

 firmans

firmans pœnitentem obligatum esse acceptare pœnitentiam, si rationabilis sit, & velit absolvi; Contraria enim opinio post Concilium Tridentinum nec tuta, nec probabilis ampliùs videtur. Ratio responsionis est: 1. Auctoritas Conciliorum, Lateranens. sub Innoc. III. ut liquet ex *cap. utriusque sexûs de pœnit. & remiss.* quod jubet omnem utriusque sexûs fidelem doli capacem singulis annis semel saltem proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, in Paschate Eucharistiam sumere, & injunctam pœnitentiam propriis viribus adimplere.

Item Concil. Lateranens. sub. Leone X. Carthag. 4. *Can. 74.* Florent. & Trident. *Sess. 14. c. 8.* ubi sic ait: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate Salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviss̃ima quædem opera pro graviss̃imis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, & docent. Et *Can.* 15. Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, anathema sit. Unde

Sic argumentari licet. 1. Finis clavium, & Christi institutio exigit, ut pœnitentibus pœnæ in Sacramento pœnitentiæ injungantur: ergo hunc finem, & hanc Christi institutionem pervertere nec Sacerdoti, nec pœnitenti, nec ulli humanæ potestati licet. 2. Quia nequit intelligi, qualiter Sacerdos potestatem habeat, pœnitentiis injunctis, te ligandi, si tu ad illarum acceptationem, & executionem ligatus non es: imò non teneretur Confessarius imponere pœnitentiam, si pœnitens non teneretur acceptare, nam correllativorum eadem est ratio, essetque obligatio, quâ Tridentinum adstringit Confessarios ad pœnitentiam injungendam, frustranea, si in pœnitente non responderet reciproca obligatio acceptandi.

Nec haberet Confessarius potestatem ligandi, sicut habet absolvendi; nam hæc potestas ligandi intelligitur vel maximè de potestate injungendi pœnitentiam, &

non

non duntaxat de potestate non absolvendi; cùm Confessarius obligetur ritè dispositum absolvere,& si dispositus non sit pœnitens, ipse sibi retinet peccata.

Conf. 1. Sacramentalis absolutio Sacerdotis est actus judicialis, ut constat ex *Can. 9. Sess. 14.* Concilii Trident. Sed judicium dici non potest, inquit, S. Th. *in 4. d. 19. q. 1. a 1.* nisi vim coactivam habeat: ergo debet Sacerdos cogere posse pœnitentem ad pœnam suscipiendam,& subeundam; quippe *jurisdictio sine coërcitione, nulla est*, cap. Pastoralis de offic. Judic. deleg. & ff. de officio ejus,cui mandata est jurisdictio. l. postrema.

Conf. 2. Sacramentum Pœnitentiæ constat essentia, & integritate, & utrumque habet à Christo, & utrumque est juris divini; pars autem integritatis hujus Sacramenti est satisfactio, ut constat ex Concilio Florent. & cunctis suffragiis decernitur à Theologis: ergo non est in potestate cujusquam hominis integritatem hanc violare, & Sacramentum mutilare; violaretur autem, si is, qui sua peccata confitetur, recusaret pœnitentiam à Sacerdote injunctam, eámque post hanc vitam reservaret.

221 Cæterùm procedit hæc sententia etiam tunc, quando pœnitens confitetur peccata etiam merè venialia, quia etiam in hoc casu debet Sacramentum integrum fieri, & non mutilari, habetque Confessarius veram potestatem injungendi pœnitentiam Sacramentalem, & consequenter etiam obligandi pœnitentem ad eam acceptandam; non tamen tenetur acceptare pœnitentiam perpetuam v. g. ut omnibus diebus oret quinque Pater, & Ave, id, quod teste Burghaber *cent, 2. cas. 77.* videntur supponere omnes Theologi, dum asserunt, pœnitentem teneri ad pœnitentiam duntaxat rationabilem, & moderatam, qualis non est perpetua, quantumvis exigua; quia imprimis non est conformis integritati Sacramenti procurandæ,cùm perpetuò duret; absurdum autem videtur pœnitentiam esse partem integralem Confessionis, ante viginti, triginta, aut quinquaginta annos peractæ. Deinde talis pœnitentia non esset moderata; quia omnis pœna quantumvis levis, quæ semper durat, communi hominum judicio immoderatè durat, & gravat: Unde prudenter Laym. censet etiam non consultum esse,ut rudibus,& oblivioſis, ac valdè occupatis preces quotidianæ unius anni, aut mensis imponantur.

Ad argumentum in contrarium suprà allatum R. esto, spectato peccato, & illius extra Sacramentum

tum remissione, possit satisfactio in Purgatorium remitti, at eo ipso quòd remissio per modum judicii petatur, & concedatur, executioni mandanda est satisfactio juxta judicii sententiam; neque inde fit quamlibet pœnitentiam, etiam gravissimam, te obligatum esse acceptare, & exequi, quia neque Sacerdos potest eam imponere, sed qualem tum ad peccatorum vindictam, tum ad illorum medelam judicaverit expedire, tametsi gravitatem peccati non adæquet. Accedit, quòd totus homo Deum offendat, & Deus toti homini, non animæ tantùm, largiatur Sacramentum reconciliationis, adeóque à toto homine exigatur Satisfactio; in Purgatorio autem non vivit totus homo, sed ejus duntaxat anima, ipsaque satisfactio, quam anima præstat Deo in Purgatorio, longè diversa est ab ea, quam à toto homine Deus exigit in Sacramento Pœnitentiæ. Cæterùm oppositа sententia ad id in praxi servire poterit, ut notat Laym. cum aliis *l. 5. tr. 6. c. 15.* ut Confessarius nunquam dimittat pœnitentes sine absolutione, si parati sint aliquam, quantumvis leviorem, quàm peccata mereantur, pœnitentiam acceptare.

Dixi suprà, si pœnitens absolvi velit; nam si renuat absolvi, excusatur ab obligatione acceptandi, exequendíque pœnitentiam; in tantùm enim ei Sacerdos imponere potest pœnitentiam, in quantum ejus judicio, & sententiæ subditur; si ergo hoc judicium, & sententiam subterfugiat, fugiet etiam obligationem pœnitentiæ acceptandæ, & exequendæ, ut benè notant Suarez *D. 38. S. 7.* Laym. l. c. Bonac. Pal. & alii. An autem liberum sit pœnitenti hoc judicium jam inchoatum subterfugere, & sententiam hujus Sacerdotis declinare alium adeundo, non caret difficultate. Illicitum id esse, si absque rationabili, & legitima causa fiat, docent communiter DD. tum ob indecentiam Sacramenti, quod inceptum, & imperfectum relinquitur; tum ob debitum judicii ordinem, quod semel inchoatum perfici debet; tum ob virtualem talis Sacerdotis despecti contemptum; Communiter tamen non agnoscunt in hoc, nisi quamdam irreverentiam, & indecentiam, quæ peccatum veniale non excedat; idque ex præsumptione Christi nolentis pro sua pietate, & misericordia ita gravare pœnitentem, sed concedentis, ut possit, saltem absque gravi culpa, tale judicium fugere, & alteri Sacerdoti se judicandum subjicere, ut hoc modo, & Sacramentum Pœnitentiæ suaviùs reddatur, & pœnitentes faciliùs sua peccata aperiant, & injunctas, ac acceptatas

tas pœnitentias executioni mandent.

222 Ad 4. Q. Molestissima quæstio est, quæ Confessarios angit, quæ pœnitentia sit conveniens, & quanta debeat injungi, & hoc à nemine deciditur, nec potest facilè decidi, ab ipsoque Trident. l. c. relinquitur prudentiæ, & arbitrio Confessarii, non quidem ita, ut pro libitu possit gravem, vel levem imponere; hoc enim æquitas judicii non patitur, sed secundùm gravitatem peccatorum, & pœnitentis dispositionem, quæ duo præ oculis habere debet Confessarius, ut rectum ferat judicium, qui, ut ait P. Lohner, si antequàm ad audiendas Confessiones accedat, auxilium divinum sedulò imploret, meritò sibi polliceri poterit, Deum sibi inspiraturum, quam cuivis pœnitenti satisfactionem injungere debeat.

Porrò pœnitentia hæc, seu satisfactio juxta Trident. l. c. in duplicem finem referenda est, scilicet in præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, & ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: Unde pœnitentia, quæ præterita delicta vindicat, & futura præcavet, ac medetur, vel maximè congrua, ac rectissima est. Quamobrem expediens est, avaris, & rapacibus, si divitias habent, eleemosynas in pœnitentiam injugere, luxuriosis jejunium, aliásque carnis macerationes, superbis humiliationis officia, desidiosis devotionis studia, & regulariter omnibus preces quotidianas, Rosarii recitationem, Missæ auditionem, Confessionem menstruam, aut frequentiorem &c. quia hæc & peccata præterita vindicant, & coërcent à futuris. Cavendum tamen est Confessariis, ne incongruas pœnitentias imponant, v. g. pauperi, vel filiofamil. eleemosynas, operariis, vel debilibus personis jejunia, mulieribus longas peregrinationes, valdè occupatis multas preces.

Sacerdotibus quoque, ut rectè monet P. Lohner, non sunt facilè orationes longæ, & multæ imponendæ, cùm teneantur ad Breviarium recitandum aliàs satis prolixum: Unde si graviorem pœnitentiam ob peccata luxuriæ v. g. mereantur, expedit eis jejunia, cilicia, frequentiorem confessionem, lectionem libri alicujus spiritualis, aut 7. Pater, & Ave expansis brachiis per aliquot dies domi coram aliquo Crucifixo recitanda imponi. Posse autem etiam Confessionem in pœnitentiam injungi, & pœnitentem cogi ad Confessionis frequentiam, docet communis DD. sententia contra Navar. *in Summ. cap. 9. n. 1. & c. placuit dist. 6. n. 115.* & probat communis Ecclesiæ praxis; passim enim assueti peccatis ad frequentem astringuntur Confessionem utpote

opus Deo maximè gratum, & ad removendum pravos habitus, coërcendúmque peccatorem à peccatis committendis medium efficaciſſimum. Nec obſtat, quòd nemo lege humana obligari poſſit ad binam ſuorum peccatorum confeſſionem, ut arguit Navar. Neque ad Confeſſionem committendorum; eò quòd talis obligatio eſſet duntaxat ſub conditione, ſi committantur, cujus tamen conditionis poſitionem ipſe peccator vitare tenetur. Nam licèt nemo lege humana ad eadem peccata bis exponenda in hoc S. tribunali obligari formaliter, & directè poſſit; poteſt tamen obligari indirectè, ex obligatione ad Confeſſionem, ex qua obligatione naſcitur, ut aliquando debeat quis peccata jam ſemel expoſita confiteri, ſi nolit ex venialibus denuò commiſſis confeſſionem inſtituere. Dein dato, & non conceſſo, quòd abſolutè ad id obligari non poſſit, poteſt tamen ex ſuppoſitione aliqua, & quaſi ex pacto, quatenus Confeſſarius pœnitentem ad Confeſſionem obligat ob beneficium abſolutionis illi conceſſum, aliàs non conceſſurus: ſicut Pontifex diſpenſans in voto caſtitatis, aut in impedimento affinitatis, ad menſtruam Confeſſionem obligare ſolet.

223 Ad modum quod attinet injungendi pœnitentiam, an poſſit imponi per modum ſolius conſilii, & ſub conditione; an verò debeat injungi præceptivè, & abſolutè? Non nulli putant cum Navar. in *man. cap. 26. n. 22. & 24.* Suarez *D. 38. S. 3.* Diana *p. 3. tr. 4. R. 82.* Fag. Sà, Bonac. Dicaſtall; aliisque, poſſe probabiliter pœnitentiam imponi per modum ſolius Conſilii, eò quòd Confeſſarius non ſit tantùm Judex, ſed ſimul etiam Doctor, & Medicus: ergo poterit quandoque licitè pœnitentiam, non ut Judex præcipere, ſed ut medicus conſulere, quo in caſu opus injunctum eſt quidem pœnitenti liberum; quia tamen eſt à Confeſſario deſignatum, ideò ſi fiat, procedit adhuc ex poteſtate Clavium, éſtque ſic adhuc pœnitentia Sacramentalis, & habebit ſuum effectum ex opere operato. Contrarium ſentiunt æquè, vel magis probabiliter. Vaſq. *q. 94. a. 2. dub. 1.* Coninck *D. 10. dub. 8. n. 64.* Palao *tr. 23. D. un. p. 21. §. 3.* aliique negantes pœnitentiam per modum conſilii duntaxat impoſitam Sacramentalem eſſe, & effectum habere ex opere operato, ac proinde Confeſſarium talem pœnitentiam imponendo nullatenus ſatisfacere ſuæ obligationi. Moventur, quia pœnitentiæ impoſitio naſcitur ex poteſtate, quam Sacerdos habet pœnitentem ligandi, & ſolvendi non tantùm à culpis, ſed etiam à pœnis pro culpis debitis, at, ſi Confeſſarius arbitrio, & voluntati pœnitentis pœnitentiam relinquit, nullo modo

pœni-

pœnitentem ad illius executionem ligat. Neque dicas, ligari pœnitentem, si velit perfectam peccatorum remissionem obtinere mediante opere injuncto; nam hæc non est ligatio, sicut non ligaret Pontifex ad lucrandam Indulgentiam eum, cui concessa est Indulgentia, si Rosarium recitet. Præterea Sacerdos in hoc foro obligatus est, non solùm consulere pœnitenti peccatorum vindictam; sed de facto ea vindicare impositione pœnitentiæ, & insuper procurare integritatem Sacramenti, quod non fit, si pœnitentia relinquatur arbitrio pœnitentis. Utraque sententia hæc probabilis est, uti concludit Dicast. ut tutò eam confessarius sequi possit quoties prudenter judicat expedire. Verùm pro praxi magis hîc placet media via, ut nimirum non omninò nihil pro pœnitentia imponatur, sed saltem aliquid sub obligatione imperetur, ut ita Tridentino satisfiat, quod non videtur integrum relinquere Confessario, ut pœnitentiam imponat sub præcepto, vel sub consilio.

Ad 2. An possit pœnitentia, 224
etiam tota imponi, sub conditione, v.g. jejuna, vel da eleemosynam, si in tale, vel tale peccatum incideris, affirmant probabiliter Navar. citt. Suarez. l. c. Bonac Henriq. Gobat *tr. 7. n. 755.* & alii.

Negant probabiliùs alii cum Thom. Sanch. *l. 3. c. 5. n. 3.* Jo. Sanch. *D. 13. Select. n. 8.* Tolet. *l. 3. cap. 18.* Palao l. c. Vega, aliisque. Verùm pro praxi præplacet hîc rursus media via, ut scilicet aliqua pœnitentia ex obligatione peragenda imponatur absolutè, & non conditionatè duntaxat; tum quia aliàs non videtur Satisfieri Trident. quod vult pro peccatis commissis debere congruam pœnitentiam injungi, & quidem non tantùm medicinalem, sed etiam Satisfactoriam; tum quia Sacramentum absolutè factum exigit pœnitentiam absolutè injungi, ne sine parte satisfactoria relinquatur, quod fieret cessante conditione, quæ cessare potest, aut debet.

CASUS XXXIX.

De Confessione, & absolutione in articulo mortis moribundis impertienda.

HÆreticus quidem in extremis constitutus invisitur ab Ambrosio Parocho Catholico, cui persuadere conatur, ut abjurata hæresi Catholicam fidem profiteatur, utpotè unicè necessariam ad salutem, sed cùm frustrà eum adhortaretur, sequentia ei verba suggerit: Nonne in Religione tua permanes; quia illam veram existimas? Nonne illam Statim relingeres, si falsam putares? Nonne doles, te Deum offendisse? Nonne confiteris Deo te peccasse, & mihi confitereris, si scires, te posse, & debere hoc facere? Annuit ad singula æger, tum Parochus judicans apud se, ægrum esse tantùm materialem hæreticum, eum sub conditione absolvit. Mox ad alium, ad quem vocatur, invisendum ægrum Catholicum festinat, quem cùm omnibus sensibus destitutum inveniset, nec ullum Confessionis signum dare potuisset, eum sub conditione absolvit.

QUÆR. I. An absolvendus sit, vel absolvi possit moribundus, qui neque in specie, neque in genere peccata sua confiteri potest, nec ullum dat Confessionis signum.

QUÆR. II. An talis hæretici confessio sufficiens, & vera fuerit. 3. Et an Ambrosius Parochus prudenter concesserit absolutionem?

225 AD 1. Q. Præmitto priùs, moribundum rectè absolvi. Non solùm quando petit absolutionem, etsi non possit ullum in specie peccatum declarare, vel si edidit præsente Confessario signa solius contritionis, & doloris in ordine ad absolutionem, ut si percutiat pectus, aut manus, oculósque in Cœlum tollat, vel si dicat: Miserere mei Deus, si videlicet hæc signa edat, sciens esse

esse periculum mortis, sitque mentis compos, & aliunde peccata in specie explicare non possit. Non inquam in hoc casu solùm rectè absolvitur, sed etiam licèt prædicta signa dederit Confessario absente, sed aliis præsentibus, qui id Confessario retulerunt, ut docet cum aliis Lugo contra alios. Imò licitè absolvitur, quando Confessarius monitus à domesticis, quòd hujusmodi signa dederit, attamen quando ad infirmum venit, reperit illum omni planè sensu destitutum, prout rursus cum aliis docet idem Lugo; nam si facta Confessario formali confessione invaderet infirmum ante absolutionem spoliatio omnium sensuum, capax nihilominus foret absolutionis, ut per se liquet: ergo etiam capax erit, postquam fecit Confessionem virtualem, & implicitam.

226 Difficultas ergo, & controversia est, an si nec ipse Confessarius aliquod Confessionis signum dari advertit, nec priùs datum esse ex aliis intelligit, an nihilominus absolvere possit, saltem sub conditione? ubi

Non pauci imò communis DD. apud Dianam. *3. p. tr. 3. Q. 8. & 4. p. tr. 4. R. 92.* Lug. *D. 17.* & Burghaber *Cas. 81. centur. 1.* negativam sententiam tenent, eò quòd Decreta Pontificum, & Conciliorum ad absolutionem moribundo sensibus destituto dandam requirant vel testes, vel immediatam experientiam signorum significantium voluntatem confitendi, dum semper subjungunt: *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, vel si desiderium confitendi per se, sive per alios ostenderit.*

Et ratio ulterior est; quia Sacramentum Pœnitentiæ pro parte essentiali exigit non solùm contritionem, sed etiam Confessionem sensibilem, seu manifestatam aliquo signo sensibili, quod percipi possit à Confessario, & ex eo colligere, quòd pœnitens petat absolutionem, & quod de se sit aptum ad determinatè significandam talem petitionem absolutionis, nec sit omninò indifferens, ut oriatur ex quocunque alio affectu, & voluntate, quàm ex voluntate confitendi, nam ubi nulla est sensibilis accusatio, ibi nulla esse potest absolutio. Et hinc non quivis gemitus, & suspiria, quæ etiam oriri possunt ex gravitate dolorum, metu mortis &c. admittenda sunt pro sufficienti signo doloris, vel petitione absolutionis, sed solùm si oriantur ex affectu virtutis Religionis, vel ex aspectu sacræ Imaginis, Crucifixi &c. quia omne signum Religionis satis probabiliter pro illo articulo extendi potest ad significandum dolorem de peccatis, & ad petendam absolutionem.

Unde loquendo saltem de Confessario, qui sit de Societate JEsu censet P. Burghaber *Cas. 81. centur. 1mæ.* oppositam praxim à nullo ex PP. Societatis practicari posse, cùm in ordinatione pro Studiis Superioribus Anno 1651. ad Provincias missâ prohibeatur, ne doceatur hæc sententia : *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeò ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.* Ex qua ordinatione infert prædictus Author, quòd prohibitio ista maximè posita sit ad tollendam praxim, cùm vix ulli adhuc in Societate affirmativam docuerint, multi autem practicaverint; tum quòd doctrina moralis in Societate sit quasi forma, & regula praxis instituendæ, ut proinde hæc sine illa subsistere nequeat. Unde infert 2. nec sub conditione posse moribundum talem Sacramentaliter absolvi, tum quia hæc sententia absolutè, & absque limitatione prohibetur; tum quia aliter hactenus absolutio data non est, nisi sub conditione, & ex præsumptione bonæ dispositionis ex bona fama: ergo cùm nihilominus prohibitio posita fuerit, omnem hæc limitem, & præsumptionem sustulerit, necesse est.

227 Contra verò multi, gravésque AA. affirmativam sententiam benigniorem amplectuntur cum D. Antonino *in Summ. part. 1. cap. 35. n. 7.* Malfes. *in Summ. tom. 1. tr. 7. cap. 5.* Joan. Caramuel *in Theol. mor. L. 3. D. 4. n. 154.* Tambur. *de Conf. l. 2. c. 10.* Carden. *in 1. crisi. d. 48.* Gobat n. 601. Sporer *n. 645.* Moya *q. 4.* aliisque compluribus, quorum aliqui docent pro sensibili signo doloris, atque Confessione sensibili sufficere, & servire vitam Christianè actam, sive, quæ Christianum decet, & convenit, per externa signa Religionis declarata.

Alii verò non assignant vitam Christianè actam pro ipsa Confessione sensibili sufficiente ad absolutionem, sed solùm pro signo sufficienter fundante præsumptionem, quòd moribundus pro tali articulo edat aliqua signa, quibus petat absolvi, & testetur dolorem de peccatis, etsi fortè Confessarius talia signa determinatè, & reflexè non advertat, ut causata à tali affectu, & desiderio absolutionis. Unde

R. 1. Et dico 1. Si ex parte pœnitentis nullum omninò signum, petitio, aut desiderium Confessionis præcessit, non potest ill conferri Sacramentalis absolutio. Ita teste Vasq. *q. 91. a. 2. dub. 1.* omnes DD. qui ante ipsum scripserunt, & Lug. *D. 17. S. 3. n. 39.* qui postquam dixisset doctrinam hanc ab omnibus haberi pro certa, ita concludit: Non expedit ergo in re

re tanti momenti sub pietatis specie plùs sapere, quàm omnes nostri SS. PP. sapuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis.

Ratio responsionis petitur tum ex Decretis Pontificum, & Conciliorum citt. tum ex ipsa natura hujus Sacramenti, quod institutum est per modum judicii, ad quod necessariò requiritur aliqua saltem Rei accusatio, seu aliqua Confessio aliquo saltem modo sensibiliter significata; quia ubi nulla omninò datur Confessio, nequit ibi dari absolutio: ergo si ex parte pœnitentis nullum datur, vel datum fuit signum Confessionis, absolvi non poterit.

228 R. 2. Sola vita Christianè acta absque omni signo sensibili contritionis, aut desiderio confitendi non sufficit, ut moribundus absolvi possit. Ita AA. qui stant pro conclusione immediatè præcedente cum aliis. Ratio est; quia sensibilia signa vitæ Christianæ, cujusmodi sunt audire Sacrum, invocare Sanctos, recitare orationem Dominicam, sumere S. Eucharistiam, & similia, non ordinantur ad petendam absoltionem à peccatis; quis enim, inquit P. Thyrsus, hac intentione audit Sacrum, sumit S. Eucharistiam, fundit preces &c. ut hoc modo aliis manifestet, se peccâsse? vel enim hæc signa vitæ Christianæ peccatum illud, à quo debet infirmus absolvi, antecedunt, vel sequuntur? si priùs; tunc clarum est non posse esse signa æquivalentia Confessioni legitimæ ipsius peccati; nemo enim se accusat hodie de peccato cras futuro. Si posteriùs, tunc ad hoc, ut servirent pro Confessione, deberent vel ex natura sua, vel ex institutione, vel ex fidelium communi usu esse ordinata ad significandum desiderium absolutionis conjunctum cum seria detestatione peccatorum: atqui hoc non habent, tum quia aliàs non fuisset necessaria tanta solicitudo, quâ Concilia, & Pontifices ad absolutionem moribundo sensibus destituto dandam requirunt, ut voluntatis præviæ testimonium aliorum verbis habeat, vel desiderium confitendi per se, sive per alios ostenderit. Tum quia vita Christiana non est sui ipsius accusatio, sed ex fine, & natura sua significat potiùs omissionem peccatorum, quàm ipsa peccata, nec ex usu hominum adhibetur ad peccata significanda, ut ante dictum est.

R. Tamen 3. Licèt vita præterita Christianè tranſacta non sit sufficiens Confessio, aut signum sensibile absolutionis, est tamen sufficiens fundamentum ad prudenter præsumendum dari, vel datum fuisse aliquod signum sen- 229

sibile

sibile absolutionis petitorium, quamvis id à Sacerdote notatum non fuerit; adeóque in praxi moribundus, de quo constat, quòd Christianè vixerit, potest juxta probabilem sententiam Sacramentaliter absolvi à peccatis, saltem sub conditione.

Ita S. Aug. *tr. 6. de adult. conjugiis l. 1. c. ult.* ut ostendit Bosco *S. 9. Conclus. 6. à n. 131.* S. Antonin apud Schild. *tr. 6. n. 39.* Tambur. l. c. Gormaz *n. 262.* Cardenas l. c. Aversa S. 18. Gobat n. 601. Sporer *n. 645.* Arsdec. *tom. 2. p. 2. tr. 3. c. 2.* Lacroix *l. 6. p. 2. a. 2.* Guarti, Malfes, Homobon. Leand. Bonagr. Caramuel. l. c. aliique complures, quam sententiam vocat nunc communem Moya *q. 4.* adductis quàm plurimis, qui eam absolutè tenent, & alios longè plures, qui eam ut probabilem defendunt.

Prob. 1. In extrema necessitate, & periculo salutis æternæ, quando Sacerdos probabiliter judicare, aut prudenter præsumere potest adesse sufficientem materiam ex parte pœnitentis, potest ipsum, saltem sub conditione absolvere: Sed in agone hominis Christianè viventis potest probabiliter judicare, aut prudenter præsumere adesse sufficientem materiam ex parte pœnitentis moribundi: ergo &c. maj. prob. inde quia hoc modo non administratur Sacramentum temerè, & irrationabiliter, cùm probabiliter censeri possit, non esse suo fine frustrandum, ad quem à Christo est institutum, patétque à pari cum Baptismo, qui juxta Rituale Romanum conferri etiam potest fœtui per abortum ejecto, si tamen aliquis in eo motus deprehendatur, qui probabile saltem sit vitæ indicium, & juxta communem, si non suppetat aqua naturalis elementaris, potest ad illum in necessitate conferendum adhiberi quæcunque alia materia, quæ saltem probabiliter sufficit ad valorem hujus Sacramenti, min. verò quòd in agone hominis Christiani habeatur semper talis probabilitas de materiæ sufficientia, comprobat tum ratio extrinseca, tum intrinseca. Extrinseca quidem, cùm pro hac sententia plùs, quàm 40. graves AA. referantur, ut videre est apud P. Schild. *tr. 6. de princip. form. conscient.* & ultra 30. alleget La Croix l. c. Intrinseca verò; quia quilibet amans suæ salutis prudenter præsumi potest, quòd in eo casu ea adhibeat, quæ scit sibi esse maximè proficua, aut etiam necessaria ad salutem suam consequendam: atqui omnis, qui Christianè vixit, debet haberi inter eos, qui amantes sunt suæ salutis; sensibilis verò quædam sui accusatio, seu Confessio ad officium Judicis spiritualis per aliquod signum ordinata est tale medium

dium maximè proficuum, aut necessarium ad salutem: ergo de quolibet tali Christiano præsumi potest, quòd in extremo eo periculo ejusmodi medium adhibeat, sibique applicare velit eo meliori modo, quô hîc, & nunc potest.

Conf. 1. Quod plerumque fieri solet, quódque in talibus circumstantiis sæpiùs factum est, & quod ratio naturalis facilè persuadet factum esse, illud prudenter præsumitur factum esse: Sed quod Christianè vivens in articulo mortis aliquod signum externum, etsi à te non notatum, e. g. suspirium, gemitum, motum labiorum, oculorum in Cœlum elevationem &c. dederit ad contestandum dolorem de peccatis, & petendam absolutionem, sæpiùs, aut plerumque factum est, & fieri solet, & ratio naturalis facilè persuadet: ergo prudenter id præsumitur; præsertim cùm rarissimè contingat, ut quis omnibus sensibus ita destituatur, ut non aliquod saltem breve spatium interveniat, quo sibi sit præsens: Christianè autem vivens sibi præsens prudenter præsumitur in eo articulo velle omnia media adhibere necessaria ad salutem, aut Summè proficua, & utilia, cujusmodi est absolutio à peccatis. Id, quod plures de seipsis testati sunt, qui vitæ periculo, in quo versabantur, defuncti postea convaluerunt, quos inter est etiam Petrus Marchantius in *lib. qui tribunal R. P. Leonardelli Soc. Jesu, Sacrament.* inscribitur *tom. 1. tit. 4. dub. 7.* qui de se ipso affirmat, in simili casu vacâsse se piis animi affectionibus per signa externa expressis, quæ tamen circumstantes putabant esse solùm signa naturalia angustiarum, adeóque per experientiam de se ipso acceptam sibi proposuisse, quòd nemini unquam Catholicorum Christianè viventium, quantumvis sensibus destitutus appareat, absolutionem denegare velit.

Conf. 2. Ex Moya l. c. quia rationes, quæ militant pro sententia benigna affirmativa ad minimum generant dubium, an moribundus capax sit absolutionis, nec ne: atqui in dubio de capacitate subjecti ad absolutionem, & materiæ sufficientia in mortis periculo impertienda est absolutio saltem sub conditione juxta communem: ergo in eo casu poterit moribundus absolvi sub conditione: imò citt. Maya cum Gormaz, & aliis infert, Confessarium in eo articulo non tantùm posse, sed teneri, saltem ex charitate, talem moribundum absolvere.

Unum tamen hac in re videtur mihi difficile explicatu, quomodo hujusmodi signum, quod prudenter præsumitur ab ægro fuisse editum, à nemine tamen observatum, dici possit Confessio Judici facta; cùm nec Confessarius, nec ullus domesticorum viderit dari hujus-

modi signum, & tamen Sacramentum Pœnitentiæ pro parte essentiali exigat non solùm contritionem, sed etiam Confessionem legitimo Sacerdoti factam ; sicut ergo, teste Arriaga de *Pœnit. d. 36. n.* 28. etsi Sacerdoti divinitùs constaret, ægrum esse contritum, non posset nec quidem sub conditione absolvi, quippe dolor internus nullo signo externo manifestatus non facit accusationem sui sensibilem, qualem tamen requirit Trident. tanquam partem essentialem; ita etiam ipsa Confessio non erit sensibilis, si à nemine advertatur fuisse signum aliquod externum editum ; nam si ut dicitur : propter quod unumquodque tale, & illud magis tale, fieri oportet, ut si contritio fiat sensibilis per signum externum, multò magis illud signum externum reddatur sensibile ipsi Confessario.

Hujus difficultatis solutionem aliquam reperio apud P. Dicastill. *D. 9. de Pœnit.* qui judicat hujusmodi Confessionem per signum aliquod explicitum ab ægro factam adhuc fieri Sacerdoti saltem moraliter præsenti, in quantum hujusmodi signum adhuc moraliter perseverat in præsentia ægri,& Confessarii,nec revocatur ab ægro, à quo censetur moraliter continuari,& sic consequenter etiam Confessio. Valeat quantũ potest hæc solutio,quæ forsan non probabitur omnibus.

Unde responderi posse existimo, semper quidem requiri contritionem sensibilem per aliquod signum externum, quod ponimus fuisse editum in nostro casu, non tamen requiri, ut ipsa peccata in specie, imò neque semper in genere percipiantur ab ipso Confessario notitia nimirum auriculari, vel oculari, sed sufficere, ut prudentur præsumi possit, dari contritionem signo aliquo externo manifestatam, etsi signum illud ab ipso Confessario non percipiatur. Cur enim hoc non sufficiat? Sicut sufficit ad dandam absolutionem, si prudenter judicet Confessarius pœnitentem habere propositum se emendandi ; cùm fieri possit, ut tale propositum non habeat; nam tunc darentur adhuc omnes partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, nimirum contritio, & sui accusatio per signum illud facta,& quidem ipsi Confessario illi signo moraliter præsenti, quatenus moraliter perseverat. Data itaque impotentia hac physica eliciendi signum ab ægro, quod sit sensibile, & notabile à Confessario, debet pro casu extremæ indigentiæ sufficere qualis qualis Confessio,ut saltem sub conditione absolvi possit moribundus. Ex his colligi etiam potest responsio ad rationem pro sententia rigidiore in contrarium suprà allatam.

Ad Decreta Pontificum,& Conciliorum R. ea intelligi posse de absolutione absolutè danda, sicut dari debet tunc, quando moribundus

sive

sive per se, sive per alios sufficiens dedit signum absolutionis petitorium; non verò loqui de absolutione sub conditione impendenda tunc, quando dubium solummodo est, aut prudenter præsumptum signum habetur. Accedit, quòd Decreta illa rectè subjungant eam limitationem; quia non potest statim de unoquoque prudenter præsumi dari ab eo, vel datum fuisse signum aliquod petitorium absolutionis; sunt enim, vel esse possunt homines adeò pravis moribus imbuti,& malæ vitæ famâ laborantes, ut eorum vita, prout advertit Moya cit. non tantùm significet habituros eos in eo articulo desiderium Confessionis, aut fundamentum præbeat præsumendi prudenter ejusmodi doloris signa, sed potiùs desperaturos esse de misericordia Dei, & fundamentum suppeditet oppositum præsumendi.

Ad id, quod de Confessario ex Societate adductum est à P. Adamo Burghaber R. etsi interpretatio illa sit probabilis ut loquitur P. Gobat *tr. 7. cas. 19.* contrarium tamen esse longè probabilius.

Ratio est 1. Quia indici sententiarum è nostris Scholis eliminatarum expresè hæc declaratio subnectitur: *Porrò prædictas propositiones omnes nullâ afficimus censurâ, sed solùm prohibemus doceri in nostris Gymnasiis ad majorem uniformitatem, & soliditatem doctrinæ inter nos, & copiosiorem fructum in auditoribus faciendum.* Ratio autem, cur dum Societas vetat doceri à nobis aliquam sententiam ad mores spectantem, non intendat hoc ipso prohibere usum illius doctrinæ in foro conscientiæ, est; tum quia Confessarius solus est in eo foro Judex, tum quia Societas nec directè,nec indirectè damnavit unquam doctrinam, quòd Confessarius, aut possit, aut etiam debeat se in foro conscientiæ accommodare opinioni, quam scit haberi ab ipso pœnitente, aliisque probatis & gravibus Doctoribus pro probabili. Præterea adverto hîc notanda esse ultima hæc verba in ordinatione posita: *Nec prudenter putare possit*; nam in casu, quo Sacerdos potest id prudenter putare, ac præsumere, manebit ordinatio illa integra, & inviolata.

Ad 2. & 3. Q. ex Caramuele desumptum respondet P. Gobat citt. *tr. 7. n. 622.* illam Confessionem factam ab Hæretico, prout in casu ponitur, fuisse (si serio talia dixit) veram Confessionem, utpote cui nihil essentiale defuerit, atque adeò fuisse formaliter integram,etsi non materialiter, ac proinde Confessarium prudenter concessisse absolutionem saltem sub conditione, si ex circumstantiis rationem habuit dubitandi, an vero,seu minimè fucato animo ad interrogata responderit infirmus;

absolutè verò, si positiva dubitandi ratio non occurrit.

Hanc suam responsionem ulteriùs non probat citt. Gobat, sed videtur supponere, ut certam. Verùm de certitudine hujus resolutionis non immeritò dubitari posse puto. Ratio dubitandi, quæ nobis occurrit, est; quia tametsi Hæreticus ad singula quæsita annuerit, & sic implicitè saltem fateatur se peccatorem; non tamen hujusmodi Confessio dirigitur ab Hæretico in ordine ad absolutionem obtinendam, quod tamen necesse est, ut sit Confessio Sacramentalis; sic enim communiter docent AA. eum, qui sua peccata per modum narrationis exponeret, vel etiam solius consilii causâ, non dirigendo eam narrationem in ordine ad absolutionem, non posse vi hujus narrationis validè absolvi: atqui hoc ipsum fit in nostro casu; nam vel Hæreticus est Calvinista, & hic simpliciter detestatur Sacramentum Pœnitentiæ, quod nec explicitè, nec implicitè petit sibi administrari; vel est Lutheranus, & hic licèt admittat Confessionem ritè Parocho fieri, non tamen ut Sacramentalem, quia non tenet virtute Sacramenti Pœnitentiæ dimitti peccata, sed Parochum pronuntiando absolutionem tantùm declarare sum pœnitentem esse absolutum, & non virtute clavium absolvi.

Ad hoc argumentum puto non incongruè responderi posse Hæreticum annuendo ad singula habere actum contritionis, vel saltem attritionis de suis peccatis, quæ saltem genericè confitetur; generica autem Confessio pro casu necessitatis est sufficiens; jam autem actus contritionis est implicita voluntas servandi omnia præcepta, inter quæ est etiam præceptum Confessionis; hæc ergo universalis voluntas, quantumvis implicita, prævalet illi voluntati particulari, quam habet, non suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quod ex errore invincibili judicat non dari, vel non esse ad salutem necessarium, sicut in simili docent AA. Hæreticos verè suscipere Sacramentum Matrimonii vi illius generalis voluntatis, quam habent, faciendi, quod facit vera Ecclesia, licèt ipsi ex errore putent suam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, & Matrimonium non esse Sacramentum, sed simplicem contractum, qualis fuit ante adventum Christi. Accedit, quòd etiam ad hoc Q. annuerit infirmus; nonne confiteris Deo te peccâsse, & mihi confitereris, si scires te posse, & debere hoc facere?

CA-

CASUS XL.

De Confessione & absoiutione Acatholici in mortis periculo.

ALbertus mercator Saxo sectæ Lutheranæ in domo cujusdam hospitis Catholici prope Nirnbergam graviter decumbens jubet ex vicino Acatholico pago advocari Ministrum Lutheranum, sed hospes accersit Catholicum Sacerdotem. Hic ut venit, subdolè Sacerdotis personam tegens, laudat primò aliquas Lutheri dotes, & hoc modo efficit, ut ægrotus sibi persuadeat, Præconem Acatholicum esse, cui proin se totum committit. Sacerdos Catholicus, conciliato sic ægroti Lutherani animô, eum instruit in iis rebus, quæ apud Catholicos sunt scitu necessariæ, cùmque in Saxonia vigeat usus auricularis Confessionis, audit ejus Confessionem, absolvit, & sacro Viatico reficit, eique tamdiu assistit, donec inter repetitos contritionis actus, ad quos eum hortabatur, animam èfflaret, semper manens in ea persuasione, quòd is, quem sibi assistentem haberet, esset Lutheranus Præco.

QUÆR. I. An talis Sacerdos Catholicus hoc modo licitè simulaverit sectam falsam, & dissimulaverit Religionem veram?

QUÆR. II. An error personæ in Confessario vitiaverit Confessionem Alberti Lutherani?

QUÆR. III. An talis Sacerdos Catholicus Alberto Lutherano rectè administraverit Sacramentum Pœnitentiæ. & S. Viaticum?

230 AD præsentem casum ex Caramuele desumptum respondet breviter Gobat *tom. 1. tr. 7. n. 619.* his verbis: Hic mercator existimabat quidem se confiteri Lutherano (nam in multis Lutheranorum urbibus viget adhuc usus auricularis Confessionis)

Præconi, erat tamen re ipsa solùm materialiter Lutheranus: Unde falsa opinio de persona Confessarii, non vitiavit Confessionem. Ita ille. Sed hanc responsionem Attrebatensis inter propositiones à se damnatas ordine secundam ponit. Antequam æquitas hujus censuræ examinetur, supponimus cum citt. P. Gobat Albertum fuisse hæreticum tantùm materialem; id enim prudenter supponi potest, & ex circumstantiis casus satis manifestò liquet.

Porrò primi Q. resolutio ex eo pendet, an aliquando liceat simulare Religionem falsam, & an aliquando licitum sit dissimulare Religionem veram? Ubi notandum, actiones significantes Religionem falsam in duplici esse differentia; aliæ enim sunt, quæ ex se, ex usu, & consuetudine, aut lege nullam aliam habent significationem, quàm Religionis falsæ, cujusmodi sunt genuflexio coram idolo, thurificatio, vestium gestatio, quibus in Sacrificiis impiis utuntur Gentiles, & similia; quia hæc spectatis iis circumstantiis nullam aliam habent significationem, præter cultum illius, in cujus præsentia offeruntur. Aliæ verò sunt, quæ insuper etiam aliam habent significationem, & ob alium finem assumi possunt, cujusmodi sunt esus carnium die prohibito, usus vestium, quibus cultores falsæ Religionis communiter utuntur &c. Hoc notato.

R. 1. & dico 1. Nunquam licet, etiam ob mortis metum, vel alterius gravissimi mali simulare positivè, & seriò, verbis vel factis Religionem falsam. Ita communissima DD. cum Suar. *de fid. D. 14. S. 4. n. 4.* Sanch. *l. 2. in Decal. c. 4. n. 14.* Valentia *2. 2. D. 1. q. 3. p. 2. dub. 4.* Tolet. *l. 4. Summ. c. 2.* Coninch. *D. 15. dub. 2. n. 14.* Vasq. *1. 2. D. 182. c. 5.* Palao *de fid. tr. 4. D. 1. pu. 6. n. 3.* ubi contrariam opinionem Adriani improbabilem pronuntiat. Ratio Conclusionis est; quia obligamur præcepto fidei negativo, quod proin obligat semper, & pro semper, ut non tantùm non protestemur Religionem falsam ex animo, sed etiam, ne illam protestemur quoad apparentiam, quia obligamur non negare fidem exteriùs: atqui hoc facit ille, qui verbis, vel factis simulat fidem, & sectam falsam: ergo. min. prob. quia qui ita simulat Religionem falsam, vult positivè haberi ab aliis pro sectatore falsæ sectæ, quam ita simulat: Et hinc nunquam licet, etiam ad mortem evitandam, aliudve gravissimum damnum uti verbis, aut factis, quæ spectatis circumstantiis nullam aliam significationem habent, præter cultum falsæ Religionis, uti sunt genuflectere, & preces fundere coram idolo, adolere thura &c. quia hæc est exter- 231

na

na fidei protestatio falsa, quæ est intrinsecè mala.

Neque obstat, te non intendere talibus signis falsam Religionem protestari, sed aliud longè diversum; quia sufficit, quod in re, & in apparentia, & facto ipso id intandas.

Conf. Si rogatus de fide illam verbis negares, esset id juxta omnes DD. intrinsecè malum, & nulla ratione honestari posset, etiamsi verba in alia significatione ab ea, quam habent, usurpares: atqui prædictæ illæ actiones æquivalent hîc verbis fidem negantibus; quia sicut verba nullam aliam habent significationem, ita neque illæ actiones spectatis illis circumstantiis, in quibus ponuntur, non habent aliam significationem, quàm cultûs idololatrici.

Conf. 2. Negari non potest, quòd executio illarum actionum, quibus per se sequitur Religio falsa, sit quidem cultus superstitiosus, siquidem sejungi non possunt â superstitione, quam habent colendi illum, in cujus præsentia fiunt: sed superstitiosus cultus semper est illicitus: ergo.

Porrò dixi suprà simulare positivè, & seriò; nam si simulatio non seriò, sed joci causâ fiat, aut repræsentationis, uti fit in comœdiis, omnes conveniunt, eam licitam esse, quia illa simulatio non est protestatio falsæ fidei, sed potiùs irrisio illius, neque est negatio fidei, sed repræsentatio negationis, ut notat Valent. cum aliis l. c.

R. 2. Licitum est dissimulare 232
fidem, seu Religionem veram tunc, quando non instat præceptum positivum manifestandi fidem, seu pro eo tempore, quo quis non tenetur profiteri suam Religionem. Ita communis DD. cum S. Thom. Ratio est; quia qui sic solùm dissimulat fidem, utitur jure suo, & non fatetur, quisnam sit, cùm ad hoc nulla lege cogatur: atqui qui utitur jure suo, non peccat: ergo non peccat, sicut non peccat Sacerdos, aut Religiosus, qui iter faciens per terras Hæreticorum, induit se vestibus hominis laici, aut sæcularis, non ea intentione, ut se sæcularem, aut laicum simulet (id enim mendacium foret) sed ut Sacerdotem, aut Religiosum celet, ac dissimulet; cùm enim obligatus non sit suum Statum vestimento prodere, sed occultandi jus habeat, ideo ad hunc finem consequendum, alieno vestimento se induere jure potest, permittendo interim, ut alii fallantur existimantes ipsum esse ex illorum hominum genere, qui communiter taliter vestiti incedunt: ex quo capite quilibet etiam potest ad se aliis occultandum uti vestibus, & signis, quæ non Religionem distinguunt, sed nationem,

nem, ut si quis vestitus incedat veste turcica; nam per accidens est, quòd ille, qui te sic incedentem videt, fortè turcam te esse putet. Imò juxta complurium probabilem sententiam cum Suarez. l. c. *S. 5. n. 7.* Valentia l. c. Conin. *dub. 3. n. 65. & 71.* Sanch. l. c. *n 19.* Em. Saa *V. fides, n. 4.* Palao l.c. *pu. 17.* Bannes, Aragon. & aliis, ex gravi causa licitum est uti vestibus, & signis, etiam destinatis ad hoc, ut infideles à fidelibus discernantur, quale signum Romæ est pileus flavus ad discernendos Judæos à Christianis. Id quod variis probant argumentis, præsertim verò ex eo, quòd hujusmodi vestes per se propriè, ac directè non sint signa protestativa falsæ sectæ, (alioquin peccarent etiam ipsi Judæi v. g. talem pileum gestantes, quin imò & Magistratus Catholicus delinqueret, compellens eos ad talem habitum gestandum) sed sunt res secundum se indifferentes, quibus uti per se malum non est, nec veræ fidei confessioni oppositum; quia attentis circumstantiis nullo modo vestium istiusmodi usus testatur infidelem esse eum, qui illas gestat, siquidem quilibet, qui te Christianum cognosceret, & sic vestitum videret, non judicaret te negâsse fidem, aut videri voluisse eam negâsse, sed solùm cogitaret, te ob metum mortis, aliudve malum voluisse sub his occultari: secùs est, si verbis, quamtumvis ambiguis, diceres te esse Judæum, Turcam &c. quia ex illis intelligerent audientes te ob timorem mortis fidem negâsse; quia verborum significatio strictior, & limitatior est, quàm vestium, & aliorum signorum. Dictum est suprè ex gravi causa; nam si absque tali causa id faceres; cùm tunc nulla ratio legitima adsit veritatem occultandi, meritò præsumi potest, te negâsse fidem, vel voluisse desertorem illius apparere, quod est intrinsecè malum, uti notat Conin. *dub. 3. n. 65. & 71.* cum Suarez, Sanch. & aliis. Ex dictis colliges, etiam eum, qui transit per terras Hæreticorum, si diebus prohibitis non possit respuere esum carnium absque suspicione fidei Catholicæ, & ex hac suspicione merito timeret peccatum grave, vel damnum sibi obventurum, posse vesci carnibus regulariter loquendo, ut sentiunt Palao l. c. n. 9. Coninch, Sanch. l. 2. *c. 4. n. 25.* Azor *cap. 27. q. 3. & c. 29. q. 7.* & alii; quia licèt per esum carnium diebus prohibitis aliquo modo distinguantur fideles ab infidelibus; non tamen esus illarum hoc ipso est institutus ad falsam fidei protestationem, & confessionem hæresis: ergo illis cibis utens non potest præsumi negare fidem veram, aut falsam protestari, sed tantùm voluisse occultare illam, cùm eam manifestare non teneatur.

Limi-

Limitant tamen id citt. AA. 1. Hoc licere tantùm, quando ejusmodi cibos non potes aliter sine suspicione respuere; nam si allegando aliam causam, v. g. debilitatem Stomachi, respuere illos cibos possis, debes id facere, & eos cibos respuere.

2. Limitatur, si non sequatur scandalum grave ex tali exemplo in Catholicis, ut si videntes te cibis vetitis uti existiment, te defecisse à fide, & sic etiam ipsi incitentur ad eam deserendam; tunc non licet eis tibi vesci, quod intelligendum est, ut notat citt. Palao, quando horum periculum vitare non potes manifestando causam, ob quam tibi licet uti cibis vetitis in tali occasione.

3. Limitatur, nisi authoritate publica, aut privata provoceris ad vescendum hujusmodi cibis in contemptum Religionis veræ.

Ex modo dictis colligi potest responsio ad 1. Q. videlicet non posse damnari actionem Catholici Sacerdotis, quâ dissimulavit se Catholicum Sacerdotem esse; nam etsi simulare sectam alienam nunquam liceat, licet tamen aliquando dissimulare propriam, & quidem non positivè, sed negativè solùm, permittendo, ut Albertus laudem Lutheri acceptaret pro signo Religionis falsæ, cùm tamen hæc laus fuerit prorsus indifferens, cùm etiam Dæmon propter aliquas dotes laudari possit. Nec obstat, quòd in errorem Sacerdos iste Albertum induxerit, ut existimaret Præconem Hæreticum esse; nam ad hunc errorem non induxit positivè, sed solomodo permissivè, permittendo scilicet, ut Albertus signum dubium, & incertum Religionis Lutheranæ acceptaret pro certo: atqui non tenetur aliquis semper impedire errorem alterius, sed tantùm tunc, quando error hic noxius foret; qualis tamen non erat error hic Alberti: igitur nullo ex capite Sacerdos hic Catholicus ob hanc suam fictionem culpari potest.

Ad 2. Q. Notandum est, non 238
quemlibet errorem personæ vitiare actionem, sed tantùm illum, qui versatur circa substantiam actûs: Sic invalidum est matrimonium, quod Cajus contrahit cum Titia, putans esse Bertham; validum verò est, quod contrahit cum Tulia, quam putat v. g. esse divitem, cùm non sit, siquidem hoc non appositi per modum conditionis, sine qua non. Sic invalidum est juramentum, aut votum, si error contingat circa aliquid, quod ingreditur substantiam juramenti, aut voti, v. g. vovisti peregrinationem Lauretanam, putans esse 5. vel 6. dierum, cùm sit v. g. 20. &c. & ratio est; quia tunc deest consensus. Contra verò validum est juramentum, vel

votum, si error contingat solùm circa aliquid accidentarium, quamvis sine illo non voluisses vovere, vel jurare; aliàs plerique contractus humani possent dissolvi, ut notant Less. Navar. Cajet. & alii. Hoc notato.

234 R. Error personæ in Confessario non vitiavit Alberti Confessionem. Ratio est, quia error personæ non vitiat actum, nisi ingrediatur substantiam actûs: atqui substantiam Confessionis ab Albertô depositæ, & absolutionis à Sacerdote impertitæ non ingreditur error circa personam Confessarii: ergo &c. maj. patet ex dictis, min. colligi potest ex circumstantiis casûs; Supponimus enim Albertum fuisse tantùm materialem hæreticum; & consequenter fuit animo ita constitutus, ut si cognovisset falsitatem suæ sectæ, & veritatem Religionis Catholicæ, voluisset suam relinquere, & Catholicam amplecti. 2. Jussit ad se vocari Præconem Lutheranum, ut huic confiteretur: ergo desiderium habebat consequendi salutem in Religione vera, licèt per errorem suam veram esse putaverit, ubi prævalet intentio generalis quærendi, & consequendi salutem in vera Ecclesia, ac faciendi quod Christus instituit: Unde si sciviset per Confessionem Præconi Lutherano factam, se non posse salutem consequi, hanc non deposuisset apud Lutheranum Præconem, sed apud Catholicum Sacerdotem, cujus Religionem fuisset etiam amplexus, si hanc veram esse existimasset.

3. Denique eò fine voluit Confessionem suam deponere apud Præconem Lutheranum, ut à suis peccatis expiaretur per formulam absolutionis, adeóque finis præcipuus, quem intendit Albertus per suam Confessionem, erat emundatio à peccatis, & hæc erat actûs substantia: hanc autem à peccatis emundationem longè meliùs invenit apud Catholicum Sacerdotem, quàm apud hæreticum Præconem, qui à Laicis absolvendi potestate non differt: ergo totam substantiam, quam Albertus intendit in Præcone hæretico, invenit in Sacerdote Catholico, & per consequens, error, qui contigit, totus fuit solùm circa qualitatem personæ, qnæ actionem non vitiat, ut suprà dictum est, nisi eidem, tanquam conditioni sine qua non, actionis valor alligetur.

Unde non obstat, quòd Albertus judicaverit, illum, cui confessus est, esse Præconem hæreticum, fortè eidem non Confessurus, si sciviset esse Sacerdotem Catholicum; nam substantia, quam Albertus intendit, erat solùm homo habens potestatem absolvendi à peccatis, & emundatio ab illis; neque enim confiteri voluit Præconi Lutherano, quia erat Præco Lu-

Lutheranus, sed quia putavit, se ab hoc absolvi posse, neque idcircò noluit confiteri Sacerdoti Catholico, quia erat Sacerdos Catholicus, sed quia per errorem putavit non pollere potestate absolvendi à peccatis, ei utique confessurus, si agnovisset hanc potestatem ipsi uni competere, & non Lutherano, sic etiam Religionem Catholicam fuisset amplexus, si veram esse cognovisset, atque adeò, sicut manens in sua Secta tantùm materialiter errabat, ita materialiter solùm erravit volens absolvi à Lutherano, dum absolvitur à Catholico; ut adeò implicitè habuerit hanc intentionem: volo absolvi ab hoc homine, quia judico, illum habere potestatem, me à peccatis absolvendi: Unde licet aliquo modo sub hac implicita conditione consenserit in absolutionem, si absolvens est Præco Lutheranus, meritò tamen prævoluisse censenda est universalis intentio, quâ voluit absolvi à præsente, quia putavit, eum habere legitimam potestatem, & sic error particularis correctus fuit per intentionem universalem, sicut in simili dicitur de matrimoniis hæreticorum.

Conf. si Cajus pœnitens ingressus Confessionale putet in eo sedere Titium, & huic intendat confiteri, non confessurus Paulo sibi noto, si sciret, hunc Titii confessionale occupâsse, non tamen propterea invalidè absolvitur; quia conditioni personæ valorem Sacramenti non alligavit, sed virtualiter hanc habuit intentionem: Nollem confiteri Paulo, quia ei notus sum, si tamen contingeret per errorem, ut ipsi confiterer, malo valere Sacramentum, & absolvi, quàm ut hac mea voluntate illud reddam invalidum, & non absolvar: ergo similis intentio meritò præsumi potest in Alberto, quæ virtualiter, & implicitè erat talis: volo absolvi à Præcone Lutherano, quem puto, me posse absolvere, & nolo absolvi à Sacerdote Catholico, à quo puto me non posse absolvi, si tamen contingeret, ut mihi offerretur Sacerdos Catholicus præ Lutherano, & hic haberet potestatem me absolvendi, malo potiùs ab hoc absolvi, quàm inabsolutus privari Cœlo, ad quod consequendum me præparo.

Ad 3. Q. R. Sacerdotem Catholicum Alberto rectè administrâsse Sacramentum Pœnitentiæ, illique Sacrum Viaticum dedisse. Ratio est; quia Sacramentum ritè, rectèque administratur ritè dispositò, & ubi adsunt omnia requisita tam ex parte Ministri, quàm ex parte suscipientis: atqui Albertus erat ritè dispositus, & nihil deerat ex parte ipsius, vel ex parte Ministri ad licitam, & validam absolutionem: ergo rectè fuit illi administratum hoc Sacramentum à Ministro, seu Sacerdote Catholico. maj. patet. min. prob. 1. ad omne Sacramentum administrandum, & suscipiendum requiritur in 235

Ministro, & suscipiente adulto intentio. 2. Ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor, & propositum cum prævis actibus fidei, spei, Confessio item saltem formaliter integra, & potestas in Ministro: atqui Albertus habuit intentionem suscipiendi hoc Sacramentum & Minister intendit illud conferre, cùm Albertus in hunc finem vocaverit Præconem, & Sacerdos Catholicus cum ea intentione accesserit. 3. Aderant actus fidei, spei, doloris supernaturalis, &c. Quia in his, & similibus ponitur fuisse sufficienter à Sacerdote Catholico instructus, ad quos eliciendos identidem eum est adhortatus. 4. Non defuit Confessio integra, quia, ut hæc fieret, eum adjuvit: Aderat etiam in Ministro potestas legitima absolvendi, & hic eidem absolutionem impertiit: ergo nihil fuit, quod Confessionem vitiare potuit, nisi error in persona Confessarii: atqui hic non vitiavit Confessionem Alberti, ut patet ex dictis: ergo valuit Confessio, & ritè absolutus, in statu gratiæ positus est: atqui ægroto posito in statu gratiæ, & desideranti S. Eucharistiam eadem administranda est: ergo Catholicus Sacerdos utrumque Sacramentum Alberto ritè, rectéque administravit.

Neque obstat, quòd Albertus se usque ad mortem Lutheranum professus fuerit; nam de necessariis ad fidem à Sacerdote Catholico instructus est, iisque assensum præbuit, ut adeò non nisi nomine Lutheranus fuerit, re verò Catholicus, cùm nec scientia, nec animus, nec aliud quidpiam ipsi defuerit.

Ex his colligi potest, quàm meritò censuram tulerit Attrebatensis Episcopus.

CA-

CASUS XLI.

De absolutione reservationis casuum in Confessione oblitorum, vel in ea invalida expositorum.

SImpson habens casum reservatum adit Superiorem pro ejus absolutione, qui eum ad Jobum Sacerdotem remittit, ut ab eo absolvatur: Accedit proin Jobum, eique sua peccata confitetur, ab eóque absolvitur; sed post peractam Confessionem, & acceptam absolutionem recordatur cujusdam alterius peccati reservati, cujus in ipso Confessionis actu oblitus fuerat: Unde dubitare incipit, an valida fuerit absolutio tum ratione peccati omissi, tum ex defectu sufficientis doloris, & propositi.

QUÆR. I. An Simpson censeatur etiam absolutus ab eo peccato reservato, quod ob inculpabilem oblivionem omisit in ipsa Confessione, ita ut quando postea occurrit eius memoria, possit illud remitti à quovis alio approbato non habente potestatem in reservata?

QUÆR. II. An Superior possit sola pœnitentis peccata reservata audire, & ab illis Sacramentaliter absolvere, & pœnitentem ad inferiorem remittere, absolvendum ab aliis peccatis mortalibus non reservatis?

QUÆR. III. An concessa per Superiorem, vel ejus delegatum absolutione à casibus reservatis in Confessione sibi expositis, tollatur reservatio, tametsi absolutio ex aliquo Confessionis defectu fuerit nulla?

236 ANte 1. Q. Resolutionem notandum est cum Dicastillo *tr. 8. D. 11. dubit. 8.* quæstionem esse posse vel de absolutione à censura reservata, vel de absolutione à peccato reservato per se sine censura; multùm autem interest inter absolutionem utriusque; nam absolutio à censura facta à Judice competente in alterutro, vel utroque foro potest habere vim sine ulla Confessione; potest enim per se tolli sola auctoritate Judicis absolven-

tis, etiam invito absolvendo: Absolutio verò à peccato non potest esse directa, nisi suppositâ aliqua illius Confessione. Undelicèt Superior aliquis expressè intenderet absolvere ab illo, quod per oblivionem inculpabiliter omittitur in Confessione, adhuc maneret obligatio illud explicitè confitendi, si postea memoriæ occurrat; quia non est directè, & per se in Confessione explicatum. Hoc notato, ac supposito.

237 Ad 1. Q. Respondent non nulli apud Dicastill. l. c. ejusmodi pœnitentem nullatenus manere liberum à reservatione peccati inculpabiliter in Confessione omissi; quia reservatio ad hoc fit, ut peccata reservata exprimantur habenti potestatem in illa, ut de illis judicare, congruam pœnitentiam injungere, & medicinam convenientem adhibere possit, quod fieri nequit, nisi illa distinctè explicentur.

Suarez verò *D. 31. S. 4.* distinguit, & siquidem subditus recurrat ad Superiorem expresso animo, ut à reservatis, si quæ habet, absolvatur, eamque intentionem Superiori suo manifestet, ait, tunc Superiorem velle auferre reservationem etiam respectu illorum, quæ pœnitens inculpabiliter oblitus est: Secùs si non eo animo accedat, nec id Superiori significet, sed ad eum recurrat tanquam pro Confessione ordinaria, & alia solùm peccata confiteatur non reservata, quia eo casu non est, unde colligatur velle pœnitentem à reservatione liberari, cùm nullâ existimet se reservatione adstringi, neque Confessarium eam velle concedere; addit tamen. n. 20. nisi facultas absolvendi è reservatis alicui concessa esset in favorem pœnitentis, quia tunc per concessionem talis facultatis censetur Superior, vel Pontifex abstuliss reservationem, si subditus tali gratia uti velit.

Nihilominus communis DD. 238
sententia apud Lug. *D. 20. S. 7. n. 85.* & Gabr. *in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. dub. 2.* cum Navar. *c. 26. n. 13.* Covar. *in c. Alma, 1. p. §. 11. n. 2.* Sylv. *V. Confessio, 1. q. 4.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 6.* Adrian. Cano, Ledesm. Sa, Nunn. Henriq. Reginal. Tambur. Gobat, Aversa, Filliuc. Rosell. Angel. Viva, aliisque, affirmat, eo in casu sublatam esse reservationem, & consequenter tale peccatum, cùm postea illius memoria occurrit, posse remitti à quovis habente potestatem in reliqua mortalia. Ratio autem communis sententiæ probabilis ac favorabilis est; quia Confessarius habens potestatem absolvendi à reservatis, quando profert formam absolutionis, expressè, vel saltem implicitè, ac virtualiter vult facere

cere quantum potest, & pœnitentem legitimè dispositum liberare à peccatis meliori modo, quo potest, ut colligitur etiam ex his verbis, quæ à Confessariis præmitti solent, *in quantum possum, & tu indiges &c.* atqui potest Confessarius tollere reservationem peccati per oblivionem omissi, potestque directè velle auferre vinculum reservationis, etiam quando indirectè solùm aufert peccatum, quia peccatum, & reservatio peccati sunt vincula diversa, ut adeò ablatio reservationis non fundetur, ut notat Lug. in sola vi, ac virtute indirectæ absolutionis, quod benè impugnat Vasq. adversarius, sed in potestate Confessarii, qui potest directè auferre reservationem eorum, quæ indirectè absolvit, & ita velle facere probabiliter præsumitur, etiam ex communi DD. sententia ita judicantium.

Conf. quia si pœnitens explicitè diceret, se desiderare solvi ab omni vinculo, quantum fieri potest, Superior jam præsumeretur auferre reservationem, ut fatetur etiam Suarez l. c. ergo etiam quando id explicitè non petit, quia etsi id explicitè non petat, censetur tamen implicitè, & interpretativè petere, hoc ipso, quòd veniat ad Confitendum, ut quantum fieri potest à peccatis omnibus absolvatur, & si ei occurreret peccatum reservatum, omninò peteret tolli ejus reservationem: Cùm ergo Confessarius cupiat ei esse prospectum, & prodesse quantum potest, censetur etiam hîc & nunc velle eum liberare à peccatis, quantum licitè potest, & consequenter tollere reservationem, præsertim cùm æquè licitè in tali pœnitente tollere possit omnem reservationem, ac in illo, qui hoc explicitè peteret; cur ergo non censeatur, ac præsumatur eam in utroque æqualiter velle tollere? Id, quod in peccatis ob censuram reservatis, ut fit in casibus Papalibus, satis manifestum est; cùm teneatur Confessarius ante absolutionem Sacramentalem tollere omnem reservationem peccatorum, quam hîc & nunc licitè tollere potest, hoc ipso, quòd absque gravi necessitate nequeat licitè impendere excommunicato beneficium absolutionis. Sublata autem Excommunicatione tollitar etiam reservatio peccati, cui censura est annexa, utpote quod propter hanc duntaxat fuerat reservatum, ut alibi dictum est de casibus Papalibus.

Nec urget ratio in contrarium allata, nisi supponat id, ut notat Dicastill. quod probandum est, scilicet per eam Confessionem non censeri Superiorem, vel Sacerdotem absolventem liberare hominem à reservatione peccatorum,

rum, nisi hæc exprimantur; nam si pœnitens subditus bona fide confiteatur suo Superiori, eique latebras cordis sui detegat, quantum scit, & potest, jam censetur facere, quantum est ex se, ut Superior adhibeat remedia ejus conscientiæ necessaria, talique manifestatione possit esse contentus ad eum à vinculo liberandum; & licèt pœnitens expressè non postulet sibi reservationem tolli; tacitè tamen, & interpretativè petit, quatenus petit à peccatis absolvi quoad fieri possit; Confessarius verò, ut pœnitenti faveat, & consulat, huic voluntati acquiescere censetur ex benigna Doctorum interpretatione, ut notat Coninch *D. 8. dub. 12. Concl. 5.* Et hinc nec Suarezianæ limitationis reliqui DD. memi nerunt, nec eidem subscribunt, sed generaliter, & absque distinctione loquantur.

239 Ad 2. Q. An Superior possit Sacramentaliter absolvere pœnitentem à reservatis tantùm, & illum ad inferiorem remittere à non reservatis absolvendum? Affirmativam sententiam tenent Navarr. *cap. consideret, §. cautus, n. 12.* Cajetan. *V. Confessio, condit. 10.* Paludan. *dist. 17. q. 5. a. 1.* Emm. Sà *V. Absolutio, n. 24.* Henriq. *l. 6. cap. 15. n 4.* Uterque Sotus, Gerson, Richard. & alii. Moventur 1. Quia in Romana Ecclesia viget consuetudo, ut auditis solis reservatis absolutio concedatur, quam consuetudinem improbare, ac damnare non oportet, ut infert Cajetan. l. c. 2. Quia quamvis integritas Confessionis sit de jure divino necessaria ad absolutionem, potest tamen ea omitti ex rationabili causa, qualis etiam est ordinaria Prælatorum occupatio & negotia, propter quæ proin omitti poterit, & auditis solis reservatis ab eis concedi absolutio.

Verùm sententia hæc communiter ab aliis rejicitur non admittenda, nisi in casu rarissimo, & ex causa gravissima, ut si Prælatus gravissimo negotio occupatus nequiret se ab eo expedire, nec subditi Confessionem per se audire, nec subditus ob necessitatem communicandi commodum tempus expectare posset. Ita Suarez *D. 31. S. 1.* Vasq. *de pœnit. q. 91. a. 3. dub. 10.* Dicastill. *tr. 8. D. 11. dubit. 18.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 5.* Coninch. *D. 7. dub. 9. à n. 80.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12.* C. Lugo *D. 20. n. 76.* Adrian. Sylvest. Canus, Rodriq. Henriq. Reginald. Bonac. Sayr. aliique complures. Ratio est, quia integritas Confessionis est de jure divino, atque adeò servanda; nisi rationabilis, & gravis causa excusat: atqui, ordina-

ordinariè saltem, nulla talis causa adest, nec adesse potest, ita dimidiandi Confessionem ; nam occupatioSuperioris tanta esse non præsumitur, quin possit integrè audire pœnitentem, præsertim cùm unum ex præcipuis negotiis Prælati sit, Confessiones subditorum audire, & medicinam peccantibus adhibere. Præterea esto quòd ob occupationem aliquam occurrentem non possit audiendæ Confessioni integræ vacare ; at potest non Sacramentaliter absolvere, sed remittere, & relinquere confessionem Sacramertalem inferiori Confessario, vel à principio in totum vices suas alteri Sacerdoti committere, de cujus prudentia, & scientia æquè benè confidat, sicque necesse non erit dimidiare Confessionem, & impendere absolutionem suprà Confessionem non integram. Unde

Ad consuetudinem in contrarium allegatam respondent aliqui, eam esse paucorum contrariam opinionem tenentium. Sed meliùs alii id negant cum Sylvestro, qui fuit Pœnitentiarius in Basilica S. Petri, & testatur oppositum, nec hodie, teste Lug. est talis consuetudinis vestigium.

Nec locus potest esse praxi ; quia reservata, ob quæ Romam venitur, sunt reservata Papæ ratione annexæ censuræ, quâ sublatâ extra forum Confessionis tollitur omnis reservatio, atque adeò frustra dimidiabitur Confessio Sacramentalis, si sufficit absolutio ab Excommunicatione. Unde usus, ac Stylus Romanæ Curiæ, ut notant citt. DD. est duntaxat circa absolutionem in casibus Papalibus habentibus annexam Excommunicationem Papæ reservatam ; Ubi non audiuntur reservata, ut Sacramentaliter absolvantur, sed audiuntur, ut sublatâ censurâ, & salutari pœnitentia imposita, Confessario ordinario remittantur Sacramentaliter absolvenda.

Ad 3. Q. An concessa per Superiorem, vel ejus delegatum absolutione à casibus sibi in Confessione declaratis, tollatur illorum reservatio, tametsi absolutio invalida fuerit & nulla ? Ratio dubitandi est, quia delegatus nequit tollere reservationem, nisi mediante absolutione Sacramentali, qualis non est illa, in qua pœnitens absolvitur indispositus. 240

Nihilominus Sylv. *V. Confessio, 1. q. 19.* Cajetan. *V. Casus*, Suarez *D. 31. S. 4. n. 9.* Lug. *n. 106.* Palao *l. c.* Coninch. *D. 8. dub. 12. Concl. 3.* Dicastill. *ad dub. incid. 3. n. 169.* Vasq. Henriq. aliique communiter affirmant tolli reservationem, &

peccata manere absolvenda à quolibet Sacerdote potestatem habente in peccata mortalia, dumodo non sit defectus potestatis in absolvente. Ratio est, quia per talem Confessionem, & absolutionem jam satisfactum est fini ipsius reservationis; siquidem pœnitens Superiori, vel ejus delegato se præsentavit, ut ab eo convenientem pro peccato reservato pœnitentiam, ac congruam medicinam acciperet, qui finis est reservationis: ergo non est, cur non cesset tunc reservatio. Id, quod Lugo, Dicastillo, & alii affirmant etiam de peccatis oblitis, licèt nulla reservatorum facta sit mentio, saltem si defectus valoris proveniat ex defectu doloris, vel propositi.

Nec urget ratio dubitandi; nam esto ipse delegatus per se reservationem non auferat, Superior tamen ex recepta consuetudine, communi Doctorum authoritate firmata eam tollit, eo ipso, quòd à suo delegato peccatum absolvatur, & pœnitens se stiterit convenientem pro eo medicinam acceptaturus.

CA-

CASUS XLII.

De Absolutione Casuum reservatorum impertienda ab eo, qui potestatem non habet in reservata.

PUella quædam nobilis Rosina nomine ex occulta fornicatione prolem suscepit, eámque secretissimè interemit. Hujus atrocitate facti perterrita triennio à Pœnitentiæ Sacramento abstinuit, putans nullum animæ suæ remedium Spirituale superesse. Cùm verò aliquando à Concionatore audivisset, nullum tam grave peccatum dari, cujus venia à Divina misericordia, mediante pœnitentia, impetrari non possit, spe remissionis concepta ad pedes dicti Concionatoris provolvitur, eique Sacramentaliter inter alia etiam prænarratum crimen confessa est, petens à suis peccatis se absolvi. Concionator audita Confessione eidem significavit se ex defectu jurisdictionis illam non posse absolvere, cùm homicidium ibi sit casus reservatus, nec posse interea per litteras facultatem obtinere, eò quòd instet tempus sui discessûs in suam Provinciam; Quare paternè eam admonet, ut ad Parochum suum accedat pro absolutione obtinenda, si ea potestate præditus sit, vel ut saltem pro licentia eam absolvendi ad Ordinarium scribat; at illa allegans Parochi, cæterorúmque ejus loci Confessariorum amicitiam cum ejus Parentibus, tantò magis pro absolutione instabat, protestans, se desperatam vitam, ut ante potiùs ductutam, quàm ut iterum prædictum crimen alicui alteri Confessario pandat, tantò magis, quia extra Parochiam ob parentum severitatem & notam infamiæ incurrendam exire non possit, quò liberiùs ignoto Confessario confiteri queat, & præcepto de peragenda communione Paschali satisfaciat. Unde Concionator dubius, & anxius, quid facere debeat iis in circumstantiis.

QUÆR. I. Quomodo se gerere debeat Confessarius non habens potestatem in reservata, si in Confessione advertat, inter non reservata exponi etiam reservata?

QUÆR. II. An prædictus Concionator directè absolvere potuerit Rosinam in iis circumstantiis?

QUÆR. III. Quibus aliis mediis eam juvare potuerit?

241 AD Q. 1. Variæ sunt DD. sententiæ. Aliqui, iique graves DD. apud Dicastill. *tr. 8. de Sacram. Pœnit. dubit. 17.* putant, absolutè, & sine ulla alia adhibita restrictione posse talem Confessarium absolvere pœnitentem ab omnibus peccatis cum onere tamen comparendi coram Superiore pro reservatis, quia censent, reservationem non fieri quoad absolutionem, sed quoad confessionem non Sacramentalem, ut scilicet subditus teneatur peccata reservata ad Superiorem deferre, ut ab ipso circa illa dirigatur, & pro eis pœnitentiam, & medelam convenientem accipiat: fieri autem posse, ut quis obsolvatur ab omnibus peccatis etiam reservatis, & quòd obligatus maneat ad deferendæ reservata ad Superiorem pro dicta instructione, & medela. Quorum sententiam limitant Sotus, Henriq. Suarez. Coninch. & alii RR. ut locum duntaxat habeat pro casu gravis necessitatis absolutionis, ut si non possit omitti Confessio, aut Communio sine gravi nota pœnitentis, aut scandalo; & insuper pro casu, quo pœnitens præter reservata confitetur etiam alia non reservata, & quando peccatum reservatum non habet annexam Excommunicationem.

Alii cum Richard. in *4. dist. 17. a. 2. q. 8.* Vasq. *q. 91. a. 3. dub. 9.* Adriano *q. 4. de Confess.* Turrian. *D. 31. dubit. 6.* aliisque RR. affirmant, Confessarium inferiorem extra articulum mortis non posse absolvere à reservatis, quamvis eis non sit annexa Excommunicatio, & quamvis pœnitens confiteatur alia peccata non reservata; sed tunc pœnitentem comparatione, & respectu reservatorum carere Confessario, adeóque urgente necessitate Confessionis, posse confiteri cætera non reservata, omisso illo peccato, de quo probabiliter timet grave incommodum, & de reservato se gerere, tanquam non esset copia Confessarii, eò quòd juxta Trident. *Sess. 14. c. 7.* Sacerdotes inferiores extra articulum mortis nihil possint in casibus reservatis,

adeóque

adeóque quoad reservata nequeant esse Judices; absolutio autem dari non possit, nisi à Judice.

Alii (quorum sententia magis placet) cum Navar. *in C. consideret, §. cautus, n. 13.* Suarez *D. 37. S. 2. & D. 30. S. 3.* Coninch. *D. 8. dub. 13.* Rodriq. *q. 21. a. 5.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12.* Dicastill. *l. c. n. 303.* Bonacina *D. 5. q. 7. p. 5.* Soto, aliisque pluribus ajunt, Ordinariè non debere Confessarium absolvere pœnitentem habentem casum reservatum, sed ad Superiorem mittendum esse, vel ab eodem facultatem absolvendi petendam esse, ut constat ex Trident. l. c. in casu tamen urgentis necessitatis, ut si sumenda sit S. Eucharistia, vel peragenda annua Confessio ad vitandum scandalum, vel infamiam pœnitentis, & Superior commodè adiri nequeat, posse tunc Confessarium absolvere pœnitentem confitentem etiam alia non reservata, directè quidem à non reservatis, indirectè autem à reservatis, impositō tamen onere pœnitenti se sistendi Superiori, ut à reservatis quoque directè absolvatur, nisi ipsemet Confessarius malit licentiam absolvendi petere, non nominata persona. Rationem dant, quia integritas Confessionis, & absolutionis directæ omnium peccatorum pœnitentis non est de essentia, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, sed præcepti divini, cujus omissio sæpè honestatur ob impotentiam etiam moralem tum pœnitentis, tum Confessarii, tum aliorum. Posito ergo, quòd pœnitens ligatus casu reservato ex una parte nequeat Superiorem adire, aut absolvendi licentiam ab eo petere; ex altera parte urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, poterit Sacerdoti habenti jurisdictionem in reliqua non reservata confiteri, ab eóque dicto modo absolvi: imò non solùm potest, sed etiam expedit, ut notat Palao *tr. 23. D. un. p. 15.* §. 7. tum dignitati, & reverentiæ Eucharistiæ exigentis, ut à conscio peccati mortalis præmittatur Confessio; tum securitati pœnitentis eam suscipientis: & licèt ea Confessio fieri non possit materialiter integra ob defectum jurisdictionis in Sacerdote, sufficit, quòd sit formaliter integra, habeatque eam integritatem, quam hîc, & nunc habere potest. Id, quod Suarez *D. 31. S. 3.* Palao l. c. Laym, Henriq. Coninch, & alii extendunt etiam ad casum, quo Excommunicatio annexa est reservationi; quia, cùm Excommunicatio jure tantùm Ecclesiastico arceat ab usu S. Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis, cùm lex humana, & Ecclesiastica non censeatur obligare in casibus maximæ necessitatis; atque adeò si excommunicatus ad vitandam infamiam suscipere potest S. Eucharistiam, multò magis in tali necessitatis

casu à peccatis absolvi poterit, non obstante Excommunicatione.

242 Quòd si tamen communicandi necessitate constrictus, habénsque duntaxat peccatum reservatum, Superiorem accedere non possit, ut ab illo absolvatur, non esse obligatum, ut inferiori Sacerdoti confiteatur, si absit scandalum, & communicaturus existimet se contritum esse, docet Suarez cum aliis citt. *D. 30. S. 5. n. 32.* ex regula communiter recepta apud Navar. *in c. placuit n. 112. d. 6. de pœnit.* quòd nemo per se loquendo obligari possit, ut idem peccatum bis confiteatur; talis autem idem peccatum reservatum bis confiteri deberet, scilicet non tantùm inferiori, sed etiam postea Superiori; per accidens tamen, si pœnitens alia peccata mortalia non reservata habeat, unà cum iis etiam reservata confiteri debere, tradunt complures contra Alex. Alens. Petrum de Soto, & alios à Suarez. citatos *D. 31. citt. S. 3. n. 8.* imò communis sententia teste Laym. l. c. cum Henriq. Suarez, Palao, S. Th. *in 4. d. 17. q. 3. a. 2. q. 2.* ubi in responsione ad quartum ita fatur: etiamsi Sacerdos non possit ab omnibus absolvere, tenetur sibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat. Id quod probabilius est, securius, & puritati Sacramenti convenientius.

Ad 2. Q. An præfatus Concio- 243
nator directè absolvere potuerit Rosinam in iis circumstantiis? Respondet Dicastill. *de Sacram. Pœnit. tom. 2. tr. 8. d. 11. dubit. 17. n. 305.* Confessarium, qui ex vi suæ facultatis generaliter habet jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis non reservatis in casu urgentis necessitatis probabiliter posse directè absolvere ab iis, quæ aliàs sunt reservata, eò quòd pro tali casu prudenter præsumatur non esse reservata, ut quando urgente necessitate Confessionis, aut Communionis Paschalis impossibilis moraliter, aut valde difficilis aditus ad Superiorem, vel alium delegatum datur. Rationem dat, quia cùm potestas Superioris, & exercitium illius semper sit, & præsumatur esse in bonum, & ædificationem, & non in destructionem animarum, & in hoc casu reservatio potiùs cederet in damnum, quàm in bonum pœnitentis, non censetur Superior exercere suam potestatem reservandi absolutionem pro illa occasione; & circumstantiis, quando ex reservatione gravissima damna sequerentur, & tanti Sacramenti frequentiâ privaretur, imò & Communione Paschali. Hæc autem voluntas credita, vel præsumpta Superioris ex parte Superioris, quâ tale peccatum

hîc,

hîc, & nunc ab inferiore Confessario possit absolvi, non est voluntas illa præsumpta, aut ratihabitio, seu interpretativa, quâ censeatur velle hîc, & nunc, ut tale peccatum reservatum absolvatur; talis enim voluntas nulla est, nec eam Superior actu significat, ut virtute illius censeatur inferior habere jurisdictionem, prout tamen requiritur, ut voluntas illa per aliquod signum exteriùs manifestetur, ut cum aliis docet Vasq. apud Mendo; sed est duplex alia voluntas Superioris, una, quâ contulit Confessario potestatem generalem absolvendi omnia peccata non reservata; altera est voluntas Superioris reservantis, quæ non censetur reservare peccata pro casibus tantæ difficultatis; quibus duabus voluntatibus sic probabiliter præsuppositis, & præsumptis censetur libera, & expedita facultas ad absolvendum ab illis peccatis, tanquam non reservatis, quæ aliàs extra illam occasionem, & circumstantias censerentur reservata.

Hanc doctrinam approbat etiam Diana *part. 11. tr. 8. R. 49.* ubi ait: Satis hæc probabiliter dicuntur: Unde Confessarius audiendo Confessionem nobilis fœminæ, quæ confessa est aliquod peccatum reservatum, quæ si non sumeret Eucharistiam, mater ejus in aliquam suspicionem veniret cum nota, & infamia puellæ, posset in tali casu Confessarius illam directè absolvere, quia tunc illud peccatum, ut probavit Dicastillo, non esset reservatum. Unde

Si talis supponatur casus Rosinæ, posset ille Confessarius iis in circumstantiis ab Ordinario aliàs approbatus in praxim deducere hanc non improbabilem opinionem; secùs tamen, si Parochus, vel alius præditus esset potestate absolvendi à reservatis, quem posset accedere, & solùm nolit, quia erubescit valde suum peccatum Parocho aperire, utpote sibi, vel parentibus suis valde familiari, & noto; nam sola erubescentia, & familiaritas non est causa sufficiens declinandi Confessarium in reservata jurisdictionem habentem; nam ideo reservantur peccata, ut per difficultatem obtinendi absolutionem vitentur hujusmodi peccata: ergo non potest esse voluntas Reservantis, ut pro casu magnæ erubescentiæ, & difficultatis deobligetur pœnitens, ut confiteatur habenti potestatem in reservata, aliàs hæc voluntas everteret finem, saltem partialem ipsius reservationis. Accedit, quòd erubescentia, & jactura, quam confitendo facit pœnitens, sui boni nominis, & æstimationis, sit per se annexa Confessioni, & imbibita in ipsa peccatorum manifestatione, sintque hujusmodi onera intrinseca ipsi Sacramento Pœnitentiæ. Quòd si Rosina obsti-

nato

nato animo obfirmata esset; se nulli alteri velle suum peccatum detegere, tunc tanquam indispositа nec directè, nec indirectè absolvenda foret.

244 Cæterùm non defuêre tali Confessario media juvandi suam pœnitentem, nimirum persuadendo, ut accederet Religiosum aliquem habentem delegatam potestatem in reservata, vel benè considerando, an non aliqua circumstantia eam potuerit excusare à reservatione, v. g. quia ignoravit homicidium esse casum reservatum, qua posita ignorantia probabile est non incurri casum reservatum, prout docent Navar. *in man. c. 27. n. 180.* Graff. *de casib. reserv. l. 2. c. 40. n. 29.* Quintanad. Burghab. & alii, & satis probabile censet Diana *p. 10. tr. 16. R. 3.* Qua proin opinione non imprudenter usus fuisset Confessarius advertendo magnam in sua pœnitente renitentiam, & difficultatem adeundi legitimum Confessarium; nam ubi vertitur magnum animæ periculum, ibi consulendum est omni meliori modo, probabili tamen, quò potest. Atqui improbabile non est ignorantiam excusare à reservatione: ergo.

Præterea si dicta pœnitens extra Parochiam ob parentum severitatem, aut infamiæ notam incurrendam exire non posset, quo liberiùs ignoto Confessario confiteri posset, nec proprius Parochus jurisdictionem in reservata haberet, tunc instante præcepto Communionis Paschalis poterit à Confessario, cui fassa est suum peccatum reservatum, unà cum aliis non reservatis, indirectè ab illo absolvi cum obligatione tamen, ut data occasione procuret directam absolutionem ab habente facultatem, v. g. à Religioso aliquo privilegiato, vel ab alio jubilæi tempore &c.

CASUS

CASUS XLIII.

De Confessione scripto facta, & danda scheda Confessionis.

LIbertus tempore Paschali confitetur Sylvestro Sacerdoti sua peccata cum magno, ut videbatur, dolore, sed, cùm ob non depositam, quam contraxerat, pravam consuetudinem à Sylvestro negaretur absolutio, petiit saltem schedam depositæ Confessionis ostendendam suis Superioribus, sed & hanc Sylvester dare renuit, quo audito abit Libertus non sine indignatione, & impatientia, relictâ ibi per inadvertentiam scriptæ Confessionis schedulâ, quam Baldus Confessionale postea subingressus reperit, eámque postea legit.

QUÆR. I. An Scheda Confessionis danda sit ei, cui ob indispositionem negata fuit absolutio?

QUÆR. II An sub sigillo Confessionis teneatur, qui casu schedam, in qua pœnitens sua peccata scripserat, reperit, & legit?

QUÆR. III. An Confessio præsenti Confessario fieri possit scripto; an verò vocis sermone sit necessariò facienda secluso casu necessitatis?

245 AD 1. Q. Non esse dandam Schedulam Confessionis pœnitenti, cui ob indispositionem negata fuit absolutio, censent Lugo *D. 23. S. 4.* Dicastill. *D. 12. dub. 7.* Bonac. *D. 5. q. 6. S. 5. p. 4.* aliique, quia Confessarius Schedam in eo casu negando nihil agit contra sigillum, eò quòd nihil dicat, sed solùm non approbet testimonio positivo illam confessionem, ad quod non tenetur; adeóque sibi imputare debet pœnitens, si Confessarius nolit eum positivè defendere, nec etiam condemnare. Accedit, quòd alioquin via pateret multis fraudibus; & deceptionibus pœnitentium sine

debita dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ accedentium, & Confessionis attestationem extorquentium ad suos Dominos, & Parochos decipiendos.

Affirmativam sententiam tenent Coninch *D. 9. dub. 1. n. 14.* Diana *R. 22.* Fagund. & alii, quibus ex parte favet Henriq. *l. 6. c. 22.* dicens expedire, ut ei Scheda præbeatur, etiam tempore præcepti Confessionis, addit tamen posse negari, eò quòd non teneatur Confessarius cooperari occultationi peccati. Rationem dant, quia negando tunc Schedam prodere videtur peccatum, & indispositionem pœnitentis, nec propterea dando mentitur, cùm verum sit, eum fuisse confessum.

Ex hisce duabus sententiis probabilibus præplacet posterior affirmativa, quia videtur, quòd negatio Schedæ ex scientia hausta ex hoc tribunali Confessionem pœnitentibus odiosam, & onerosam redderet, si de tali licentia eis constaret: quid quid autem in hoc foro Confessionem exosam reddit, & onerosam juxta communem regulam cadit sub sigillum. Accedit, quòd, si Schedula neganda sit, difficulter vitetur infamatio pœnitentis, si ab iis, quorum interest, Scheda exigatur, eáque non tradita rursus confiteri compellatur.

Ad 2. Q. Teneri eum ad sigil- 246
lum Confessionis, qui Confessionem memoriæ causâ ab alio scriptam reperit, sive ea jam facta sit, sive facienda, docent Malder. *tr. de Sigill. Confess. c. 13.* Delrius *l. 6. c. 1. S. 2.* Fagund. *l. 6. c. 5. n. 16.* Rodriq. *tom. 2. c. 55.* Graff. Vival. Homobon. aliique cum & apud Dianam *tr. 4. de Sacram. R. 112.* ea ratione moti, quòd illa charta inventa sit quasi internuncia, & Confessio inchoata; vel jam Confessio, si peccata jam sint clavibus subjecta: ideóque sacro sigillo sigillata.

Oppositam sententiam, idque probabiliùs, tenent alii, volentes ejusmodi Schedulæ repertorem teneri quidem sub secreto naturali, non verò sub sigillo Confessionis. Ita Lugo *D. 23. Sect. 3. n. 47.* Suarez *Sect. 4. n. 5.* Coninch *de Sacram. d. 9. dub. 4. n. 50.* Henriq. *l. 6. c. 20.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 14. n. 19.* Medina *l. 4. instruct. c. 4.* Navar. *c. 18. n. 34. & in cap. Sacerdos d. 6. de pœnit. n. 8.* aliique. Ratio est, quia talis scriptura non est Confessio Sacramentalis, sed tantùm remotè, & per accidens ordinatur ad Sacramentum Confessionis, tanquam materia præparata, ut faciliùs peragatur confessio. Sicut ergo, si pœnitens, dum facit apud semetipsum examen ad Confessionem, loqueretur voce intelligibili, ille, qui audiret,

diret, non obligaretur ad sigillum, quia non audit Confessionem, sed præparationem ad illam, sic scriptura illa nihil est aliud, nisi præparatio ad Confessionem, quam facit pœnitens memoriæ causâ, ut exactiùs confiteatur: ergo notitia ex illa scriptura non oritur ex Confessione Sacramentali, sed ex præparatione pœnitentis apud semetipsum ad Confessionem. Rectè tamen monent citt. DD. repertorem talis scriptæ Confessionis arctissimo secreto naturali obligari, ut mortale peccatum in genere Sacrilegii committat, si gravia, seu diffamantia peccata consultò legat, aut lecta aliis evulget, quia licèt ejusmodi scriptura non sit Confessio Sacramentalis, est tamen via ad illam, & cedit in irreverentiam Sacramenti, si occasione illius, quod in salutem animæ à Christo institutum fuit, aliquis detrimentum famæ inde patiatur. Hoc tamen intelligendum est, si inventor ejusmodi Schedulæ novit eum, qui scripsit, vel aliis evulget, qui illius notitiam habent, secùs, mortale non erit, si nullum sit periculum veniendi in cognitionem scribentis, vel si moraliter certus sit, non nisi levia & non diffamantia peccata in ea Scheda scripta esse & ex curiositate legat, vel lecta aliis evulget, tunc enim non debet censeri plùs, quàm venialiter peccâsse, ut notat Laym. quia non violavit sigillum Confessionis, sed tantùm naturale, cujus obligatio ob materiæ parvitatem minuitur. Cæterùm præstat, imò deberet inventor talis Schedæ eam comburere, aut lacerare, ne alius in eam incidat, qui noverit Characterem, & in cognitionem pœnitentis venire possit.

Ad 3. Q. Satis convenit inter 247
DD. quòd, quando pœnitens aliter se explicare non potest, possit nutibus, aut scripto confiteri, uti ex communi fidelium usu patet in mutis, & infirmis non valentibus aliter sua peccata explicare, & confiteri;

Sed quæstio est de casu, quo pœnitens potest voce loqui, & vocaliter sua peccata confiteri. Ubi non nulli cum Richard. & Palud. apud Vasq. *in præsenti q. 91. a. 4. dub. 4.* in id inclinant, quòd invalidum sit Sacramentum, si quis aliter confiteatur.

Verùm communis DD. sententia cum S. Th. *in 4. dist. 17. q. 3. quæstiun. 2. ad 2. & quodlib. 1. a. 10.* rectè affirmat, Confessionem vocalem non quidem necessariam esse necessitate Sacramenti, quia Christus solùm præcepit Confessionem, quâ pœnitens sua peccata manifestet Confessario, quod sufficienter fieri potest per nutus, vel scripturam, uti dictum est de mutis, & moribundis aliter confiteri non valentibus; esse tamen necessarium necessitate præcepti, seu Communis Ecclesiæ consuetudinis vim legis ob-

tinentis, ut notant Suarez. Vasq. Lugo, & alii; quæ proin non admittit Confessionem, nisi vocalem, ubi hæc haberi potest: Cui favet Capitulum *quem pœnitens de pœnit. dist. 1.* affirmans, non esse faciendam Confessionem per Scripturam, ut adeò Navar. *c. 21.* Vasq. Coninch. & alii à gravi peccato non excusent eum, qui nutibus, vel scriptura tantùm absque ulla vocis prolatione confiteretur, cùm tamen id voce, & ore facilè præstare posset. Quamquam non sit hac in parte tantus rigor adhibendus, ut ex rationabili causa id fieri non possit, ut notant citt. DD. Unde si quis magnam difficultatem experiretur in explicandis voce peccatis, v.g. ob pudorem extraordinarium, verecundiam, difficilem respirationem, vel si pœnitens, vel Confessarius sit surdus, aliamve rationabilem ob causam, poterit scriptam Confessionem Sacerdoti præsenti afferre legendam, expectando ab eo absolutionem, & interim doloris signa exhibendo. Quòd si ipsemet pœnitens peccata scripto consignata coram Sacerdote legat, vel illi tradat legenda, & finita Lectione affirmet, se de illis omnibus accusare, dolere, & absolutionem petere, haud dubiè satisfaciet obligationi hujus præcepti, cùm talis Confessio non scriptura, sed verbis facta censenda sit, siquidem quantum satis est, pœnitens ore confitetur. Neque obstat suprà dictis Concilium Florent. in decreto Eugenii, ubi dicitur, materiam hujus Sacramenti esse *oris Confessionem*; nam ibi tò *oris nomen* largiùs, ac latiùs accipitur, scilicet etiam pro signis æquivalentibus, prout idem Concilium paulò ante similiter dixerat, omnia Sacramenta novæ legis constare *verbis*, tanquam forma, quod etiam intelligendum est de verbis largiùs acceptis, ut constat ex Sacramento matrimonii, quod contrahi potest absque verbis, & vocibus strictè acceptis, sed etiam per alia signa æquivalentia.

)o(

CA-

CASUS XLIV.

De Communione Paſchali peragenda &c.

NIgronius famulus mercatoris Catholici in Angliam mittitur mercimonii causâ, qui, cùm ſibi per terras Hæreticorum tranſeundum ſit, prævideátque ſe in via non habiturum occaſionem communicandi tempore Paſchali, prævenit, & ante ſuum abitum communicat in Eccleſia Parochiali, ratus, ſic ſe jam præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe: Unde licèt poſtea in via opportuna ſe offerat occaſio adhuc intra tempus Paſchale communicandi, Communionem tamen omittit, & iter ſuum proſequitur, cúmque jam inter Hæreticos verſetur, in eorum hoſpitiis diebus Veneris, & Sabbati carnes comedit, diſſimulando ſe eſſe Catholicum.

QUÆR. I. An Nigronius prævidens impedimentum futurum, prævenire debuerit, & ante tempus Paſchale communicare?

QUÆR. II. An per eam Communionem anticipatam ſatisfecerit præcepto Eccleſiæ, anue oblata in itinere occaſione communicandi, Communionem poſtea repetere debuerit?

QUÆR. III. An per Communionem Sacrilegam ſatisfiat præcepto Communionis Paſchalis?

QUÆR. IV. An, & quomodo Nigronius peccaverit, carnes diebus prohibitis in via comedendo?

248 ANte 1. Q. Reſolutionem ſciendum, ſupponendumque eſt ex C. *omnis utriusque, de pœnit. & remiſſ.* ac Trident. *Seſſ.* 13. *can.* 9. omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriusque ſexûs, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingu-

lis annis saltem in Paschate S. Eucharistiam sumere, quod tempus Paschale quindecim dies complectitur, spectato jure communi, & præscindendo à loci consuetudine, aut privilegio, qui dies incipiunt à Dominica Palmarum, durántque usque ad Dominicam in Albis, juxta declarationem Eugenii IV. teste Navar. *Cap. 21, n. 45.* Hoc supposito.

249 Ad 1. Q. Non teneri Nigronium prævenire, affirmant Suarez *D. 70. sect. 2.* Azor *tom. 1. l. 7. c. 41. q. 13.* Dicast. *D. 10. de Euchar. n. 155.* Bonac. Leand. aliique, quos refert, & sequitur Diana *3. p. tr. 4. R. 43.* Rationem dant; quia nemo tenetur anticipare actum præceptum, nisi per talem anticipationem ita satisfaciat præcepto, ut postea liber sit ab obligatione: atqui per talem actum non liberatur ab obligatione satisfaciendi, ut probant, & patebit ex dicendis, ergo.

Alii è contra cum Fagund. *de præcept. Eccl. præcept. 3. l. 1. c. 6.* Nunnez *q. 80. a. 11.* absolutè Nigronium obligant ad prævenien-dum; quia aliàs differretur Communio ultra annum.

Alii cum Palao *tr. 21. pun. 15.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 5.* Lugo *de Euchar. D. 16. n 66.* Munies. *D. 31.* Gobat *tr. 3. n. 39.* distinguunt, & siquidem intra eum annum jam semel communicasti, censent, non dari obligationem præveniendi, & communicandi ante tempus Paschale, nisi fortè aliàs Communio ultra annum ab ultima Communione facta differenda esset; quia eatenus obligari poteras anticipare Communionem, quatenus obligaris, ne ultra annum Communionem differas: atqui esto omiseris eo tempore Comunionem, non tamen hæc differtur ultra annum, ut ponitur, ideoque non teneris anticipare; secùs verò si non communicaveras toto anno, nec amplius tempus suppetat communicandi intra eum annum, quorum opinio & nobis probabilior, ac verior videtur; Posito tamen, quod intra annum non communicaveris, meliùs, ac clariùs hæc doctrina distingui potest cum citt. Lug. hunc in modum: vel impedimentum, quod prævides futurum, duraturum est toto anno post tempus Paschale, vel non? Si prius contingat, teneris tunc prævenire, perinde ac ille, qui manens in loco novit, se die festo non posse ultimo sacro interesse, obligatur unum ex sacris præcedentibus audire, ut præcepto satisfaciat; & ratio est; quia in eo præcepto de annua Communione peragenda duo virtualiter continentur; primum scilicet, ac præcipuum, ut singulis annis Communio peragatur, secundum, ut fiat *ad minus* seu *saltem* in Paschate, ut loquitur Trident. l. c. atqui prævenien-do, & Communionem anticipando, adim-

adimplere potes primum, ac præcipuum illud præceptum singulis annis communicandi: igitur teneris prævenire, & præcepto, quod adimplere potes, satisfacere, etiamsi alteri communicandi scilicet in Paschate, satisfacere nequeas, uti ponitur. Si verò impedimentum, quod prævides futurum, non est toto anno duraturum, non obligaris prævenire, hoc ipso, quòd postea præcepto adhuc satisfacere possis: Unde

Ad fundamentum Suaretii R. dist. per ejusmodi communionem anticipatam non satisfacit homo obligationi annuæ Communionis, seu singulis annis communicandi, n. non satisfacit obligationi Communionis Paschalis, seu communicandi in Paschate, C. non enim obligatur ad anticipandum propter hoc secundum præceptum communicandi in Paschate, sed propter primum, ac præcipuum communicandi singulis annis, posito, quòd impedimentum sit toto anno duraturum, ut alibi à nobis dictum est in libello de Confessione, & Communione.

250 Ad 2. Q. an ille, qui prævenit ob interveniens impedimentum, sublato postea impedimento, & oblata opportuna occasione communicandi, teneatur rursus Communionem iterare, ut præcepto satisfaciat? Diana *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 42. cum Fernand. *tr. de Euchar. p.* 8. *d.* 1. *n.* 10. Gobat *tr.* 4. *Cas.* 3. *n.* 40. & aliis negativè respondet. Ratio est; quia juxta cap. *omnis utriusque sexûs citt.* licitum est ex consilio proprii Sacerdotis differre Communionem, ut patet ex his verbis: Omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, suscipiens reverenter ad minùs in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus duxerit abstinendum: ergo licitum quoque erit ex consilio viri docti eandem anticipare, ac prævenire, ita quidem ut pari modo omnis penitùs obligatio extinguatur. Accedit, quòd ut ait Gobat n. 40. talis præveniendo fecerit totum id', quod verisimiliter ab illo postulasset Legislator, si fuisset interrogatus.

Nihilominus contrariũ, tanquam probabilius, tenendum est cum Suarez l. c. Palao l. c. Lug. citt. *D.* 16. *n.* 70. Burghab. Nunn. & aliis, volentibus, eum, qui ob aliquod impedimentum prævenit, sublato postea præter intentionem impedimento, teneri rursus in Paschate Communicare. Ratio colligitur ex dictis; quia per anticipatam illam Communionem satisfactum quidem est præcepto annuæ Communionis; non tamen satisfactum est alteri præcepto communicandi tempore Paschali, quod nunc impleri potest; adeóque

que obligaris non vi præcepti singulis annis communicandi, sed vi præcepti Communionis Paschalis quà talis, quod adhuc restat implendum, & impleri potest. Unde

Ad rationem in contrarium allatam R. negando paritatem; disparitas est multiplex. 1. Quia illa dilatio Communionis ultra tempus Paschale in ipso jure est concessa, ut patet ex verbis expressis citt. *cap. omnis utriusque* nihil autem tale concessum, expressúmque habetur de anticipatione Communionis. 2. Quia per illam dilationem concessam non omnis obligatio communicandi penitùs extinguitur, sed differtur duntaxat *ad tempus*, ut ibi dicitur, ob rationabilem causam. 3. Quia facta dilatione ex rationabili causa non ampliùs potest fieri satis præcepto Communionis Paschalis, qua talis: At verò potest adhuc satisfieri præcepto illi post factam præventionem, si nempe impedimentum, quod certò putabatur futurum, postea tollatur, & opportuna se offerat occasio satisfaciendi adhuc Paschali Communioni quà tali, uti ponitur in casu. Nec recurrendum est ad voluntatem præsumptam Legislatoris, cùm ejus mens potest aliunde satis colligi, & licèt talis præveniendo fecerit totum id, quòd tunc potuit, non tamen id, quod nunc potest, & juxta dicta facere tenetur.

Ad 3. Q. Probabilis a ratione, 251
& Authoritate multorum gravissimorum DD. fuit antehac sententia, docens, satisfieri posse præcepto Communionis Paschalis per Sacrilegam Communionem, non minùs, quàm satisfit præcepto audiendi Missam per mortaliter peccaminosam ejusdem auditionem.

Verùm hujus sententiæ probabilitas sublata est hodie ab Innoc. XI. qui anno 1679. 2. Mart. hanc proscripsit propositionem n. 55. *Præcepto Communionis annuæ Satisfit per Sacrilegam Domini manducationem.* Et ratio est, uti notat Dominicus Viva; quia præceptum Ecclesiasticum de Communione Paschali est modificatio duntaxat præcepti Divini, instituentis hoc Sacramentum, non solùm ut Viaticum, sed etiam ut alimentum, & cibum spiritualem animæ, ut patet ex illis Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*; præcepto autem Divino non satisfit per Sacrilegam manducationem, quâ venenum, & non alimentum sumitur, juxta illud Apostoli, *probet se ipsum homo &c. qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.* Ergo neque satisfit præcepto Ecclesiastico, utpote quod est modificativum præ-

præcepti Divini. Imò etsi præceptum Communionis Paschalis esset merè Ecclesiasticum, non tamen illi satisfieret per manducationem Sacrilegam juxta citt. *cap. omnis utriusque* &c. quod præcipit, ut Sacramentum Eucharistiæ *reverenter* suscipiatur ad minus in Paschate: hoc autem non fit per Sacrilegam comestionem, quæ juxta mentem Ecclesiæ non solùm physica esse debet, sed moralis physicam includens; moralis autem manducatio est sumptio corporis, & sanguinis Domini per modum cibi, & potûs animam nutrientis, & roborantis; non verò per modum veneni eam spiritualiter occidentis.

252 Ad 4. Q. Respondent Sanch. *l. 2. c. 4. n. 25.* Azor *cap. 27. q. 3. & c. 29. q. 7.* Martin. Becanus *cap. 9. q. 5. dub. 5.* Laym. *l. 2. tr. 1. cap. 11.* Palao *D. 1. p. 17. n. 9.* Coninck, & alii, non peccare Catholicum, si inter hæreticos die interdicto carnes comedat, ut celet suam Religionem, ne inde periculum vitæ, bonorum, vel aliud grave damnum incurrat. Rationem dant; quia neque peccat contra Ecclesiasticam jejunii legem, utpote quæ in tali necessitate non obligat, neque contra legem Divinam non abnegandi veram fidem, ut alibi dictum est; quia licèt per esum carnium diebus prohibitis aliquo modo distinguantur fideles, & Catholici ab infidelibus, & hæreticis, non tamen esus illarum per se est nota, aut professio hæresis: ergo illis cibis utens non potest præsumi negare fidem veram, aut falsam protestari, sed tantùm voluisse occultare illam, cùm eam manifestare non teneatur: Quare etiam inter Catholicos reperiuntur, qui die interdicto carnes comedunt, vel ob justam causam excusati, vel ob injustam victi, & superati.

Neque obstat, quòd hæretici ex tali carnium comestione colligere possint, aut soleant, talem comedentem esse fidei suæ sectatorem; quia id per accidens fit, & ex gravi causa hanc ipsorum deceptionem permittere haud illicitum est, dummodo absit scandalum, & Religionis contemptus. Unde

Limitant hanc doctrinam citt. AA. cum aliis. 1. Tunc tantùm licitum id esse, quando ejusmodi cibos non potest quis aliter respuere sine suspicione, & damno; nam si allegando aliam causam, v. g. Stomachi debilitatem &c. respuere tales cibos possit, debet id facere, eósque cibos respuere.

2. Limitatur, nisi ex tali exemplo sequatur grave scandalum v. g. in Catholicis, ut si videntes,

te cibis vetitis uti, existiment, te defeciſſe à fide &c.

3. Limitant, niſi authoritate publica, aut privata provoceris ad veſcendum hujusmodi cibis in contemptum Religionis veræ, ut ſi quis hæreticorum ad explorandam tuam fidem in hoſpitio, & eadem menſa die interdicto tibi dicat: Qui Evangelicus eſt, & Papæ inimicus, ex hoc carnium ferculo ſumat, & comedat.

Ex his patet reſponſio ad 4. Q. videlicet non peccâſſe Nigronium, ſi in via eos cibos reſpuere non potuerit absque gravi ſuo incommodo, & damno. Secùs ab eis abſtinendum fuiſſe.

CASUS XLV.

De jejunio naturali ad Communionem & Miſſæ celebrationem requiſito.

Blbax, cùm in hoſpitio in ſeram usque noctem ſe detinuiſſet, altero die, cùm manè communicare cogitat, incipit dubitare, an biberit adhuc ante, vel poſt medium noctis, & an dum os ablueret, modicum aquæ in Stomachum deſcenderit, quo tamen dubio contempto Sacræ menſæ accumbit, & communicat.

QUÆR. An qui certò ſcit, ſe comediſſe, vel bibiſſe, ſed dubitat, an id ante, vel poſt duodecimam noctis horam acciderit, poſſit ſequenti die licitè Communicare, vel celebrare?

QUÆR. II. Et an, qui ſcit, ſe poſt medium noctis fuiſſe jejunum, ſed dubitat, an poſtea aliquid de cibo, vel potu deglutiverit, & in Stomachum deſcenderit?

QUÆR. III. An, qui ad primum horæ duodecimæ pulſum non ſtatim ceſſat à potatione, vel comeſtione, ſed expectat, donec omnes ictus abſolvantur, poſſit licitè die ſequenti communicare?

Ad

253 AD 1. Q. Supponendum hîc est, Sacram Eucharistiam per se, & regulariter loquendo, sumendam esse à jejuno, ut constat ex complurium Conciliorum Decretis apud Gonzal *in C. ex parte 5. h. tit.* & ex continua, atque ab Apostolis usque deducta consuetudine, cujus rationem reddit S. August. *in Epist.* 118. *ad Januar.* ubi, *placuit*, inquit, *Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi.* Est autem hîc sermo de jejunio naturali, & perfecto, quod incipit à puncto mediæ noctis usque ad tempus, quo sumitur hoc Sacramentum; adeóque sumptionem hanc impedit sumptio cujusque rei, quæ cibi, potûsve rationem habet, etiam minimæ, quæ per vitalem comedendi, bibendique actionem in Stomachum trajicitur: Ubi duo requirunt DD. 1. Ut talis res, quæ sumitur, saltem per accidens nutrire possit, vel nutritionem juvare, ut plures volunt contra alios. 2. Ut talis res ore sumatur ab extrinseco, & per se, ac propria actione vitali in Stomachum demittatur, Unde Suarez cum aliis pluribus *D. 68. Sect. 4.* generaliter asserit, per id, quod non provenit ab extrinseco, non frangi jejunium naturale ad Communionem requisitum, adeóque non impedire Communionem, si quis reliquias ex cibo præcedentis diei dentibus implicitas, & adhærentes deglutiat, vel sanguis, aut alius humor ex naribus, vel capite in Stomachum defluat, vel si casu, & præter intentionem guttula aquæ salivæ immixta, dum os abluis, trajiciatur, quia sic trajecta non demittitur in Stomachum tanquam cibus, vel potus, sed tanquam saliva, cui est immixta. His præmissis, ac suppositis.

Ad 1. Q. Affirmativè respon- 254
dent Joan. Sancius *in select. D. 42. n. 1. & 9.* Dicastill. *tom. 1. de Sacram. tr. 4. à n. 282.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4.* Gobat. *tr. 4. n. 280.* Bardi *de conse. discept. 6. c. 11. p. 3. §. 2.* Burgh. *cent. 3. cas. 96.* Medin. & alii, quorum sententiam probabilem dicit Carden. *D. 26. n. 87.* & in praxi securam, ac tutam pronuntiat Diana *tr. 4. de Sacram. R. 29.* Rationem dant, quia homo habet jus, & quidem multò ante acquisitum, & libertatem communicandi, & Sacerdos celebrandi singulis diebus, quibus non est impedimentum: ergo ne hoc suo jure uti possit, impedimentum certum superveniat, necesse est, quia impedimentum dubium non sufficit ad deturbandum hominem à sua juris possessione, quæ ad celebrandum, vel communicandum certa præsupponitur. Accedit, quod, ut notat Laym. l. c. lex Ecclesiastica de jejunio communicaturis servando non videatur tam arctè constringere conscientias in casu

dubio, siquidem in ejusmodi casibus favorabilia præsumere licet, ne conscientiæ nimis adstringantur.

Conf. in dubio, an inceperit legis obligatio, non tenemur lege, quia melior est conditio possidentis suam libertatem ab obligatione, sicut cùm dubitas, an 21. ætatis annum expleveris, non teneris jejunare: atqui communicaturus in tali casu dubitat, an inceperit tempus obligationis legis ad jejunium naturale: ergo &c.

Negativam sententiam, quòd dubitans, an ante, vel post duodecimam noctis horam comederit, vel biberit, non possit licitè die sequenti S. Eucharistiam sumere & communicare, tenent Thom. Sanch. *l. 1. de matr. D. 41. n. 40.* Lugo *D. 15. Sect. 2.* Tambur. *de Comm. c. 2. n. 29.* Fagund. *l. 3. c. 5. n.* 18. Villal. Salas, Ovied. Bonac. & alii communiter, teste Palao *D. 3. p. 8. n. 9.* ea ratione moti, quòd in tali casu possessio non sit ex parte communicaturi, ut propterea in dubio ejus conditio sit potior, sed ex parte præcepti communicandi servatô jejuniô naturali, quod communicaturus probare debet, siquidem unusquisque probare debet fundamentum suæ exigentiæ, aliàs succumbet juxta *L. ei, qui dicit. ff. de probat.* fundamentum autem exigentis Communionem, vel celebrationem est jejunium, quod proin probari debet.

Conf. Ex eo, quòd dubitans de qualitate requisita ad aliquem actum, v. g. de legitima ætate ad Ordines, teneatur abstinere, nisi eam probare possit; qualitas enim non præsumitur, nisi probetur, ut benè probat Menoch. *Consil. 35. n. 31. & Consil. 1. n. 121.* ergo pariter communicaturus, vel celebraturus dubitans de jejunio ad Communionem, vel celebrationem requisito abstinere debebit, nisi jejunium probare possit, cùm præceptum jejunè sumendi S. Eucharistiam sit hîc in possessione, semperque per se obliget, nisi aliunde constet de licentia.

Ex duabus hisce sententiis, licèt 255
prior affirmativa sit valde probabilis; posterior tamen negativa probabilior videtur; cùm enim utraque titulum possessionis sibi vendicare allaboret, prior libertatis, posterior præcepti, videtur possessio potiùs stare pro præcepto prohibente comestionem ante Communionem, vel celebrationem, quàm pro hominis libertate, ut dictum est alibi in libello de Confess. & Communione p. 2. quia cùm certò scias, te comedisse, vel bibisse, & dubites, an id acciderit post mediam noctem, possessio non est pro tua libertate, sed pro præcepto prohibente comestionem ante

Com-

Communionem, tibique incumbit onus probandi, quòd non comederis post medium noctis, sicut, quod est exemplum C. de Lug. si quis sciat, se voviſſe, & dubitet, an ante, vel post septennium, tenetur voto, & onus probandi, quòd fuerit ante septennium, incumbit voventi. Rursus si ego ex obligatione tibi numum dare debeo singulis diebus totius anni, & hodie jam tibi numum dedi; tu verò petis alterum, quando dubitatur, an sit jam altera dies, debes probare, jam finitum esse priorem diem, quia de solutione constat, sed non de die nova, quæ tibi dat jus ad aliam solutionem petendam.

Pari modo, si habes jus ad communicandum tantùm semel singulis diebus, prout de facto habes, & hodie jam communicasti, postea dubites, an sit media nox, & an rursus communicare possis pro die altera, tibi incumbit onus probandi; quia de Communione constat, sed non de inceptione novæ diei, quæ dat tibi jus ad novam Communionem: ergo pariter, qui certus est de comestione, & dubitat de inceptione novæ diei post comestionem, non poterit communicare; quia sicut solutio semel facta jus aufert ad exigendum iterum debitum eadem die, & sicut Communio tollit jus ad alteram Communionem eadem die; ita comestio facta aufert tibi jus ad comunicandum eadem die, nisi probaveris novam diem incepisse post factam comestionem.

Unde colligi potest responsio ad rationem primam sententiæ oppositæ; negatur enim, quòd homo habeat libertatem, & jus absolutum communicandi, nisi probata dignitate, & jejunio tanquam qualitate requisita ad Communionem, quando scit, se comedisse, & semel ea die communicâsse; tunc enim ipse probare debet incepisse novam diem post comestionem.

Ad secundam R. Legem, seu præceptum jejunè sumendi S. Eucharistiam, esse hîc in possessione, ut modò dictum est, semperque obligare per se, & nisi aliunde constet de licentia, vel post comestionem factam probetur hîc jejunium requisitum.

Ad 2. Q. An communicare, vel celebrare possit, qui scit post mediam noctem se fuisse jejunum, sed dubitat an postea aliquid de cibo, vel potu in stomachum descenderit? 256

Negativam sententiam docent Th. Sanch. Oviedo, Salas, Fagund. Rodriq. aliique, qui ad dubium, & quæstionem præcedentem negativè responderunt, à quibus recedit C. de Lug. putans, &

probans, magnum esse discrimen inter illud, & hoc prælens dubium. Ratio negativæ sententiæ est; quia jejunium prærequiritur ut conditio ad participandum illud Dei beneficium: ergo qui vult illius particeps fieri, debet probare se habere conditionem requisitam; sicut in foro externo, qui vult frui beneficio, quod nobili conceditur, se nobilem probare debet.

Affirmativam sententiam, quòd in posito casu liceat communicare, vel celebrare, docet Lugo l.c. & à fortiori illi, qui cum Laym. Dicastill. Carden. Pasqual. &c. etiam in dubio præcedente affirmativam sunt amplexi. Ratio est, quia, qui ita dubitat, certus est, quòd fuerit jejunus post medium noctis, habétque jus certum semel communicandi pro illa die, nec tenetur positivè probare se esse idoneum, sed satis est, quòd sciat, se fuisse idoneum, & non sciat, se non esse ampliùs; nam sic manet in possessione suæ libertatis, & juris certi, quod habuit, donec ei contrarium probetur, & à sua possessione dejiciatur; ad eum modum, quo in foro externo condemnari debet ille, cui incumbit onus probandi, & adversa pars absolvi, si manente dubio deficiat probatio; atque adeò dum manet dubium, an talis comederit, nec ne, nihil probatur contra ipsum, ejusque jus certum, quod priùs habebat, quodque non scit se amisisse, nec contrarium probatur; sicque absolvendus, & ad communionem admittendus erit.

Sententia hæc utique verè probabilis est, imò probabilior opè positâ negativâ, ad cujus rationem in contrarium allatam respoderi potest, dist. conseq. nisi sciat ante medium noctis se fuisse jejunum, & jus tunc habuisse ad Communionem, C. C. secùs, n. c. nam tunc non debet ipse probare positivè qualitatem, & conditionem, quam scit se habuisse, sed sufficit, si se negativè habeat, quia tunc solùm paratus venit ad sui defensionem, manétque in possessione juris certi præhabiti, donec ab illa positivè ab adversario deturbetur.

Ad 3. Q. Complures rectè 257
cum Lug. l. c. Diana *tr. 13. R. 54.* Castro Palao *tom. 1. tr. 2. D. 2. p. 7.* Negativè respondent, quia jejunium naturale incipit à puncto mediæ noctis, quæ apud nos est hora duodecima; hora autem duodecima ad primum horalogii ictum jam completa est, & terminata, & jam incipit tempus sequentis horæ; nam ictus non ante incipiunt, quàm hora sit finita, & absoluta, quæ hora cùm unico pulsu, seu ictu indicari non possit, ideo ictus multiplicantur, & repe-

repetuntur usque ad duodecimum, inter quem proin, & primum ictum notabile in hac materia temporis spatium intercedit post horam duodecimam jam completam.

Non nulli tamen apud Dian. l. c. & cum & apud Leandrum *tr. 7. D. 5. q. 7.* docent non improbabiliter, ubi unicum est tantùm horologium, cùm duodecima noctis hora sonare incipit, non teneri eum, qui communicaturus est die sequenti, statim ad primum ictum desistere à cibo, vel potu, sed posse pergere, donec omnes pulsus absolvantur, eò, quòd signum horæ sit moraliter accipiendum, non verò in rigore mathematico.

Quòd si plura sint horologia aliàs benè procedentia, & non constet de errore alicujus, potest quis cujuslibet etiam ultimi mensuram sequi, prout docent Lugo Th. Sanch. Dicastillo Dian. aliíque, quia singula horologia, quamdiu non constat de errore, faciunt opinionem probabilem, quam quis licitè sequi potest; non tamen sunt horologia pro libitu varianda in fraudem legis, aut præjudicium tertii, ut notat, & probat Lugo variis exemplis.

CA-

CASUS XLVI.

De puerorum communione, S. Viatico, aliisque eorum obligationibus præcepta Ecclesiast. concernentibus.

THeresia relicta vidua cum gemina prole ex Tharso marito defuncto susceptа, tota est in ea benè educanda, & pietate eidem instillanda. Post 3. menses à morte patris Rosalia filia minor jam septennis ægrotare incipit; cùm autem morbus in dies augeretur, Theresia mater mortis periculum animadvertens Parochum adit, ex eóque exquirit, an Sacrum Viaticum Rosaliæ periculosè decumbenti præberi possit, aut debeat, qui cùm de sufficiente usu rationis dubitaret, eam S. Viatico munire intermittit.

QUÆR. I. An pueri septennium egressi teneantur præcepto Communionis Paschalis, & an eisdem, completo septennio, dandum sit S. Viaticum in Articulo mortis?

QUÆR. II. An iisdem præberi possit, aut debeat sacrum Viaticum, quando Parochus, vel Confessarius dubitat, an sint doli capaces, & sufficiente rationis usu polleant?

QUÆR. III. An pueri, cùm ad usum rationis perveniunt, teneantur statim legibus Ecclesiasticis, quæ expressè tempus obligationis non determinant?

258 AD 1. Q. Infantibus ante usum rationis non esse hodie administrandam S. Eucharistiam, patet ex usu, & praxi Ecclesiæ, ac unanimi DD. consensu; nam licèt olim in primitiva Ecclesia consuetudo viguerit communicandi etiam infantes, uti referunt D. Dionys. *de Eccles. hierarch. c 7. p. 3.* Lugo *D. 13. sect. 2.* & Trident. *Sess. 21. c. 4.* ea tamen consuetudo postea justas ob causas sublata est.

Quam

Quam primùm tamen pueri usum rationis adepti sunt, & capaces, ac digni judicantur, qui ad peccatorum Confessionem admittantur, potest illis licitè præberi Sacra Eucharistia, ut tenet communis DD. quia cùm usum rationis habeant, (quod communiter completo septennio accidere solet) & annos discretionis, panem cœlestem à corporali, ac vulgari distinguere possunt, præsertim accedente proba institutione, ætatis imbecillitatem compensante; attamen ex usu, & indulgentia Ecclesiæ major ad Communionem, quàm ad Confessionem judicii maturitas expectari solet, ubi alii decennium, alii annum duodecimum requirunt ad hoc, ut videantur pueri habere discretionem ad reverenter suscipiendam Eucharistiam. Verùm cùm aliquibus citiùs, aliquibus tardiùs adveniat usus rationis, certa ætas requiri, ac definiri non potest, sed id meliùs prudentis arbitrio relinquendum est, ut docet communis DD. & patet etiam ex *cap. omnis utriúsque Sexus* &c. ubi hoc præceptum communicandi imponitur, remissa arbitrio Confessarii temporis prorogatione.

Quòd si Confessarius, aut Parochus non judicet, nec expressè consulat, differendam esse S. Communionem, S. Anton. *2. p. tit. 9. cap. 8. & 3. p. tit. 14. c. 12. §. 5.* Palud. *4. dist. 12. q. 1. n. 25.* Tabien. *in Summ. V. Communicare n. 3.* Valent. *4. tom. D. 5. q. 8. p. 2.* Palao *tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2.* Lacroix *l. 6. n. 649.* aliique. Affirmant quemlibet puerum, cùm ad annos discretionis venit, & obligatus est lege Confessionis, obligatum quoque esse præcepto Communionis Paschalis per se loquendo, & nisi proprius Sacerdos judicet id esse differendum, ut dictum est. Moventur 1. Quia, cùm Ecclesia non determinet ætatem, sed tantùm requirat annos discretionis, cùm hi adsunt, adest etiam, per se loquendo, obligatio præcepti. 2. Quia in *cap. omnis utriusque sexus* &c. omnibus fidelibus æqualiter imponitur & præceptum Confessionis, & Communionis in Paschate, uti notat ibi Gloss. solúmque ibi subjungatur, Communionem differri posse ex Consilio proprii Sacerdotis, non quia obligatus non sit communicare, qui obligatus est confiteri; sed quia possunt esse plures causæ prorogandi tempus communionis.

Accedit, quòd, ut ait Palao l. c. Non minor discretio requiratur ad recipiendam absolutionem Sacramentalem, quàm ad recipiendam reverenter Eucharistiam; cùm ad recipiendam absolutionem non solùm requiratur, ut scias distinguere inter bonum, & malum, sed ut scias, te debere omnia peccata cum intimo dolore, ac proposito requisito Confessario ma-

nifestare, quod non minùs difficile est, quàm scire te non debere communicare, nisi jejunum,& à peccatis purgatum. Notat tamen hîc Lugo n. 36. cum Palao, Suarez, Dicastill. à n. 103. Eos non obligari statim nunc hoc ipso, quòd hunc cibum spiritualem discernant à corporali, idque ex usu, & praxi Ecclesiæ interpretante hoc præceptum, & non statim pueros admittente ad Communionem, tum propter reverentiam Sacramenti, tum propter majorem fructum recipiendum, si meliùs dispositi accedant. Unde Palao *tr. 21. D. un. p. 10.* censet, ordinariè neminem ante decimum annum obligari censendum esse, sæpéque pueros etiam rationis usu, & discretione ad Eucharistiam sufficiente pollentes excusari ab obligatione eam suscipiendi; quia à parentibus vel Confessariis non permittuntur, ipsosque parentes, & Parochos excusari à consuetudine, quæ rarò ante decimum annum Eucharistiam alicui ministrat.

259 Ad alterum Q. membrum, non nulli cum Navar. *summ. cap. 21. n. 57.* Armilla *V. communio, n. 10.* Cajetan. *V. Minister communionis,* Vasq. Hurt. Gran. censent pueris, completo septennio, doli capacibus S. Viaticum in articulo mortis præberi posse, non autem dandi obligationem esse.

Alii è contrà cum Suarez *D. 70. Sect. 1.* Lug. *n.* 37. Palao, Dicastill. *D. 10. à n. 110.* Aversa *q. 8. sect. 1.* Tambur. Diana Lohn. Lacroix & alii arbitrantur non solùm S. Viaticum dari posse, sed etiam dari debere pueris morituris habentibus usum rationis, & pœnitentiæ capacibus; tum quia sumptio S. Viatici in hoc articulo est præcepti divini, quô obligantur quot quot rationis usum habent; tum quia, cùm ex una parte capaces sint talis Sacramenti,& sæpe illius fructu indigeant; ex altera parte præceptum divinum obligans ad S. Viaticum nihil committat Ecclesiæ, vel Confessariis circa ætatem pueri,nec possit tunc exspectari plenior usus rationis, non est ratio,cur non statim obligentur, cùm tunc sufficientem hujus cibi discretionem habere possint.

Ad 2. Q. An in dubio de suffi- 260
ciente usu rationis dari possit, aut debeat pueris S. Viaticum in articulo mortis? Respondet Lugo n. 40. non esse obligationem dandi; quia dubium est, num lege comprehendantur, & libertas maneat in possessione; posse tamen eis præberi; quia, inquit, prohibitio dandi Eucharistiam pueris fundatur ferè in consuetudine fundata in Ritualis Romani rubricis: Sed in illis non aliter explicatur ea prohibitio circa Eucharistiam, ac

circa

circa extremam Unctionem: ergo sicut ista potest ejusmodi puero dari, ita & Eucharistia, cùm hæc non minoris, sed potiùs majoris necessitatis sit, quàm illa.

Contrarium verò docent, ac tenent Schild. *tr. 6. n. 21.* & Bernal cum aliis *de Sacram. D. 44. sect. 6. §. 2. n. 19.* ubi contra Lug. contendit, si Eucharistia tunc dari posset, etiam dari debere; non autem dari debet, ut vult Lug. ergo neque licitè dari potest, idque ob periculum irreverentiæ irrogandæ S. Eucharistiæ, cujus ritè percipiendæ idoneus judicandus non est ille, de cujus discretione dubitatur.

261 Nihilominus sententiam Lug. rectè amplectuntur, ac defendunt Dicastill. *de Sacram. tr. 4. D. 10. dub. 6. n. 121.* Diana *tr. 16. Miscell. R. 35.* Tambur. *de Commun. cap. 5. §. 8. n. 14.* Aversa *de Sacram. Euch. q. 8. Sect. 2.* Lacroix *l. c. n. 648.* aliique. Ratio ulterior est; quia, ut arguit Dicastill. si puer ille, de quo dubitatur, an habeat sufficientem usum rationis, re vera illum habeat, dari debet, & non debet illò privari: si verò nondum sit capax doli, & illi præbeatur Sacramentum, habebit illud suum effectum, cùm pueris baptizatis, si detur, gratiam conferat, ut probat citt. Author *D. 9. n. 200. & seqq.* & ad Eucharistiæ fructum sola voluntas suscipientis, existentis, in gratia, sufficiat, ut notat Palao *tr. 21. D. unic. p. 10.*

Conf. ex generali illo principio, quòd quando ex duobus periculis, damnis, aut inconvenientibus, alterutrum subeundum est, minus eligi debeat: nam minus est inconveniens, & minus periculum conferre tali puero S. Eucharistiam quàm negare: ergo conferenda potiùs erit, quàm neganda: ant. prob. si illi negetur, & re vera sit capax, privatur tanto bono, & non fit, quod Christus fieri voluit; si verò detur puero nondum doli capaci, ex una parte non fit irreverentia Sacramento ex eo, quòd manducetur à puero innocente; ex alia parte, non frustra datur, & sine effectu, siquidem gratiam illi confert, & gloriam per æternitatem habebit, gratiæ illi correspondentem: ergo minus inconveniens (si tamen inconveniens) est illi conferre, quàm negare. Addit tamen hîc rectè Aversa l. c. in tali casu id facilius videri, si interrogationibus aliquibus excitetur capacitas pueri, ut meliùs de ea formari possit judicium, an sit concedenda Eucharistia? Palao verò ait *tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2.* quando dubium est, an usum rationis habeant, præsumendos esse habere, si septennium compleverint, secùs eo nondum completo; quia usus rationis regulariter completo septennio ha-

beri solet, præsumptio verò fit, ex communiter contingentibus.

262 Ad 3. Q. Supponendum est, pueros ante usum rationis, qui regulariter completo septennio haberi solet, nullis Ecclesiæ legibus obligari; quia harum obligationum fundamentum est usus rationis, quamobrem possunt diebus vestitis vesci carnibus, divinis interesse tempore interdicti, claustra monialium ingredi &c. ut notant Suarez *tom. 3. in 3. p. D. 40. sect. 2.* Sanch. *l. 1. in Decal. c. 12.* Palao *l. c.* Azor *t. 1. l. 5. c. 41. quæstio 4.*

An autem legibus Ecclesiasticis teneantur statim, postquam usum rationis sunt adepti, controversum est inter DD. D. Antonin. *2. p. tit. 9. cap. 8. §. 2.* affirmat, pueros non teneri præcepto Confessionis usque ad decimum, & dimidium annum, & aliquantulum ultrà. Fœminas verò usque ad nonum & dimidium annum, & aliquantulum ultrà. Sotus verò *4. dist. 12. q. 1. a. 11.* censet pueros non teneri ad Ecclesiasticum Confessionis præceptum, nec ad reliqua Ecclesiæ præcepta usqne ad annum duodecimum. Alii cum Henriq. *l. 8. de Euch. cap. 42. n. 4.* docent duntaxat, pueros non statim, ac rationis usum habent, Ecclesiæ præceptis obligari.

Verùm tenenda est affirmativa sententia, quam amplectuntur Suarez *l. c. D. 36.* Navar. *Summ. cap. 21.* Sanch. l. c. n. 6. Palao l. c. Valentia *4. p. D. 7. q. 9. p. 4.* Azor *l. c. & l. 7. c. 40. q. 6. & cap. 41. q. 10.* Bonac. *D. 1. q. 1. p. 6. n. 8.* Salas *de leg. D. 14. sect. 13.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 10. n. 4.* aliique, quam communem esse dicit etiam Sà adversarius *V. Confessio.* affirmantes, pueros, per se loquendo, dum ad usum rationis perveniunt, quod communiter septennio completo accidere solet, teneri omnibus Ecclesiæ legibus, quæ expressè tempus obligationis non determinant, sicut determinat lex jejunii, atque adeò teneri ad Confessionem annuam, ad audiendam Missam die festo, ad abstinentiam à cibis vetitis die jejunii &c.

Et quidem de præcepto Confessionis haud obscurè colligitur ex *C. omnis utriusque sexus &c.* ubi præcipitur, omnibus fidelibus, cùm ad annos discretionis pervenerint, confiteri, cujus proin præcepti transgressores erunt pueri, si discretionem habentes, Confessionem omittant, conscii peccati mortalis. 2. Quia Ecclesia præceptum annuæ Confessionis imponens solùm tempus implendi præcepti divini de peragenda Confessione determinavit: at jure divino omnis usum rationis ad peccandum habens, si mortaliter delinquat, confiteri tenetur, si quidem Christus nullum aliud medium peccato mortali post baptismum commisso expiando reliquit, præter Confessionem Sacramentalem: ergo & jure Ecclesiastico ad Confessionem annuam obligabitur.

De

De cæteris quoque aliis Ecclesiæ præceptis universim ratio est; quia pueri hoc ipso, quòd usum rationis habeant, capaces sunt legalis obligationis, & præcepti: ergo cùm lex generale mandatum sit, quod à tota communitate observari debet, etiam pueros comprehendet, nisi expressè inveniantur excepti.

Conf. pueri usum rationis adepti obligantur legibus naturalibus, & divinis: ergo etiam obligantur legibus Ecclesiasticis, cùm eadem ratio in omnibus procedat; tum quia possunt intelligere & observare præceptum, tum quia sunt subditi Ecclesiæ, nec excusari possunt defectu usûs rationis: ergo non est, cur non obligentur legibus Ecclesiasticis.

263 Ex dictis infertur 1. non licere tibi die jejunii ministrare pueris carnes, aliósque cibos vetitos post completum septennium; quia tunc lege tenentur. Nec tibi id licere, si dubium sit, an rationis usum habeant, ut notant Sanch. Bonac. & alii, si constet, illos septennium compleviſſe; quia completo septennio præsumitur adesse usus rationis; licere tamen tibi carnes eis porrigere, si nondum septennium compleverint; quia ante septennium non ligantur legibus Ecclesiasticis, nec tunc præsumitur adesse usus rationis.

Inf. 2. Non esse tibi licitum ignorantibus esse diem jejunii, neque ebriis ministrare cibos vetitos, aut comedendos consulere; quia absolutè tenentur lege jejunii, & aliàs cooperareris ad actum de se malum; licèt hîc & nunc ab illius transgressione & peccato excusentur ob defectum rationis.

Inf. 3. Posse infidelibus cibos vetitos dari die jejunii; quia hi nullis Ecclesiæ legibus subduntur: uti & Catechumenis; quia ante Baptismum nemo illorum Ecclesiæ legibus ligatur.

Neque dicas, si porrigens carnes infideli tempore jejunii non peccat, neque peccabit porrigens carnes ebrio, cùm non magis peccet porrigens, quàm comedens; comedens autem non peccat: ergo.

R. Enim n. seq. & paritat. disparitas est, quia infidelis non est subditus legibus Ecclesiasticis, ut dictum est; ebrius verò est illis subditus: atque adeò porrigens illi carnes die jejunii peccat, quia cooperatur actioni alteri prohibitæ, licèt ebrius ob defectum usûs rationis hîc, & nunc à peccato excusetur.

CASUS XLVII.

De Beneficii collatione, & recitatione Breviarii.

POntifex mandatum dat Bonifacio Episcopo, ut Gabriel Sacerdos provideatur de Beneficio ad S. Petrum vacante. Bonifacius confert illicò Beneficium Gabrieli, post cujus collationem litteræ Româ allatæ nuntiant, Pontificem pridie collationis Beneficii piè in Domino obiisse. Quo audito Mutius litem movet Gabrieli contendens collationem ob mortem Pontificis nullam fuisse, & præterea Beneficium illud uni ex sua familia conferri solitum fuisse, ac deberi: Gabriel autem, dum lis dirimitur, pergit Horas canonicas recitare, licèt nullos interim ex Beneficio fructus percipiat?

QUÆR. I. An hoc mandatum Pontificium morte Pontificis exspiraverit, ideóque collatio Beneficii nulla fuerit?

QUÆR. II. An Beneficiatus, qui Beneficium quidem actu possidet, sed ob litem intentatam nullos interim fructus ex illo percipit, teneatur interim Breviarium recitare; adeóque si recitare intermittat, teneatur ad restitutionem fructuum sequestratorum postea percipiendorum lite terminata?

QUÆR. III. An Beneficiatus tenue habens Beneficium Breviarium vi illius recitare teneatur, & si obligatus sit, & non recitet, possit sibi tanquam pauperi applicare eos fructus, quos aliàs restituere, & pauperibus applicare teneretur?

264 AD 1. Q. Non nulli cum Eman. Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 9. a. 1.* censent mandatum illud Pontificium exspirâsse morte concedentis Pontificis, atque adeò collationem Beneficii, Gabrieli factam, nullam fuisse. Rationem dant; quia mandatum morte mandantis exspirat re integra, *leg. mandatum, C. mandati.*

dati, & C. cui nulla, ubi dicitur: si super provisione certæ personæ facienda detur potestas alicui,& res fuerit integra, cùm concedens moritur, perire gratiam: atqui in posito casu conceditur talis facultas, & res erat adhuc integra; cùm mors concedentis Pontificis Romæ acciderit pridie collationis Beneficii Gabrieli hìc factæ: ergo.

Nihilominus contrarium tenent, ac docent Gigas *de pensionib. q. 91. n. 4.* Nicol. Garc. *de benefic. 6. part. cap. 2.* Sanch. *l. 8. D. 28. n. 87.* Gutier *l. 2. can. qq. c. 17. n. 5.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 16. §. 4.* Henriq. *l. 14. cap. 17. n. 7.* aliique plures, affirmantes, idque probabiliùs, dictum mandatum morte Pontificis non exspirâsse, ideóque collationem Beneficii,Gabrieli factam,validam fuisse. Ratio est; quia gratia facta non exspirat morte concedentis: atqui mandatum in favorem Gabrielis datum censeri debet gratia jam facta: ergo non exspiravit morte Pontificis. maj. est communis, & certa DD. regula. min. prob. quia eo ipso,quòd Gabriel de provisione certi Beneficii obtinuerit mandatum, jus acquisivit ad rem ad tale Beneficium, quod jus maxima gratia reputari debet, ac proinde non cessat morte concedentis re integra. Unde

Ad rationem in contrarium adductam R. tunc exspirare mandatum morte concedentis juxta citt. *l. mandatum*, quando mandatum non est gratiæ factæ annexum; secùs verò, si gratiæ factæ annexum sit, & datum pro illius executione.

Ad textum *cap. si cui nulla*, R. illum loqui de casu, quo non pro certo Beneficio, sed incerto, & posito in electione mandatarii conceditur mandatum; quia tunc non videtur gratia facta certa,& determinata, sed facienda, ut ex Rota Gig. Mandos. & aliis docent Garc. n. 30. & Palao l. c. imò ut cum aliis notat Sanch. l. c. textus citt. loquitur de casu, quando non datur propriè mandatum, sed solùm licentia, & facultas; quia tunc non est executor necessarius, sed voluntarius, ac proinde cessat morte concedentis re integra.

Ad 2. Q. An Beneficiatus, qui 265
Beneficium actu quidem possidet, sed ob litem intentatam, aliámue ob causam nullos inde fructus interim percipit, teneatur pensum Canonicum persolvere? Noto Beneficiatum præter obligationem recitandi Breviarium vi Beneficii; aliam insuper contrahere obligationem, ut si, illud culpabiliter non recitet, teneatur ad restitutionem pro rata fructuum illi correspondentium, secùs, si recitare non teneatur justa causa interveniente: Unde refert scire, an talis Beneficiatus, licèt aliunde sit obli-

obligatus ad recitandas Horas Canonicas, etiam obligatus sit ad eas persolvendas vi ipsius Beneficii, quod interim actu possidet ? nam si obligatus sit, tenebitur ad restitutionem, si Breviarium recitare intermittat, secùs, si recitare obligatus non sit.

Ad quod R. videri obligatum ex eo, quòd juxta *cap. tibi absenti, de præbend. in 6.* recitatio Breviarii *Beneficiatis* simpliciter imposita sit à C. Lateran. & Pio V. ergo & Gabrieli Beneficiato, seu actu possidenti Beneficium. Verùm

266 Communis sententia cum Cajetan. *V. horarum canonicarum omissio.* Navar. *c. 25. man. n. 103.* Less. *dub. 31.* Soto *l. 10. de Just. q. 5. a. 3.* Arrag. *2. 2. q. 83. a. 12. dub. 3.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 5.* aliisque docet, Beneficiatum, qui nondum habet actualem possessionem Beneficii, vel habet quidem, sed ita litigiosam, ut dubium omninò sit, an lucraturus sit causam, & Beneficium obtenturus, non teneri Divinum Officium recitare ratione Beneficii, si interim nullos fructus percipiat, nec per ipsum stet, quo minùs accipiat. Ratio est, tum quia non videtur æquum esse subire, ac ferre actu onus grave certum pro stipendio incerto, aut dubia possessione, hoc ipso quòd multa impedimenta, aut documenta occurrere possint, ob quæ possessio nunquam acquiratur, nec fructus inde percipiantur; tum quia talis non habet Beneficium secundùm omnem effectum, cùm Beneficium sit jus percipiendi fructus, nec censetur quis plenè, & perfectè Beneficium antè consecutus, quàm pacificam ejus possessionem acceperit. Unde.

Ad rationem petitam ex *cap. tibi absenti* &c. R. cum Suarez & aliis *l. 4. c. 18.* legem illam, cùm sit onerosa, jure limitari, & extendi ad Beneficiatum strictè talem, seu habentem Beneficium propriè, perfectè, ac rigorosè tale, cujusmodi non est, nisi ille, qui Beneficium actu possidet cum fructu. Rectè tamen hîc notant citt. DD. cum Azor. *l. 10. c. 4. q. 9.* Vasq. *de Benefic. cap. 4. §. 1. n. 3.* & Rodriq. *p. 1. Sum. cap. 141. Concl. 3.* si talis Beneficiatus spem habeat moraliter certam lucrandi causam, & pacificam possessionem obtinendi, eum omninò teneri ad pensum canonicum persolvendum; ut alibi à nobis dictum est.

Ad 3. Q. An Beneficatus, qui 267
valde tenue habet Beneficium, teneatur vi Beneficii Breviarium recitare, valde controversum est inter DD. non teneri arbitrantur Sotus *l. 10. q. 5. a. 3.* Less. *l. 2. 34. dub. 31.* Diana *p. 2. tr. 12. R. 9.* Rodriq. Mald. Arrag. si Beneficium habet tam tenue, ut nec quidem tertiam sustentationis partem adæquet; quia dantur ei reditus tanquam

quam stipendium vitæ; si ergo Stipendium nimis tenue, & insufficiens sit, non videtur parere obligationem Breviarium recitandi.

Alii cum Laym. l. c. n. 5. attendendam esse ajunt consuetudinem loci, in quo ejusmodi tenuia Beneficia conferri solent, & siquidem alicubi consuetudo orandi non sit, nec Prælatus in collatione Beneficii id præcipere soleat, non dari obligationem orandi; secus, si alia vigeat consuetudo, & mos Ecclesiæ sit, tenuia Beneficia cum orandi obligatione conferre.

268 Verùm communior, ac verior sententia apud Bonac. *D. 1. q. 2. p. 4.* & Navar. *in man. c. 25. n. 102. & c. 7. n. 27.* cum Suarez *tom. 2. l. 4. c. 12.* Azor. *1. p. l. 10. c. 3. q. 3.* Palao *n. 9.* Filliuc. *tr. 23. c. 5.* Tolet *l. 2. c. 14. causa 5.* Garc. *n. 139.* Medin. Reginald. Covar. aliisque affirmat, Beneficiatum, qui Beneficium etiam valde tenue possidet, teneri ad pensum Canonicum persolvendum. Ratio est, quia jura indistinctè omnibus Beneficiatis pacificè Beneficium actu possidentibus recitandi Divinum Officium obligationem imponunt: atqui etiam ille, qui Beneficium, quantumvis tenue, actu possidet, est propriè, & verè Beneficiatus, fruiturque privilegiis Beneficiatorum, ac subjacet pœnis contra eos Statutis: ergo &c. Accedit, quòd talis Beneficiatus voluntariè, ac sponte sua acceptans Beneficium, hoc ipsò acceptet etiam onus, quod Beneficio scit esse annexum, cui proin scienti, & volenti nulla fit injuria ex injuncto onere Officium Divinum persolvendi.

Ad 2. Membr. an pauper Be- 269
neficiatus possit sibi id applicare, quod tenetur restituere, & in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes erogare ratione Breviarii culpabiliter omissi? Ratio dubitandi est; quia id, quod retinetur non dicitur propriè restitui, nec esset sic distinctio inter dantem, & accipientem.

Nihilominus posse pauperem Beneficiatum fructus restitutioni obnoxios sibi, tanquam pauperi, applicare, docent Suarez *n. 21.* Less. *n. 122.* Filliuc. *n. 326.* Tolet. *c. 12. n. 5.* Bonac. *p. 4. n. 8.* Gavant. *Sect. 1. c. 6.* Sà, Navar. aliique plures contra alios apud Sanch. *l. 6. c. 11.* Ratio est, tum quia talis pauper Sacerdos, seclusò peculiari Statuto, aut contraria consuetudine, non debet esse deterioris conditionis, quàm alii pauperes; tum quia in relatis suprà juribus Pontificiis, quibus Beneficiatus jubetur ejusmodi fructus pauperibus distribuere, ipse non excluditur, qui proin dum sibi tanquam pauperi eos fructus applicat, non tam ipse sibi, quàm

Pontifex per eum eleemosynam elargitur. Opinio hæc sua vera non caret probabilitate, magisque placet, siquidem ejusmodi fructuum applicatio non sit nimis frequens, & in fraudem legis, ut alibi dictum est in libello *Instruct. pract. Ordin.* &c.

CASUS XLVIII.

De pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum, & Simonia.

FOrmosus in minoribus Ordinibus constitutus per plures annos inservivit cuidem Episcopo, intentionem habens pro suo servitio Beneficium aliquod recipiendi, quod idcircò etiam obtinuit ab Episcopo, sed cùm id valde tenue esset, nec sufficeret ad congruam sustentationem paulòpòst aliud consequitur de se sufficiens, & satis pingue.

QUÆR. I. An illa collatio primi Beneficii fuerit Simoniaca, & si fuit, an Formosus nihilominus illud retinere possit, anne resignare teneatur?

QUÆR. II. An habens Beneficium insufficiens, & acquirens sufficiens, quoad residentiam, & servitium compatibile, teneatur dimittere insufficiens? Item an habens sufficiens possit obtinere etiam insufficiens?

QUÆR. III. An & in quibus Beneficiis dispensare possit Episcopus quoad eorum pluralitatem?

270 ANte resolutionem primi Q. Notandum est, simoniam communiter definiri, quòd sit *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum.* Ubi verbum *emendi*, vel *vendendi* latè hîc accipiendum est, ita ut comprehendat omnem commutationem, sive contractum reciprocum; uti & nomen *pretii*, (sine quo emptio, & venditio esse nequeunt) ita scilicet ut comprehendat non tantùm pecuniam, sed omnem rem temporalem æstimabi-

mabilem, vel utilem, quæ reciprocè pro re spirituali datur, vel accipitur per modum commutativæ compensationis ex justitia. Unde AA. cum S. Th. *q. 100. a. 5.* pretium simoniæ dividunt. 1. In *munus à manu*, per quod non tantùm pecunia intelligitur, sed omnis alia res quomodocumque pretio æstimabilis. 2. *In munus à lingua*, ut est laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ, ex vi pacti expressi, vel taciti, ut res aliqua spiritualis vicissim conferatur, v. g. laudabo, seu commendabo te apud Principem, si Ecclesiasticum Beneficium mihi conferas &c. 3. *In munus ab obsequio*, per quod intelligitur omne aliud obsequium, seu servitium alicui præstitum, vel præstandum sub obligatione conferendi aliquod Beneficium Ecclesiasticum, vel aliam quamcunque rem spiritualem. Demum ipsum vocabulum *munus* ita accipiendum est, ut non significet donum liberale, & gratuitum, sed potiùs debitum justitiæ commutativæ, seu onus aliquod, & gravamen, quod pro servitiis, obsequiis, ac tributis, tanquam ex justitia debitum præstatur, atque exigi solet.

Unde ad constituendam Simoniam communiter DD. tria requirunt, scilicet 1. pactum emptionis, venditionis, aut similis alterius commutationis. 2. Pretium, quod consistit in re temporali. 3. Mercem, quæ in illa est res spiritualis, aut spirituali annexa.

Notandum 2. Simoniam aliam 271
esse juris naturalis, & divini, quando scilicet pro re temporali datur res de se verè Spiritualis, aut huic annexa, v. g. gratia sanctificans, Sacramenta, consecratio, benedictio, Ecclesia, Ecclesiastica jurisdictio, officium spirituale. Aliam esse juris Ecclesiastici minùs propriè dictam, quando una res spiritualis, aut spirituali annexa datur pro alia spirituali, aut huic annexa, qualis committitur in permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum propria authoritate facta, & in illorum resignationibus confidentialibus &c. Utraque hæc simonia subdividitur in internam, & externam. *Interna* est, quæ in sola mente, sive interno animi proposito committendi simoniam consistit. *Externa*, quæ in actum externum exit: quod dupliciter fieri potest, vel cum aliquo pacto expresso, vel tacito interveniente, vel nullo interveniente ejusmodi pacto. Si prius contingat, *Simonia conventionalis* appellatur, quæ duplex est, una purè conventionalis, cùm ex neutra parte rei traditio secuta est; altera mixta, cùm vel traditio rei temporalis, sive pretii tantùm facta est, nondum tradita re spirituali. Vel vice versa traditio rei spiritualis facta est, nondum tradito temporali pretio. Si posterius, seu si

nullum ejusmodi pactum intercedat, & res spiritualis in compensationem temporalis, aut hæc propter rem spiritualem acceptam, quasi ex debito detur, committi dicitur *simonia mentalis*, sic dicta, non quòd in sola mente seu proposito committendi simoniam consistat, sed quòd talis sit, quæ transit in opus externum, quod, licèt exteriùs nullo modo, nec per se nec propter adjuncta, simoniacum appareat, ex sola tamen intentione, & affectione tale est, v. g. si quis rem spiritualem alicui conferat, quasi eam ex justitia debeat pro obsequio v. g. ipsi exhibito, licèt nulla nec expressa, nec tacita pactio antecesserit: Et vice versa, si quis rem temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione justitiæ eam debeat pro re spirituali sibi ab altero collata, vel cum intentione obligandi ad reddendam vicissim rem spiritualem nullo tamen pacto expresso, vel tacito interveniente. His notatis.

272 Ad 1. Q. R. eam Beneficii collationem Formoso factam probabiliùs simoniacam fuisse; nam licèt simoniacus non sit, qui gratis, & absque ullo pacto alicui servit, aut obsequia præstat cum spe, ut in eorum remunerationem ad Ecclesiasticum Beneficium præsentetur, aut instituatur, uti cum Gloss. in *cap. cùm essent, de Simon.* notant Sylvest. *V. simonia, q.* 16. Suarez *tom. 1. de Relig. l. 4. c.* 45. Valentia *D. 6. q.* 16. p. 3. Palao *de Simon D. 3. p. 4.* Laym. *l. 4. tr. 10. C. ult.* §. 3. aliique communiter, eò quòd obsequia in tali casu non habeant rationem pretii, sed solùm concilient benevolentiam, à qua procedit gratuita Beneficii collatio, vel præsentatio: Nec possit esse emptio, & venditio, secluså omni pactione.

Nihilominus in posito casu servitium Formosi non videtur præstitum fuisse absque pacto saltem implicito, & simonia mentali; uti colligitur ex dictis; nam ut notant Barbos. *in c. 12. n. 4. h. tit.* Suarez *cap. 39. n. 7.* Laym. l. c. Matthæuc. Pirhing. *n. 7.* Engl hîc *n. 12.* Schmalzgr. n. 28. & alii, Simoniacus mentalis efficitur ille, qui absque omni salario, aut cum nimis modico inservit Episcopo nullo quidem pacto, vel conventione externa verbis vel signis facta, eo tamen animo, & intentione, ut pro mercede ei conferatur Beneficium; ex tali enim modo serviendi spectatis circumstantiis plerumque, si non semper, nasci videtur obligatio remunerandi per collationem Beneficii, quod serviens intendit, qui non censetur omninò gratis inservire, ut colligitur etiam ex eo, quòd si tales per servitia non obtineant, quod desiderant, statim prorumpant in murmura, & conquerantur &c. Unde re-

ctè

étè obſervavit Leſſ. *l. 2. c. 20. dub. 20.* Obſequia, uti & munera, tametſi gratis præſtentur, cum ſpe conſequendi Beneficium Eccleſiaſticum non vacare periculo; tum propter Scandalum, & ſpeciem intervenientis Simoniæ; tum quia munera excæcant, & inducunt in peccatum acceptionis perſonarum, ut eligatur perſona minùs digna cum violatione juſtitiæ diſtributivæ. Porrò notanda hîc eſt etiam propoſitio ſequens ab Innoc. XI. damnata, quæ eſt *n.* 45. inter prohibitas, & ita ſonat. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, ſi temporale non datur tanquam pretium, ſed tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale.*

Suppoſito ergo, quòd Formoſus per eam Beneficii collationem effectus ſit Simoniacus mentalis, quæritur ulterius, an nihilominus collatum ſibi Beneficium retinere poſſit, annue illud reſignare teneatur? Ubi.

273 Non nulli apud Dianam *tr. 4. Miſcell. R. 168.* cum Soto *de juſt. lib. 9. q. 8. a. 1. ad 2.* Major. *in 4. diſt. 25. q. 1. a. 7.* Medin. *l. 2. cap. 14. §. 21.* Adrian. *quodlib. 9.* putantes Simoniam etiam mentalem inducere pœnas in Simoniacos conſtitutas obligant Formoſum ad Beneficium reſignandum; Quia cùm etiam uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem, ſecundùm *cap. conſuluit de uſur.* non eſt, cur etiam Simoniacus mentalis non ſubeat pœnas à jure ſtatutas, inter quas etiam eſt, ut Simoniaci electio, inſtitutio, & quævis alia proviſio ad Beneficium Eccleſiaſticum ipſo jure nulla ſit, ita ut per eam proviſus nullum jus conſequatur; imò inhabilis fiat, quominùs per diſpenſationem Epiſcopi id Beneficium conſequi poſſit. *C. nobis fuit, de Simon. C. ult. de elect. & Extrav. cùm detestabile 2. §. per electiones &c.*

Nihilominus contrarium tenen- 274
dum eſt cum S. Th. 2. 2. *q.* 100. *a. 6.* Suarez *l. c. c. 55.* Navar. *man. c. 23. n.* 102. Leſſ. *l. 2. de juſt. c. 30. not. 2.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 22.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 12.* Matthæuc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 38.* Pirhing. *n. 152.* Engl *n. 33.* König *n. 21.* Wieſtn. *n. 80.* Diana l. c. Schmalzgr. *n.* 244. aliſque communiter aſſerentibus pœnas, quæ de jure Canonico in Simoniacos ſunt conſtitutæ, nullatenus tangere reos Simoniæ mentalis. Id, quod colligitur ex *cap. fin. h. tit.* ubi Gregorius IX. ait, *eo caſu ſufficere, ſi ita delinquentes per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfaciant Creatori.* Et ratio ulterior eſt, quia non conſtat huic Simoniæ conſtitutam eſſe in jure aliquam pœnam, ſed potius contrarium

colligitur ex citt. C. fin. nec conſtitui expediebat, quia licèt Simonia mentalis prodeat in opus externum, ſcilicet in ipſam dationem, vel receptionem rei temporalis pro Spirituali, cùm tamen fiat ſine pacto, & intentio, per quam delinquit dans, vel accipiens, ſit occulta, Simoniaca labes non ſatis proditur, ut Eccleſiæ poteſtas de ea cognoſcere, & judicare queat, ac propterea fruſtra ei infligeretur pœna.

Ex quibus conſtat Formoſum per eam Beneficii ſibi collati acceptationem pœnam juris in Simoniacos Statutam non incurriſſe, atque adeò non teneri illud reſignare, ſed retinere poſſe, ſufficereque, ſi pro commiſſo Simoniæ delicto per pœnitentiam ſuo Creatori ſatisfaciat.

Quam ſententiam docet etiam Sanch. *in opuſc. l. 2. c. 3. dub. 105. n. 5.* Ubi ita ait: ſi quis ſervivit Epiſcopo animo interno recipiendi Beneficium, ut pretium ſervitii, & Epiſcopus ei contulit Beneficium animo etiam interno ſolvendi illi ſervitium: at externè nullum etiam implicitè interfuit pactum, ſed uterque finxit gratis facere, recipiens Beneficium non tenetur illud reſignare, nec Epiſcopus ſolvere ſervitium; quia ſolùm fuit Simonia mentalis, quæ ad reſtitutionem non obligat. Hæc ille.

Neque obſtat hîc uſurarium mentalem teneri ad reſtitutionem juxta rationem, ſuprà in contrarium allatam ex citt. *Cap. conſuluit*; nam id intelligitur de caſu, quo mutuatarius dat coactè ratione mutui; ſecùs quando liberè, & ſpontè dat, eſto mutuans iniquam habeat intentionem recipiendi ratione mutui, ut multis allegatis docet Garcia *de Benefic. Cap. 1. n. 47. & 48.* item Valen. *D. 6. q. 16. p. 6.* alíque citt. Et ratio eſt, quia in uſura efficitur injuſtitia involuntariè danti ultra ſortem: in Simonia autem ſolùm fit injuria rebus Sacris, quatenus tractantur, ac ſi forent venales.

Ante 2. Q. Reſponſionem notan- 275
dum eſt, alia Beneficia dici *incompatibilia*, alia *compatibilia*. Compatibilia dicuntur, quæ vel nullam vel non incompoſſibilem reſidentiam exigunt, atque ideo ſimul obtineri, & retineri poſſunt. Incompatibilia ſunt ea, quorum ſingula per ſe, vel naturali jure, vel jure communi Eccleſiaſtico, vel ex conſuetudine, Statuto, aut Fundatione continuam reſidentiam perſonalem poſtulant, ſac propterea ſimul obtineri, vel retineri, ſaltem ſine diſpenſatione, non poſſunt, uti ſunt duo Epiſcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochiæ, duæ dignitates, duæ perpetuæ vicariæ, & Cætera curata Beneficia; uti & Beneficia uniformia

mia sub eodem tecto, v. g. duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ; secùs si sint difformia, v.g. dignitas, & simplex Canonicatus, quæ proin possunt simul retineri, nisi alicujus Ecclesiæ obstet specialis constitutio, vel consuetudo. Hoc notato.

276 Ad 2. Q. An habens Beneficium insufficiens, & acquirens sufficiens, quoad residentiam & servitium compatibile, teneatur insufficiens dimittere? Affirmativè respondent Garcia 11. *p. cap. 5. n. 303. & 319.* Flamin. *de resig. l. 5. q. 6. n. 116.* Hojeda de *incompatibil. Benefic. p. 2. c. 19 n. 1.* Wiestn. hîc n. 198. & alii, contendentes, obtento primo Beneficio insufficiente, si secundum sufficiens obtineas, vacare ipso jure primum insufficiens per obtentionem secundi.

Probant ratione desumpta ex Tridentino *Sess. 14. cap. 17. de Ref.* ubi ita Statuit: *Ut imposterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat, nihilominus aliud simplex sufficiens eidem conferre.* Ubi per tò *aliud sufficiens* intelligit S. Synodus aliud, quod non se solo, sed simul cum simplici Beneficio ante obtento congruam constituat sustentationem, eò quòd finis Concilii sit, ne quis duo Beneficia habeat, quorum alterum sit sufficiens: ergo Beneficia illa incompatibilia sunt, ac proin uno obtento, vacabit alterum. Unde

Idem asserit Garcia l. c. n. 319. de duobus Beneficiis simplicibus insufficientibus legitimè simul obtentis, scilicet dimittendum esse alterum, quando alterum, tempore collationis, non fuit quidem sufficiens, postea tamen auctis redditibus se solo sufficiens evasit.

Nihilominus oppositum docent Azor *p. 2. l. 6. c. 10. q. 3.* Fagn. in *c. cùm jam dudum 18. h. tit. n. 57. & 58.* Barbos. *in c. 28. eod. n. 18. sed pro declaratione Jur. Eccl. l. 3. c. 13. n. 179.* Pirhing. hîc n. 186. Schamb. n. 36. idque secundùm Palaum probabilius *tr. 13. D. 6. p. 3. §. 6. n. 13.* ubi id arguit, & probat ex C. Tridentino l. c. ibi enim dicitur, quòd si Beneficium collatum alicui non sit sufficiens ad honestam sustentationem, liceat aliud simplex sufficiens ei conferre: ergo supponit Concilium ex retentione primi insufficentis non impediri secundi sufficientis collationem. Nec obstat, inquit, quòd unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum sufficiens singulis sit conferendum, quominùs habenti insufficiens possit sufficiens conferri, quia defacto ei confertur unicum Beneficium sufficiens; aliud namque insufficiens ei non confertur, sed collatum supponitur.

Alii

Alii eam reddunt rationem, quia qui habet primum non sufficiens, justè petit secundum, ut congruam habeat sustentationem, cùm Tridentinum id ei permittat: ergo etsi secundum per se solum sufficiat, non tamen ideo privandus est primo insufficiente; quia quod legitimè factum est, pœnam non meretur; præsertim cùm Tridentinum nuspiam circa hoc suam mentem clarè explicet, atque adeò cùm lex non sufficienter promulgata non obliget, dicendum est, non dari in eo casu obligationem resignandi insufficiens Beneficium priùs obtentum, sed posse retineri absque dispensatione Apostolica, vel Episcopali. Id, quod confirmat consuetudo, quæ in multis Provinciis jam invaluit, ut habenti primum insufficiens adiiciatur à Diœcesium Ordinariis sufficiens, ut notant citt. DD. quæ ubi invaluit, rectè servari poterit, utpote optima legum interpres.

277 Ad alterum Q. memb. R. spectato jure communi obtinentem primò Beneficium sufficiens non posse obtinere secundum insufficiens, & si hoc obtineat contra Canones, primum ipso jure vacare. Ita citt. DD. cum aliis, & sumitur ex Trident. l. c. decernente, ut unum tantùm Beneficium singulis conferri debeat. Neque obstat, quòd habens insufficiens, aliud se solo sufficiens petere, & obtinere possit, juxta priùs dicta; nam istud petens jure petit, non autem jure petit aliud Beneficium ille, qui jam habet unum ad congruam sustentationem sufficiens.

Dixi spectato jure communi; nam, ut ex aliis notant Wistn. hîc n. 198. & Schmalzgr. n. 97. multis in Provinciis jam invaluit consuetudo, vi cujus Beneficium simplex ad sustentationem obtinenti aliud insufficiens à Diœcesium Ordinariis conferatur absque obligatione priùs obtentum dimittendi, quam consuetudinem non improbant etiam Garcia l. c. n. 273. & Rebust. hîc n. 29. qui ait, ubi hæc viget, opus non esse dispensatione, eò quòd in tali casu ipsa consuetudo dispenset.

Ad 3. Q. R. Episcopum non 278
posse dispensare in pluralitate dignitatum, Personatuum, Beneficiorum curam animarum habentium, neque ut quis obtineat duo, vel plura Beneficia uniformia sub eodem tecto; quia hæc pluralitas lege Pontificia interdicta est, *cap. de multa, de præbend. extrav. execrabilis.* Neque potest modò dispensare, ut quis plura, quàm duo Beneficia in diversis Ecclesiis obtineat, etsi duo priùs obtenta simul sumpta non præbeant honestam sustentationem, ex Trident. l. c. n. 3. ubi dicitur: *Episcopus potest conferre secundum Beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem;*

sed

sed si duo non sufficerent, non potest conferre tertium absque dispensatione Apostolica; nisi fortè contrarium per rationabilem, & legitimè præscriptam consuetudinem inductum esset.

Neque potest dispensare ad duo simplicia, si utrumque requirat residentiam, ex Trid. l. c. Neque in pluralitate Beneficiorum sufficientium, tametsi personalem residentiam non requirat utrumque; quia citt. Trident. Statuit, ut unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum sufficiens singulis conferatur. Quocirca Episcopus solùm tibi concedere potest duo Beneficia, (præscindendo à consuetudine) compatibilia, seu difformia sub eodem tecto, dum modo ita provisus iis indigeat ad honestam vitæ sustentationem, non tamen duo incompatibilia, nisi solùm sint incompatibilia jure Diœcesano. Item duo simplicia insufficientia in diversis Ecclesiis, si utrumque residentiam incompatibilem non requirat.

CASUS XLIX.

De *Electione promovendorum ad Beneficia Ecclesiastica.*

MOrtuo nuper Udalrico Episcopo convocantur à V. Capituli Decano omnes Capitulares, quibus jus eligendi competit, ad novum Episcopum eligendum. Comparent omnes die ac hora constituta, ubi media Electorum pars Ambrosium Canonicum eligit, altera media pars Dionysium, sed æqualibus votis: Ad secundum igitur scrutinium proceditur, in quo major pars in Ambrosium, ut digniorem conspirat, quod advertens Titus Canonicus, ipsus quoque ad potiorem partem suô suffragiô accedit, licèt ipse Dionysium digniorem judicet, eásque habere qualitates, quas requirit *Cap. cùm in Cunctis 7.* videlicet, *ætatis maturitatem, gravitatem morum*, & *litterarum scientiam*: Unde eligitur Ambrosius non invitus, sed tacitè Episcopatum desiderans.

QUÆR. I. An, & qualis extra concursum detur obligatio præferendi in Electionibus digniores ad Prælaturas, & Beneficia Ecclesiastica tam curata, quàm simplicia?

QUÆR. II. An valida sit electio, vel collatio Beneficii Clerico curato digno facta, digniore prætermisso?

QUÆR. III. An eligens dignum, omisso digniore, teneatur ad restitutionem Ecclesiæ, & digniori faciendam?

QUÆR. IV. An Patronus Laicus teneatur dignorem præsentare ad Beneficium Ecclesiasticum?

QUÆR. V. An, & quando illicitum sit Episcopatum desiderare?

QUÆR. VI. An Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus conferre possit Beneficia Ecclesiastica, & approbare Sacerdotes in Confessionis Ministros?

279 AD 1. Q. Aliqua sunt satis certa; alia controversa, & incerta. Certum est enim 1. Ad Ecclesiastica Beneficia dignum esse eligendum, & promovendum, seu talem, qui munus suum ritè præstare possit; adeò, ut electio indigni, cùm dignus haberi potest, non solùm sit graviter peccaminosa, sed ipso quóque jure irrita & nulla ac gravissimis pœnis obnoxia, decretis, *C. cùm in cunctis de elect. & C. grave nimis de præben.*

2. Satis certum est, quandò in ipsa Beneficii fundatione, aut speciali Statuto expressum, cautúmque est, ut Beneficia certo personarum generi ex tali nobilitate, familia &c. conferantur, ita observandum esse, & hujusmodi personas, modò dignæ sint, præferendas extraneis, quantumvis dignioribus; quia conditiones in fundationibus appositæ observandæ sunt, & secundùm mentem Fundatorum adimplendæ, prout Statuit Trident. *Sess. 25. c. 5. de reform.*

3. Satis quoque certum est, si competitores vocentur ad concursum, ut Beneficium digniori ex illis conferatur, obligatos esse Electores ad digniorem eligendum; quia tunc intervenit implicita promissio de Beneficio dando digniori, éstque tacitus quidam contractus

ultrò

ultrò citróque obligatorius, & obligatio naturalis, quâ Electores Competitoribus obligantur ad electionem dignioris faciendam, sine quo aliàs Ecclesia vices suas non transferret in Collatores, & Electores.

280 An autem extra hos casus, & præsertim spectata natura, & institutione ipsorum Beneficiorum, debeant hæc sub gravi obligatione conferri dignioribus, controversum est. Negant hanc obligationem cum Gloss. *in cap. licèt ergo, qui præstantior 8. q. 1.* Imola, & alii, quia Beneficia instituta sunt in Stipendium laboris iis, qui Beneficiis deserviunt, non tamen ut præmia laborantibus proposita: atqui ex hac ratione non infertur, Beneficia danda esse dignioribus, sed sufficere, si dignis conferantur; sicut si Dominus suo Oeconomo mandet, ut operarios conduceret ad excolendam vineam suam signato Stipendio, non teneretur Oeconomus ob assignatum Stipendium meliores quærere, sed satisfaceret, si aptos, & sufficientes conduceret; quia labor petitus coresponderet Stipendio oblato; Quod si Dominus ei præciperet, ut meliores conduceret, si secùs faceret, peccaret quidem contra obedientiam, & fidelitatem, non autem contra justitiam commutativam, vel distributivam.

2. Quia Trident. *Sess. 7. c. 3.* solùm vult, quòd Beneficia Ecclesiastica curam animarum habentia conferantur personis dignis, & Apostolus ad *Tit. 1.* Solùm postulat, ut Episcopus sit hospitalis, benignus, Sobrius, justus, Sanctus, non faciendo mentionem de sanctiore &c. 3. Si Beneficia curata deberent conferri digniori, ut saluti animarum Consulatur, deberent etiam conferri Beneficia simplicia, ut dignitati Ecclesiæ consulatur: hoc autem videtur contra praxim Ecclesiæ, ut notat Guttierez apud Dian. *Resol. 38.* ubi ejusmodi Beneficia per Prælatos dignis conferuntur, eò quòd non sint bona communia, & decertantibus debita, & minùs digni æquè recitare possint Officium divinum, quod est præcipuum munus Beneficiatorum, ac magis digni, ut insinuat Trid. *Sess. 7. c. 3. de reform.* Nihilominus.

Dicendum est 1. in Electionibus 281
ad Prælaturas dari gravem obligationem præferendi digniorem digno. Constat id 1. ex Trident. *Sess. 24. c. 1.* ubi loquens de promovendis ad Episcopatum, & Cardinalatum ait, tanti momenti esse hujusmodi munus, ut *si pro magnitudine rei expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit*: & idcircò hortatur omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum jus quodcúnque habent, ut bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant; ac demum declarat, *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, &*

Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint --- præfici diligenter curaverint, &c. Cujus Concilii clara verba, cùm non nulli in varium sensum impropriùm violenter detorquerent, Innc. XI. Pontifex maximus hanc inter alias proscripsit propositionem n. 47. *Cùm dixit Conc. Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; Vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos. Vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus*

Conf. ex *Can. licèt ergo, 15. caus. 8. q. 1.* Ubi S. Hieronymus monet, Sacerdotem, seu Episcopum eligendum, ordinandúmque esse, *qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior &c.* &

Ratio est, quam insinuat Trident. magnitudo tanti muneris, cura animarum, veneratio Ecclesiæ, & bonum, quod in eam redundat ex præstantia Ministrorum, & damnum, ac scandalum ex omissione digniorum oriturum, quatenus providendo Ecclesias de personis dignis prætermissis dignioribus, pauciora peccata caventur, & ideò Tridentinum citt. dicit, peccatis aliorum communicare, qui digniores prætermittunt. Certè si quilibet præstantiores famulos exquirit, qui in sua domo sibi deserviant; à fortiori præstantiores Ministri ad inserviendum Ecclesiæ promovendi erunt, ut ejus honori, commodo, & dignitati magis consulatur: Unde advertit hîc Lugo *D. 35. de Just. n. 12.* Tridentinum non imposuisse novam hac in re obligationem, sed declarâsse antiquam, quæ oritur ex lege naturali.

Dicendum 2. in cæteris quo- 282
que Beneficiis curatis dari obligationem præferendi digniores dignis. Ita contra aliquos apud Carden. in *Christ. Theol. d. 28. n. 10.* plerique melioris notæ TT. & Canonistæ cum S. Thom. *2. 2. q. 63. a 2. ad 3.* cujus ratio est, tum quia præteritio dignioris cedit in Ecclesiæ detrimentum; tum quia committitur peccatum acceptionis personarum, & in re gravi violatur Justitia distributiva, cùm Beneficia sint bona communia & præmia meritorum ut docet communis cum Less. Sanch. Dom. Viva in relatam propost. 47. de qua acceptione fit mentio apud Ecclesiasticum cap. 42. *Ne accipias personam, ut delinquas.* Jac. 2. *si accipitis personas, peccatum operamini.* Ille autem, ut notat hîc Gabr. *in 4. d. 15. q. 7. a. 1.* cum aliis, personam accipit, qui præter dignitatem, seu habilitatem ejus ad Beneficium, etiam aliam qualitatem, sive conditionem ad rem non pertinen-

tinentem, v. g. consanguinitatem, amicitiam, &c. attendit, & idcircò personam hanc eligit, vel instituit.

2. Patet id expressè ex Trident. l. citt. c. 18. & ex Constit. Pii V. quæ incipit *in conferendis edita 15. Calend. Mart. 1567.* §. 7. ac ex jure Canonico *in cap. unico, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, quod, uti & Trid. non tam præcipit in Beneficiis digniorem eligere, quàm hujus electionis præceptum ex prima eorum institutione supponit, ut probat Palao *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 11. §. 2. Credendum enim est, Ecclesiam instituendo Beneficia simul præcepisse, ut ex dignis digniores eligerentur, quia id sibi erat utilius, magisque proficuum. Sicut quilibet, ut dictum est, præstantiores famulos exquirit, & assumit, ad sibi famulandum. Et esto citt. textus loqui videantur de collatione Beneficiorum facienda per concursum, cùm eadem tamen ratio sit in omnibus Beneficiis curam animarum habentibus, idem quoque est intelligendum de collatione aliorum etiam extra concursum; cùm hujus præcipuus finis sit, ut constet, quinam ex concurrentibus digniores sint, magisque idonei, ut præferantur, & promoveantur: Dein Tridentinum non loqui solùm de casu concursûs, colligitur ex propositione prohibita suprà relata. Porrò hîc major dignitas seu qualitas personæ non absolutè spectanda est, sed in ordine ad Ecclesiæ commoditatem, ut notat S. Th. l. c. & *quodlib. 6. a. 9.* ita ut qui aptior est ad promovendum illius commodum, dignior censeatur, licèt alter in aliis qualitatibus præcellat: Unde qui minùs sanctus est, sed ob potentiam, nobilitatem, agendi industriam regendæ Ecclesiæ magis idoneus judicatur, is sanctiori meritò præfertur. Interdum tamen contrarium accidere potest, ut sanctior, aut prudentior doctiori, vel potentiori sit præferendus.

Ad rationes in contrarium R. Ad 1. contrarium docet communis DD. apud citt. Viva, Beneficia scilicet esse instituta ab Ecclesia etiam in præmium meritorum, ut dignioribus conferantur secundùm majora merita; dein, quia in hac institutione non Clericorum, sed Ecclesiæ utilitas fuit spectata, inde non infertur, digniores præferendos non esse, cùm id fuerit ab Ecclesia statutum, cedátque in majorem ejus utilitatem, si digniores præferantur.

Ad 2. R. Tridentinum, & Apostolum in iis locis præscindere à concursu dignorum cum dignioribus, & advertere duntaxat, præficiendos debere esse dignos, & idoneos, & Episcopum sobrium, justum & sanctum. Postea verò locis suprà citatis satis apertè de-

clarasse, quinam sint præferendi, & qualis Electoribus incumbat obligatio.

Ad 3. Conceditur sequela maj. præsertim, si Beneficia simplicia sint magni momenti, ut Decanatus, Canonicatus. &c. Unde

283 Dicendum 3. tanquam probabiliùs, etiam in Beneficiis simplicibus, curam animarum sibi annexam non habentibus dari regulariter obligationem præferendi digniores. Ita cum S. Th. 2. 2. *q. 63. a. 2.* Vasq. *de Benef. c. 2. §. 3. dub. 1.* Palao l. c. Dominic. Viva l. c. Less. *l. 2. de J. & J. c. 34.*

Cajetan. *in Summ. V. Personarum acceptio.* Schmalzgr. hîc §. 4. *n.* 43. Turrecrem. aliique, quorum vigintiquinque refert, sed non sequitur Sanch. *in opusc. tom. 1. l. 2. cap. 1. dub. 23.*

Prima ratio petitur ex C. fin. de offic. Custod. ubi ad munus non curatum custodiæ jubentur assumi meliores & sanctiores. Et ex C. unico suprà citt. ubi Innoc. III. ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare*; quod capitulum non de Beneficio Curato, sed de simplici loquitur, teste Palao l. c. n. 8. qui addit obligationem præferendi personam magis idoneam eo textu non introduci, sed supponi jam ante inductam ab Ecclesia in prima Beneficiorum institutione, prout supponit & Tridentinum, ut suprà ex Lug. insinuatum est.

Prob. 2. tum quia in collationibus Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum per assumptionem digni omisso digniore committitur acceptio personarum contra Justitiam distributivam, quæ exigit, ut ejusmodi bona Ecclesiastica, quæ ut notat Laym. ex fine saltem secundario, etiam in commodum, & gratiam promovendorum, qui de Ecclesia benè merentur, instituta sunt, distribuantur secundùm merita, tanquam bona communia & præmia meritorum, quorum conferendorum potestatem dedit Ecclesia collatoribus ea spe & intentione, ut dispensentur meliore, quo possunt, modo pro Ecclesiarum particularium necessitate, utilitate, & dignitate: Tum quia id postulat veneratio Ecclesiæ debita, ut præstantiores Ministri ei digniùs famulentur, ejúsque dignitati & splendori meliùs consulant; licèt enim minùs docti, sancti, & prudentes æquè, ac doctiores & sanctiores possent Officio divino satisfacere, quò tamen digniores sunt Ministri, eò major Ecclesiæ accedit decor, authoritas, & æstimatio. Unde

Patet responsio ad rationem suprà in contrarium allatam. Ad praxim ibi allegatam quod attinet, ea

ea non urget; tum quia ut notat Palao l. c. cum aliis, praxis illa, & usus potiùs corruptela, & abusus nuncupandus est; tum quia si id in praxim deducant Collatores, excusantur ob probabilitatem sententiæ oppositæ, quam graves tenent DD. Præterea non desunt causæ, ob quas collatores excusari possunt ab omni culpa conferendo Beneficium minùs digno; cujusmodi sunt, si excessus dignitatis in uno ex pluribus idoneis sit dubius, aut non notabilis; si id exigat spiritualis necessitas, aut utilitas Ecclesiæ non habentis aliàs idoneos ad Beneficia curata, si Beneficium à Fundatore conferatur, aut juxta complures si Beneficium sit patronatus &c. Unde dixi suprà *regulariter*.

Ad Concilium Trident. quod spectat, dum citt. sess. dicit, ut *inferiora Beneficia Ecclesiastica - - - personis, dignis, & habilibus - - - conferantur*. Responderi potest, illud ibi loqui præscindendo à concursu dignioris vel relativè ad indignos, prout intelligi debent textus C. *cum nobis*, & C. *grave nimis 19. de præb.* juxta citt. DD. quos indignos SS. Canones absolutè exclusos voluêre, non autem dignos, nisi solùm tunc, quando adest alius dignior. Dein obligatio hæc ex aliis citt. textibus & ex ratione satis colligitur.

Cæterum si collatio Beneficii simplicis facta digno omisso digniore rarò admodùm contingat, à gravi peccato excusant collatorem etiam DD. suprà citati, & venialem solùm culpam agnoscunt, eò quòd in Beneficiis simplicibus præsertim levioris momenti, excuset parvitas materiæ; quia tunc Ecclesia plerumque non patitur grave damnum.

Ad 2. Q. Aliter discurrendum est 284
de Electione, vel collatione Beneficii extra concursum; aliter de electione facta in concursu: Si enim electio digni, prætermisso digniore, fiat extra concursum, communis DD. sententia cum S. Th. l. c. Covarru. *reg. peccatum. 2. p. §. 7. n. 3.* Vasp. l. c. *dub. 17.* Azor. *2. p. instit. mor. l. 6. c. 15. q. 2.* Gonzal. *Gloss. 4. n. 129.* Palao l. c. §. 3. aliisque. Affirmat, ejusmodi electiones sic factas subsistere, seu validas esse, nec per sententiam rescindendas, prout colligitur ex *cap. cum nobis de elect. cap. nisi cùm pridem §. pro defect. de renunciat. cap. constitutis. 2. de appellat.* Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, de *reg. jur. in 6.* & ratio est, quia si irritæ essent, aut rescissioni obnoxiæ, aperiretur via litibus & calumniosis impugnationibus non sine perturbatione Reipublicæ Christianæ. Si verò electio fiat in concursu, non nulli cum Garcia *9. p. de Benefic. c. 2. à n. 235.* & Ugolino *de offic. episc. cap. 50. §. 23.* censent, eam non ipso jure irritam esse, sed venire irritandam

per

per sententiam. Alii tamen probabiliùs docent, electiones in concursu sic factas ipso jure irritas, & nullas esse. Ita Gonzal. in *reg. 8. Coucell. Gloss. 4. n. 136.* Palao *l. c.* §. 3. *n. 2.* Rebell. *p. 1. de oblig. Just. l. 3. q. 4.* Schmalzgr. *hic* §. *4. n. 41.* Azevedo *cons. 9. à n. 27.* aliique. Ratio est, quia Tridentinum *Sess. 24. cap. 18. de reform.* præcipit, ut Beneficia Parochialia, quæ per concursum providentur, conferantur dignioribus ex approbatis ab examinatoribus, & postea subdit: *Provisiones omnes, seu institutiones præter supradictam factam subreptitiæ esse censeantur.*

Pius V. verò in Constitut. super collatione Parochialium, data 15. Kalend. April. anno 1566. ejusmodi Beneficia conferri mandat dignioribus, addito Decreto irritante, si secùs actum fuerit & permissa appellatione dignioribus, qui præteriti sunt. Cùm ego unum ex præcipuis requisitis illius Decreti Concilii, & constitutionis Pontificiæ sit electio dignioris, si hæc non servatur, irritum erit, & nullum, quidquid actum, aut attentatum fuerit. Et hanc sententiam approbavit etiam Rota in decisionibus relatis à Farinacio *in noviss. 672. & 674.* & Genuens. *in praxi cap. 69.*

285 Ad 3. Q. Si in concursu, ad quem competitores vocantur, eligatur dignus omisso digniore aut indignus omisso digno, communis DD. sententia cum Molina, Barbos. Rebell. Less. Palao, Gutierez, Rodriq. Petr. Navar. Vasq. Fernand. Diana Hurtado contra non nullos cum Nicol Garcia 7. *p. de Benefic. c. 16.* docet, oriri obligationem restituendi digniori omisso. Quia in beneficiis Parochialibus, quæ per concursum competitorum providentur, continetur saltem implicitè promissio de Beneficio digniori dando, sub qua se examini, & concursui subjecit, quæ promissio cùm onerosa sit, habet pactum ultrò citróque obligatorium, sine quo Ecclesia non transfert vices suas in collatores, & electores, debetúrque digniori Beneficium, sicut debetur res plus offerenti, cùm sub voce præconis sic danda promittitur, ut tradit Bart. communiter receptus in *leg. licitatio in princ. n. 4. ff. de vectigal. & publicanis.* Unde juxta Trident. citt. digniori omisso conceditur jus appellandi ab iniqua electione.

De electione ergò digni omisso digniore extra concursum controversia est inter DD. an & cui restitutio aliqua facienda sit? Et quidem non esse faciendam Ecclesiæ satis convenit inter DD. quia Ecclesiæ nulla irrogatur injuria, cum ei competens assignetur minister, cujus labor stipendio sibi dato adæquatur; sicut si vineæ Dominus tibi mandaret, ut operarios conduceres præstantes; tu verò conduceres diligentes omissis diligentioribus,

ribus, quorum labor adæquaretur stipendiô, non teneris aliquid Domino restituere; quia nullam illi injustitiam faceres, cùm ei laborem offeras stipendio correspondentem, & æqualem: imo juxta Adrianum apud Laym. *l. 5. tr. 2. c. 15.* & alios, collator non obligatur ad restitutionem, si ex provisione digni, prætermisso digniore, Ecclesiæ aliquod damnum eveniat; quia illud per accidens evenisse censetur, si verè dignus sit institutus, eò quòd tunc collator non tam censeatur damnum Ecclesiæ intulisse, quàm ejus majus commodum non procurâsse, ad quod potiùs ex charitate, aut obedientia quàm ex Justitia obligatur. An autem digniori prætermisso facienda sit aliqua restitutio, quantum scilicet æstimari potest jus & spes, quam habet, consequendi Beneficium, major est difficultas, & controversia inter DD.

Ubi affirmativam sententiam probabilem amplectuntur Vasq. *opusc. de Benefic. cap.* 2. §. 3. *dub.* 17. Palud. Cajetan. Petrus Navarr. Sylvest. Aragon. Ledesm. Lop. & alii, sed Obligationem restituendi probabiliùs negant Adrian. *in* 4. *tr. de rest. C. quia jam determinatum est.* Molin. *de Hispan. promogen. l. 2. c. 5. n. 57. Less. l. 2. cap. 34. dub. 5.* Palao *l. c.* §. 4. *n.* 5. Sot. Covarru. Azar, Tolet. Valent. Gutier. Rebell. aliique complures. Rationem dant; quia nullus, tametsi dignissimus sit, jus habet ad Beneficium, nisi sub conditione, quod collator ei conferre voluerit: ergo antecedenter ad hanc voluntatem non habet jus strictè dictum, sed tantùm latè sumptum, ex quadam scilicet decentia, & proportione in ejus dignitate fundata, atque adeò non fit illi injuria propriè dicta, & quæ oriatur ex læsione Justitiæ commutativæ, ad eum modum, quô Operarii digniores simile jus imperfectum habent, ut potiùs ipsi, quàm alii ad laborem vocentur, non tamen hanc vocationem ex Justitia petere possunt. Nec peccat talis collator adversus obligationem ortam ex officio, sed solùm adversus obligationem ortam ex mandato Ecclesiæ, cui infidelis, & inobediens est, non tamen injustus.

Ad 4. Q. Non est hîc quæstio, 286
& controversia de Patrono Lajco, qui est Fundator Beneficii; cùm hic possit quemlibet, modo dignus sit, designare, ut Beneficium provideat, & illius bonis fruatur, ut deciditur in *cap. Monasterium 16. q. 7.* Sed controversia est de Patronis successoribus, vel de iis, qui jus præsentandi habent ex privilegio Sedis Apostolicæ. Ubi

Si Patronus est Successor Fundatoris, obligatum esse ad digniorem eligendum, & præsentandum docet communior sententia apud Palaum l. c. p. 10. cum Vasq. citt.

dub. 4. n. 71. Molina *l. c. n. 70.* Azor *2. p. inſtit. moral. l. 6. cap. 15. q. 8. & cap. 21. q. 5.* Gutierrez *Canon. quæſt. l. 2. cap. 11. n. 16. & 26.* Covarr. Soto, aliíſque quia præſumendum eſt, Fundatorem voluiſſe, ut ejus ſucceſſores in præſentandis, & eligendis Candidatis modum electionis ſervent ab Ecaleſia præſcriptum, præſertim ſi ejus arbitrio, & judicio electio commiſſa eſt; quia tunc quaſi Judex eligendorum conſtituitur, ut ſecundùm judicium rectum, & regulatum procedat, & idcircò digniores eligat, & dignis præferat.

Contraria tamen ſententia ſatis probabilis eſt, quam tenent Lambert. *de jure patron. l. 2. q. 10. a. 3.* Petr. Navarr. *l. 2. de reſtit. cap. 2. n. 150.* Laym. *l. 4. tr. 2. cap. 15.* Garcia, Ledeſm. & alii: Ratio eſt; quia Patroni Succeſſores ſuccedunt in jura Fundatoris, & jus præſentandi, quod ipſe habebat, transfertur in Succeſſores: ergo iſti idem facere poterunt, quod ille poterat. 2. Quia uſus obtinuit Prælatis non contradicentibus, ut Patroni Lajci, quem judicant dignum, eligant absque ulteriori indagatione, an adſint digniores. Qui ſpecialis favor, ſeu privilegium ratione fundationis ipſis reſervatum eſt, ut alicui gratificari poſſint, & quem voluerint, præſentare, dummodo poſitivè cognoſcant dignum, & idoneum eſſe, ut periculum non ſit damni ex ea proviſione Eccleſiæ eventuri.

Nec obſtare ajunt Trident. ſuprâ citatum, ubi verbis generaliſſimis ait, peccare eos omnes, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcúnque jus quacúnque ratione à ſede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam præſtant &c. nam ibi loquitur de collatione, & electione, ut advertit Palao l. c. non de nominatione, & præſentatione; vel ſi etiam de hac loquatur, de iis Patronis intelligi debere cenſent, qui jus præſentandi habent ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, non ex majorum fundatione, quos proin obligatos eſſe affirmant ad digniores eligendos; quia præſumi debet, jus præſentandi illis eo modo conceſſum eſſe, qui Eccleſiæ utilior eſt, & quò à patronis Eccleſiaſticis, quibus jus eligendi competit, Beneficia providentur; hi autem, & à fortiori Epiſcopi in Beneficiis Parochialibus obligantur eligere, & promovere digniores, uti expreſſè habetur in Trident. citt. Seſſ. 24. c. 18. Ubi *Epiſcopus*, ait; *eum eligit, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* Et infra: *is, quem Patronus Eccleſiaſticus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur.*

Ad

287 Ad 5. Q. Notandum est, triplici modo appeti posse Episcopatum, aliamve prælaturam. 1. Appeti potest principaliter propter commoda temporalia, honores, divitias &c. tanquam finem operis. 2. Appeti potest Episcopatus propter bona temporalia tanquam finem operantis, ita ut ab illis moveatur ad appetendum; quia nisi honores, redditus temporales, aliáque commoda conjuncta essent, nollet Episcopatum appetere, quamvis re ipsa appetat propter finem proprium ipsius operis, scilicet cum proposito procurandi salutem animarum. 3. Appeti potest principaliter propter Dei gloriam, & salutem animarum promovendam, secundariò verò, & concomitanter propter bona, & commoda temporalia.

Appetere Episcopatum primo modo, seu propter commoda temporalia tanquam finem operis peccatum est mortale secundùm Sylvest. *V. Episcopus* §. 4. Tolet *l. 5. cap. 3.* Laym. l. c. Sa, Cajet. Sotum, & alios; quia est cupiditas periculosa, & ambitio bono communi repugnans. Nec juvat dicere, quòd qui Episcopatum desiderat, bonum opus desideret, *1. ad Timoth. 3.* quia in tali casu potiùs opes desiderat, & Apostolus Paulus ibi non dicit benè desiderare semper, qui Episcopatum desiderat, sed bonum opus desiderare, quod statim explicat narrans perfectionem Episcopi, scilicet oportere Episcopum irreprehensibilem esse, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucri cupidum &c.

Secundo modo desiderare Episcopatum, peccatum duntaxat veniale est ambitionis aut avaritiæ juxta Sotum *l. 10. q. 2. a. 1.* Valent. *t. 3. D. 10. q. 3. p. 2.* §. *de primo dicto.* Laym. l. c. n. 10. Petr. Navarr. Cajetan. Tolet & alios. Idem censet Toletus *l. 5. cap. 3.* cum aliis de eo, qui Episcopatum appetit præcisè propter gradum, eò quòd non insit tanta perversio, quanta sit in appetitu propter honores, & divitias, adeóque non excedere malitiam peccati venialis: imò S. Th. *2. 2. q. 185. a. 1.* ait, appetere Episcopatum extra casum necessitatis, aut legitimæ vocationis, vel aliam eminentiam super alios fideles in Ecclesia etiam boni finis prætextu videri præsumptuosum.

Tertio modo appetere Episcopatum, aliamve Prælaturam, non esse illicitum, docent Sylvest. *V. Episcopus q. 3.* Valent. l. c. n. 3. Sa *verb. Episcopus n. 3.* Laym. l. c. utérque Navarr. & alii, servatis tamen sequentibus conditionibus, 1. Ut is, qui Prælaturam vel Episcopatum appetit, sit eô dignus. 2. Ut non adsit alius magis idoneus ad regendum, & promoven-

dum majus Ecclesiæ commodum, aliàs potiùs suum proprium, quàm Ecclesiæ commodum quæreret, quod est proprio anteponendum. 3. Ut appetat absque scandalo, & sine illicita prævia largitione, procuratione &c. imò Sylvest. l. c. putat in quócunque casu, etiam in necessitate, peccatum esse procurare, quod tamen rectè negat Toletus cum S. Th. & aliis, pro casu, quò urget necessitas. Ratio assertionis est; quia ex una parte objectum talis appetitionis est bonum teste Apostolo l. c. potéstque ordinatè appeti scilicet ad Dei honorem promovendum, animarúmque salutem, & utilitatem spiritualem procurandam; ex altera parte bona temporalia sunt etiam Dei dona, & media conducentia ad Divinam gloriam, & hominum salutem promovendam.

288 Ad 7. Q. An Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus approbare possit Sacerdotes in Confessionis Ministros? R. affirmativè cum Sylvest. verb. *Episcopus n. 9.* Sà verb. *Episcopus n. 37.* Barbos. *in Collect. DD. in Trid. Sess. 23. c. 15. n. 25.* ubi plurimos alios refert. Ratio est, quia tali Episcopo competunt ea, quæ sunt jurisdictionis: adeóque licèt non possit ea concedere, quæ sunt Ordinis Episcopalis, potest tamen ea, quæ sunt jurisdictionis, qualia sunt approbatio, & jurisdictio Sacerdotum ad munus Confessarii obeundum & collatio Beneficiorum, quæ est actus jurisdictionis, ut etiam notat Squillant. de *oblig. & priv. Episc. p. 3. c. 3. dub. 5. n. 3.* Unde Diana pluribus à se relatis affirmat *p. 7. tr. 2. resol. 1.* posse talem Episcopum uti facultate absolvendi, & dispensandi, concessâ Episcopis à Trident. *Sess. 24. de reform. c. 6.* in casibus occultis, eò quòd talis facultas dispensandi, & absolvendi sit actus jurisdictionis.

CA-

CASUS L.

De Parocho Horas Canonicas distractè recitante, & eas, vel earum partem omittente.

MArchantius Parochus Horas Canonicas persæpè valdè distractè, & somnolenter recitat, cúmque non rarò earum recitationem in serum usque Vesperum differat, non nunquam ex somno, oblivione, capitis dolore, aut crapula Vesperas cum Completorio omittit, subinde etiam totum Breviarium ob occurrentes varias occupationes, & negotia expedienda.

QUÆR. I. An satisfaciat præcepto recitandi Horas Canonicas, qui voluntariè ita distractè orat, ut nullam habeat attentionem internam?

QUÆR. II. An Marchantius ex somno, crapula, aut capitis dolore omittendo Vesperas cum Completorio arguendus sit peccati mortalis?

QUÆR. III. An, & quando excusandus sit à mortali omittens totum Breviarium, aut notabilem ejus partem ob occurrentes occupationes, aliaque negotia?

QUÆR. IV. An excusandus sit Beneficiatus ab onere restituendi ob omissas culpabiliter Horas Canonicas, qui largam in pauperes distribuit Eleemosynam nil tamen cogitans de sua obligatione, nec expressè intendens per eam illi satisfacere?

289 PRiusquam primum Q. resolvatur, notandum est 1. Attentionem aliam esse internam, aliam externam. Hæc consistit in negatione distractionis externæ, scilicet negotii, vel occupationis exterioris, quæ ex se distrahat mentem ab oratione. Interna consistit in applicatione interna mentis ad id, quod recitatur. Ad attentionem internam necessariò requiritur externa, quæ consistit in cessatione, seu exclusione actionum, & occupationem ex natura sua incompossibilium cum attentione interna.

Notandum 2. ex S. Th. attentionem aliam esse ad verba, ne quis in iis erret; aliam ad sensum verbo-

lum, & aliam ad Deum, vel ad id, quod, vel pro quo oratur; seu, ut alii loquuntur, aliam esse superficialem, alia literalem, & aliam spiritualem.

Superficialis est, quâ attenditur ad sola verba, ut rectè, & ordinatè omnia proferantur. Attentio litteralis est, quâ attenditur ad sensum verborum, ut scilicet mens sensum eorum, quæ os loquitur, percipiat. Attentio denique spiritualis est, quâ, dum os verba profert, mens interea aliqua pia meditatione, vel affectu erga Deum, aliasve res sacras detinetur.

Notandum 3. attentionem distingui ab intentione; hæc enim est actus voluntatis finem aliquem sibi præfigentis. Attentio verò est actus intellectûs, quo quis advertit ad ea, quæ vel à se, vel ab alio aguntur. Aliquam intentionem requiri in recitatione Officii divini certum est ex alibi dictis. De attentione, & quali, est præsens dubium. Ubi

290 Ad 1. Q. Non satisfacere eum qui absque attentione interna ita orat, sed graviter peccare, censent S. Thom. in *4. d. 15. q. 4. a. 2.* Suarez *tom. 2. de Relig. l. 3. c. 4.* Navar. Sotus, Cajetan. Less. Bonac. Azor, Sanch. Reginald. Laym. aliique plures apud Dianam *p. 1. t. 12. R. 2.* requirentes necessariò aliquam attentionem internam, eò quòd absque attentione interna nulla sit oratio, nec possint proferri verba, quin detur attentio interna, nec sine hac habeatur recitatio *devota*, qualis tamen præcipitur in *C. dolentes.* Sententia hæc utique communior ac probabilior est opposita, & in praxi consulenda, ac tenenda. Contraria tamen opinio non caret magna authoritate, & probabilitate, quam amplectuntur, ac tenent D. Antonin. *3. p. tit. 13. c. 4. §. 7.* Coninck. *in 3. p. Q. 8. a. 6. n. 291.* Gerson. Rosell. Ledem. Angel. aliique. Quorum ultra viginti citant Dian. l. c. & Moja *tom. 1. tr. 2. d. 2. q. 1.* contendentes, non esse necessariam attentionem aliquam internam ad substantiam orationis; sed sufficere externam superficialem cum intentione agendi cum Deo. Tum quia oratio absque ulla interna attentione potest esse actus Religionis secundùm substantiam spectatus, sicut sine hac possunt esse actus aliarum virtutum moralium, v. g. actus fortitudinis, temperantiæ, &c. ad quos non requiritur attentio. Tum quia loqui cum alio nihil est aliud, quàm velle significare alteri per verba à se prolata id, quod per verba significatur, atqui hoc totum verificatur de oratione cum intentione, & attentione suprà requisita, etsi mens ad alia sit voluntariè distracta: ergo. Tum quia satis probabile est, Ecclesiam extra forum conscientiæ, & Confes-

fessionis tribunal non habere jurisdictionem in occulta, & interna. Unde

Ad *C. dolentes* R. ibi præcipi actum devotum externum, qui sufficiat ad externam Religionem; Pontifex enim ibi reprehendit eos, qui in Choro Horas recitantes aures præbebant collocutionibus Laicorum, & præcipit devotam recitationem sub pœna suspensionis infligendæ; atqui hæc pœna per Judicem infligi non potest ob *internam*, sed tantùm ob externam distractionem: ergo

291 Ad 2. Q. R. Sub disjunctione, & distinctione, vel enim ea Horarum Canonicarum omissio fuit Marchantio improvisa, atque adeò involuntaria, vel ea fuit certò, aut probabiliter prævisa? Si primum contigit, Marchantius immunis erit ab omni culpa; quia ad merendum, & demerendum requiritur voluntarium, & liberum exercitium voluntatis; si verò fuit ita prævisa, non excusabitur à culpa mortali, quia tunc censetur esse illi voluntaria ob obligationem, quam habebat, præveniendi, aut certè removendi ejusmodi impedimentum; tunc autem censetur eam prævidere, quando ab experientia habet, quòd differendo v. g. vesperas, aut Completorium post cœnam, aut ejusmodi compotationem instituendo, frequenter ex oblivione, aut somno præoccupatus Horas recitare intermiserit. Quòd verò teneatur prævenire, si prævideat futurum impedimentum docent Suarez *tom. 2. de Relig. l. 4. c. 28*, Bonacina *D. 1. q. 6. p. 2.* Azor *l. 10. c. 13.* Tambur. *l. 2. c. 6.* Palao n. 10. Valent. Sylvest, Nald. Navarr. Graff. Pelliz. aliique; quia tunc temporis urget obligatio præcepti, quod adhuc adimpleri potest, cùm præceptum de Officio divino percurrendo non solùm urgeat suis correspondentibus horis, sed toto die, adeóque in qualibet ejus parte, in qua præceptum impleri potest, & idcircò obligabitur manè Officium recitare, qui serò non potest, vel serò, qui manè non potest.

Quòd si quis ob infirmitatem nequeat debito tempore Breviarium recitare, possit autem alio tempore v. g. si à prandio laboret febre quartana, manè autem sit liber, aut vicissim, putant Henriq. Canus Caramuel, Diana, & alii apud Pelliz. *tom. 1. tr. 3. c. 5.* eum non esse obligatum ad prævenien-dum, ea ratione moti, quòd tale impedimentum sit illi involuntarium, quorum sententiam probabilem agnoscunt etiam Sanch. *d. 43. n. 7.* & Gobat *n. 711.*

Verùm in praxi tenenda est sen- 292
tentia opposita cum AA. suprà relatis ob rationem insinuatam, quia præceptum urget tota die, & quòd Officium recitetur hoc, vel illo

diei

diei tempore, est tantùm circumstantia accidentalis, ut notat Lacroix, obligatio verò dicendi totum Breviarium incipit à media nocte, durátque per singulas partes diei naturalis usque ad alteram mediam noctem, adeóque si in aliqua hujus diei parte commodè recitari potest, & urgenti præcepto adhuc satisfieri, præstandum id erit, ni fortè morbus inde augendus prudenter timeretur, aut aliud nocumentum idcircò oriturum.

Porrò an, & quomodo peccet, qui ex capitis dolore, aliave corporis infirmitate non nunquam omittit recitationem totam, aut partem Breviarii, spectanda est gravitas, aut levitas morbi, ubi sicut non requiritur infirmitas gravissima, ita nec levis sufficit, sed media via incedendum est, ut notat S. Thom. universim tamen cavendum est, ne quis sibi ob amorem proprium plus æquo blandiatur, & sub specie necessitatis omittat pensum Canonicum; ubi re vera nulla est necessitas, aut ratio sufficiens: Unde in dubio, an morbus sit levis, vel gravis, standum est judicio Medici, Superioris, aut alterius viri prudentis.

Cæterùm præstat cum ægris sequi partem benigniorem, & mitiorem, adeóque eos non solùm excusari à recitatione Breviarii tunc, quando satis apparet adesse moralem impotentiam, sed etiam quando periculum apparet nimiæ defatigationis, quæ vires ægroti imminuat, aut morbum promoveat: Unde Sanch. *in conf. l. 7. c. 2. d. 45.* Tambur *in Decal. l. 2. c. 5. §. 8.* Stoz *l. 1. p. 3. n. 402.* Gobat, & alii, ab onere recitandi Breviarium eximunt eum ægrum, qui aliàs per recitationem incurreret periculum cruditatis Stomachi, gravedinis capitis, notabilis virium lassitudinis, aut etiam febris tardiùs remissuræ, Tum quia ejusmodi damna, & incommoda, quæ in sano corpore sunt levia, in ægroto sunt gravia. Tum quia præceptum de persolvendo penso Horarum Canonicarum est præceptum benignæ Matris Ecclesiæ, quæ non præsumitur velle suis filiis id oneris imponere, & tanto in rigore obligare; ut alibi dictum est in Instruct. pract. Ordin.

Ad 3. Q. R. attendendum esse 293
ad naturam, & gravitatem negotiorum, quibus Clericus distinetur, ac præpeditur, & siquidem ejusmodi negotia sint necessaria, magníque momenti (id est talia, propter quæ homo aliàs prudens, & diligens cum valdè magno suo incommodo, aut detrimento cogeretur intermittere aliam actionem magni momenti) nullúmque spatium permittant, atque adeò moraliter impossibilem reddant recitationem Breviarii, illius omissio immunis erit à culpa; quia moralis

lis impossibilitas, sicut in aliis, ita & hîc excusat.

Cæterùm in hac quæstione præstat pro praxi sectari tutiorem, & rigidiorem opinionem ob incommoda, quæ inde sequerentur; nam quamvis universim moralis impossibilitas excuset ab obligatione persolvendi pensum Canonicum, attamen facilitas deobligandi, & in eo dispensandi propter occurrentia negotia esset nimis periculosa, & noxia Statui Clericali, hoc ipso enim, quòd multæ personæ etiam Ecclesiasticæ perpetuò occupentur variis, iisque quandóque non levibus negotiis, si facilè liceret in quotidiano hoc penso dispensare, & ob occurrentes occupationes Breviarium intermittere, brevì contingeret, ut apud multos Breviarium quotidie percurrendum perpetuò vacaret, & per successivam desuetudinem facilitas hæc præscriberet contra quotidianam obligationem recitandi Divinum hoc Officium.

Unde sedulò cavendum est, ne illud propter quotidiana negotia negligatur; nec difficile erit, tempus aliquod vacandi Deo inveniri ab iis, quibus cordi est Dei honor, & negotium salutis propriæ, sicut non obstantibus etiam gravibus negotiis facilè invenitur tempus vires reficiendi, corpus abundè curandi, imò & fovendi, ut dictum est alibi.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Ad 4. Q. R. cum Lug. *d. 4. n.* 294
46. Laym. *l. 3. tr. 2. c. 12. n. 9.* Diana *3. p. tr. 6. R. 57. &* & *p. 7. tr. 10. R. 24.* Suarez, Sanch. aliisque affirmativè, siquidem Beneficiatus post omissionem Divini Officii Eleemosynam distribuat correspondentem fructibus aliàs restituendis; negativè verò, si ante omissionem pauperibus Eleemosynam elargatur. Ratio prioris partis est, quia si Eleemosyna detur post Horarum omissionem ponitur re ipsa opus debitum, & in pœnam à lege Ecclesiastica præceptum: ergo satisfit præcepto; intentio enim satisfaciendi præcepto Ecclesiastico non exigitur ab Ecclesia, ut alibi insinuatum, & etiamsi requireretur, adesset tamen hîc virtualis, ut notant citt. DD. quia implicita, & virtualis, intentio omnium dantium Eleemosynam est, velle per illam, quantùm possunt, satisfacere omnibus obligationibus, quas per sua peccata, & negligentias contraxerunt, adeóque etiam obligationi restituendi inductæ per legem Ecclesiasticam, quæ aliàs benignè explicari debet: Unde non obest, etsi cum aliis multis sentias, obligationem hanc debitam esse ex justitia, hoc ipso quòd dans Eleemosynam virtualiter intendat, etiam huic, quam habet, obligationi satisfacere.

Ratio posterioris partis est, quia per bona opera satisfacere quidem

possúmque pro peccatis, & negligentiis jam præteritis, non item pro futuris. Unde ab Alexand. VII. proscripta fuit hæc sequens propositio n. 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascúmque Eleemosynas; quas antea Beneficiatus ex fructibus sui Beneficii fecerit.*

CASUS LI.

De Canonico Horas canonicas recitante, & à Choro frequenter absente.

MAurinus Canonicus frequenter abest à choro, non solùm, cùm malè habet, sed etiam, cùm benè valet; Cùm verò præsens adest, aliis in Choro Psallentibus ipse profana legit, aut confabulatur cum proximo suo socio, vel si orat, versiculos suos submissa voce recitat, aliis Suam partem canentibus.

QUÆR. I. An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?

QUÆR. II. Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui, aliis in Choro Psallentibus, profana legit, aut confabulatur cum suo socio?

QUÆR. III. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro?

QUÆR. IV. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari nihilominus possit distributiones non solùm proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium?

295 AD 1. Q. R. cum Suarez *tom. 2. de Relig. l. 4. c. 12.* Less. *l. 2. c. 3. dub. 23.* Petr. Navarr. Bonac. Filliuc. Rodrique, & aliis, non posse talem Canonicum, saltem ex integro, percipere distributiones. Ratio est. Primò, quia talis Canoni-

nonicus non assistit choro, prout debet, illum nempe suâ operâ juvando, siquidem Canonici munus est canere, & alta voce Horas Canonicas recitare, ut constat tum ex *cap. ult. dist. 92.* tum ex Decreto S. Congregationis Rit. *20. Apr. 1602.* & *23. Nov.* ejusdem anni, juxta quod tenentur Canonici in choro psallere, & alta voce canere, & quidem per se ipsos, nisi legitima consuetudo aliud obtinuerit, quia est obligatio personalis, & Trident. *Sess. 22. c. 4. & Sess. 24. c. 12.* Mandat, ut Canonici per se ipsos onera, & officia annexa præstent. 2. Quia talis Canonicus ita recitando agit contra justitiam commutativam quoad obligationem chori; imò propriè, & absolutè loquendo non dicitur talis recitare in choro, & esse pars chori, prout à Trident. l. c. & Pio V. requiritur ad hoc, ut possit participare, ac percipere distributiones.

296 Dixi *ex Integro*; nam posse eum probabiliter percipere mediam partem, docent Suarez, Filliuc. Bonac. Laym. & alii contra Azorium, Navar. & alios. Ratio est, quia talis Canonicus non deest in totum suo muneri; cùm assistat adhuc Choro submissè recitando, & suâ præsentiâ illum ornando, aliósque audiendo, quæ proin assistentia, etiam qualis hîc ponitur, non parum facit ad Chori decorem, & ornamentum: Nec distributiones solùm conferuntur pro cantu, verùm etiam pro præsentia, & assistentia in Choro; ut adeò æquum videatur, ut hoc modo assistens Choro percipiat saltem distributiones assistentiæ respondentes. Spectanda tamen hîc erit legitima loci consuetudo, siqua viget, ut alibi dictum est in Instruct. pract. ordin. de Hor Can.

Ad 2. Q. R. Canonicum, qui, aliis in Choro psallentibus, confabulatur cum suo socio, aut legit profana, non solùm peccare contra reverentiam loco sacro debitam per illam suam confabulationem, fortassis etiam scandolosam, sed etiam sub gravi culpa obligari ad recitandum privatim suum Breviarium, si ea confabulatio, aut lectio profana per notabilem partem duraverit. Ratio petitur ex ipsa obligatione, quam habent Canonici, & Beneficiati recitandi quotidie totum Breviarium, & Fundatorum intentioni satisfaciendi. Imò non potest talis Canonicus bonâ conscientiâ accipere distributiones, si per magnam Officii Divini partem protrahat eam confabulationem, aut lectionem, prout docent ex communiore Navarr. *c. 13. n. 15.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 1.* Barbos. Palao, Molfes. Ledesm. aliique contra Garc. Medin. & alios, putantes notabiliter confabulantem peccare quidem mortaliter, ad restituentionem tamen distributionum non teneri, eò quòd ad distributiones lucrandas sufficere arbitrentur solam præsentiam in Choro. Ratio

autem communioris sententiæ, est, quia distributiones non dantur propter meram præsentiam physicam, (aliàs etiam dormienti, ludenti, aut quodvis aliud in Choro agenti deberentur) sed iis tantùm assignantur, qui Choro assistunt assistentiâ, & præsentiâ morali, humana, & actuosa, vel saltem modesta, & devota, quæ aliquid conducat ad honorem, & cultum divinum, ut colligitur ex *C. dolentes* citt.

297 Ad 3. Q. R. Canonicum, qui dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro, per se graviter delinquere, non immeritò sentiunt Suarez, Vasque Palao, Bonac. & alii, nisi ob parvitatem materiæ excusetur. Ratio est, tum quia justa Fundatorum voluntas obligat ad frequentandum Chorum, in quem finem assignantur tam copiosi reditus. Tum quia sic imminuitur cultus divinus. Tum quia pro vacatione est certum tempus determinatum, & à Trident. quidem *Sess. 24. c. 12. de Ref.* tres menses in anno conceduntur, sive continui, sive interpolati: ergo ultra tempus Statutum non licebit abesse non tantùm à loco, sed neque à Choro, quia præsentia in loco exigitur propter præsentiam in Choro.

Tum denique quia non obscurè id colligi potest ex gravitate pœnarum, quæ in jure intentantur non frequentantibus Chorum, videlicet Excommunicationis ferendæ, & depositionis, atque ita sæpiùs declarâsse S. Congregationem, testatur Garcias *p. 3. c. 2. n. 323. de Benef.* Si tamen distributiones ejusmodi Canonici non recipiant, sed aliis sponte relinquant, censent non nulli cum Cajetan. Barbos. Valent. Regin. contra citatos DD. eos non delinquere graviter, eâ ratione moti, quòd in Præbendato, seu Canonico duæ spectandæ sint obligationes; altera recitandi simpliciter divinum Officium; altera recitandi illud in Choro: propter priorem, ajunt, dari Canonico fructus Beneficii; propter posteriorem concedi distributiones: ergo si has non percipiant, quando absunt à Choro, non erunt gravioris culpæ arguendi; Quorum opinio sua non caret probabilitate, ut alibi insinuatum est in libello de Horis Canon.

Ad 4. Q. R. Præscindendo à 298
legitima locorum in contrarium consuetudine, posse talem Canonicum, qui ob corporis infirmitatem Choro assistere nequit, percipere, suas aliàs proprias distributiones, quamdiu durat illa infirmitas. Ratio responsionis elucet ex ipsa juris dispositione, præsertim *ex cap. 1. de Cleric. ægrot. cap. consuetudinem*, & *cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.* Ubi postquam sancitum fuisset, absentibus distribu-

tiones

tiones non deberi, excipiuntur absentes ob infirmitatem, & hæc verba subjunguntur: *Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, (exceptis illis, quos infirmitas seu justa, & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusarent) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas &c.*

An autem talis Canonicus infirmus etiam distributiones aliorum absentium percipere possit, controversum est inter DD. affirmativam sententiam tenet Matthæuc. *in Offic. Cur. Eccl. c. 44. n. 24.* Adducta pro se auctoritate S. Congreg. Card. & ratione. Primò, quia infirmi, & ex justa causa absentes reputantur in jure interessentes, seu præsentes: atqui si præsentes essent, lucrarentur distributiones non solùm proprias, sed etiam aliorum illegitimè absentium: ergo etiam ex justa causa absentes. 2. Quia Trident *Sess. 21. c. 3. & Sess. 24. c. 12. de Reform.* Non videtur aliis concedere distributiones illegitimè absentium, nisi iis, quibus concedit proprias: atqui proprias concedit absentibus sic impeditis: ergo & proprias aliorum illegitimè absentium.

299 Verùm spectato jure communi, & seposita contraria consuetudine, si qua alicubi viget, negativam sententiam, idque probabiliùs, docent, ac tenent Bonacina *D. 2. de Hor. Can. q. 7. p. 1. in fine.* Palao *tr. 7. D. 3. p. 8. n. 8.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 18. n. 90.* Pirh. hîc n. 101. Wiestn. n. 58. Schmalzgr. n. 84. aliique. Ratio est, quia in nullo juris textu invenitur expressum, tales ex justa causa absentes lucrari aliorum absentium distributiones: ergo non sunt illis concedendæ, hoc ipso quod nullum privilegium cedens in diminutionem cultûs divini, quale est etiam hoc, quod ejusmodi infirmis conceditur, præsumendum est, nisi expressè probetur, prout tamen hîc non probatur expressè, cùm id neque exprimatur in *citt. C. consuetudinem de Cler. non resid. in 6.* neque in *C. unico citt.* neque in Trident. l. c. ubi solùm dicitur distributiones interessentibus, & deservientibus esse concedendas, nulla facta mentione de sic infirmis & impeditis. 2. Quia absentium portiones accrescunt deservientibus, ut à S. Congreg. declaratum est, teste Garc. *p. 3. de Benef. c. 2. n. 465.* Sed qui causa infirmitatis vel alia legitima absunt, non deserviunt Ecclesiæ: ergo &c. 3. Quia convenientius est, ut illi potius ejusmodi distributiones percipiant, qui verè, & non fictè præsentes sunt, & majorem ex aliorum absentia laborem obeunt, quàm illi, qui fictè duntaxat præsentes censentur, & nullum subeunt laborem, nullúmque præstant servitium.

Nec urgent argumenta in oppositum. Ad 1. enim R. ejusmodi

infirmos, & impeditos in jure reputari præsentes ad lucrandas distributiones proprias, non autem ad aliorum distributiones percipiendas, ad quas extendi non debet privilegium legitimè impeditorum, utpote odiosum, & cedens in diminutionem cultûs Divini, ad quem augendum introductæ sunt ejusmodi distributiones.

Ad 2. R. Absentium distributiones juxta citt. Trident. concedi iis, qui lucrantur proprias, si Divinis intersint, & inserviant, quales non sunt tales infirmi, licèt hi ex juris concessione proprias lucrari possint: Ut autem ejusmodi infirmi etiam proprias lucrari possint, requiritur gravis infirmitas, seu talis, quæ impediat, ne hi ad Ecclesiam & Divina officia se conferre possint. Quæ verò infirmitas sit gravis, vel levis, judicio prudentis viri, seu periti Medici relinquitur. Ad justam, & rationabilem corporis necessitatem quod attinet, positam & expressam in dicto *cap. consuetudinem*, tunc censetur talis necessitas adesse, ut notant Bonac. Palao, Azor. & alii, quando ex assistentia Chori Clerico imineret grave damnum vitæ, honoris, vel fortunæ; Quodcunque enim ejusmodi grave damnum reputari debet justa & rationabilis necessitas, ob quam nolit pia mater Ecclesia obligare suos ministros ad peragendum Divinum Officicium, eósque privare eo emolumento, qui ex tam justa, & rationabili causa Officium omittunt. Unde

Colliges, distributiones deberi iis, qui judicio Medici Choro absunt; eò quòd putent vel timeant grave damnum sibi proventurum, si domo egrediantur, & choro assistant, vel qui consilio ejusdem Medici alio se transferunt ad auram mutandam, sanitatis acquirendæ causâ, vel ad recuperandas vires in infirmitate amissas, vel qui aliunde grave damnum sibi obventurum prudenter timent, si choro assistant, quia tales verè absunt à choro ob justam & rationabilem corporis necessitatem, quam tollere aliàs nequeunt.

)o(

CA-

CASUS LII.

De recitatione Breviarii cum socio &c.

BAsilius Clericus pensum Canonicum sæpiùs persolvit cum socio festinanter recitante suam partem, quam ipse incipit, antequam Basilius ultima verba sui versiculi profert: Unde non nunquam aliqua repetit, ut securiùs procedat, vel quia subinde dubitat, an non aliqua omiserit. Cùm verò ipse solus Horas recitat, ita submissè quandoque verba profert, ut sæpè se ipsum non audiat.

QUÆR. I. An satisfaciat suæ obligationi recitandi Breviarium, qui illud ita festinanter recitat cum socio, ut antequam socius ultima verba sui versiculi profert, ipse suam partem jam incipiat?

QUÆR. II. An qui dubitat, utrum aliquam Horam recitaverit, vel aliquid omiserit, teneatur repetere id, de quo dubitat?

QUÆR. III. An in recitatione Breviarii debeant verba ita necessariò proferri, ut recitans se ipsum audiat?

300 AD 1. Q. Videtur affirmativè respondendum. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto Officii Divini recitandi requiritur, & sufficit, ut partem versiculorum tibi competentem proferas, & eam partem audias, quæ à socio profertur: sed utrúmque fieri potest in posito casu, cùm & tua verba ipse proferas, & audias ea, quæ à Socio proferuntur: ergo satisfacis. Sed

Dicendum est cum Bonacina *D. 1. q. 3. part. 2. §. 1.* Tolet. *l. 2. c. 13.* Less. *c. 37. dub. 10.* Palao *D. 2. p. 3. n. 9.* Azor *tom. 1. l. 10. c. 4. q. 11.* Fill. & aliis, eos, qui ita festinanter Breviarium recitant, ut nondum expletis versiculis à socio proferendis, sequentes versiculos recitare incipiant, non satisfacere suæ obligationi. Ratio est, quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum socio,

cio, qui eam audire nequit tempore debito, seu eò, quòd illam ipsus recitare posset, siquidem auditus loco prolationis succedit: & aliàs sequeretur, quòd si socius versiculum suum proferret, quando tu profers tuum tibi competentem, satisfaceres tuæ obligationi ita recitando; quod utique dici nequit; tum quia simultanea talis recitatio est contra consuetum Ecclesiæ usum, & aliàs dimidio temporis spatio integrum Officii pensum persolvi posset, cùm sit par ratio partis & totius: Tum quia socii recitatio succedit loco illius, quam tu recitare debebas: sed tu non poteras utrumque versiculum simul recitare: ergo neque eodem tempore, quo alter recitat, poteris satisfacere. Unde

Ad rationem in contrarium R. ad satisfaciendum præcepto requiri, ut socii recitationem audias tunc, quando eam ponere posses, quia alter etiam nomine tui recitat, & auditus loco prolationis succedit, sed quia tu non poteras tunc illam recitare, cùm audis, eò quòd utrúmque simul recitare non possis, ideo minimè satisfacis.

301 Ad 2. Q. R. Sic dubitantem teneri ea repetere, de quibus dubitat, nisi dubium probabili aliqua ratione practicè deponatur. Ratio est; tum quia præceptum obligans ad recitandum est, & manet in sua possessione: Tum quia recitatio est aliquid facti; factum autem non præsumitur, ut docet communis Jurisperitorum.

Quòd si tamen dubitans probabilem aliquam conjecturam habeat, quòd recitaverit, v. g. quia scit, se incepisse Horam, & nunc reperit se in fine ultimi psalmi, vel quia scit se communiter non solere aliquid omittere, vel quia meminit posteriorem Horam, quam scit se recitasse, non solere aliàs recitare, nisi priùs recitata priore, vel quia reperit mutatum signum, quod, post persolutam quamlibet Horam mutare solet, & apponere Horæ subsequenti recitandæ &c. Si inquam, ejusmodi probabilem conjecturam habeat, non tenetur quidquam repetere, ut docent Bonae. *D. 1. q. 4. p. 2. n. 11.* Tambur. *in Decal. l. 2. c. 5. §. 3.* Pelliz. *t. 1. tr. 5. c. 8.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 5.* Gobat. *in exp. t. 5. n. 621.* Navar. Suarez. Sanch. Azor. aliique apud Lacroix. Et ratio est, quia tunc possessio est pro ipso recitante, qui cùm certus sit, quòd aliàs soleat recitare Horas Canonicas, sciátque se Breviarium hodie recitâsse, incertus autem sit, an Horam, vel partem illius omiserit, prudenter potest præsumere, & supponere, se etiam nunc nihil omisisse, cùm etiam aliàs solitus sit, nihil de Officio intermittere, aut transilire, nec præsumatur omissio illius, quod in ordinario cursu recitari solet. Quin imò expedit, saltem scrupulosis, in tali casu nihil repetere, ut notant Sanch.

Sanch. Laym. Navar. Gobat, & alii, ad viam scilicet scrupulis præcludendam, & ad inania, & vana dubia deponenda; & quidem loquendo tantùm de omissione parvæ alicujus Horæ, censent Tambur. & Gobat non teneri Clericum repetere, etsi probabilis ipsi ratio suppetat judicandi, quòd talem partem non oraverit, modò ipsi non sit moraliter certum, quòd eam non omiserit.

Rationem dant, quia ratio illa, quòd, quando quis Officium incepit, communiter, ac regulariter non omittat, præponderat, ac prævalet omni alteri rationi oppositæ, quæ tantùm probabilis est, juxta regulam communiter receptam, quòd ex communiter contingentibus fiat prudens præsumptio. Nota autem cum Lacroix non esse sufficientem, & prudentem causam repetendi Horam ex eo solùm capite, quòd non memineris te illam recitâsse, dummodo non memineris te illam non dixisse, & habeas aliquam conjecturam, quòd recitaveris, ut alibi dictum est.

302 Ad 3. Q. Utrum necesse sit, ut recitans privatim Officium divinum ita verba proferat, ut se ipsum audiat? Affirmativam sententiam amplectuntur Medina *C. de orat. quæsito 7.* Reginald. *l. 18. n. 174.* Vincent. Filliuc. *tr. 23. c. 3. n. 117. & cap. 7. quæst. 8.* aliique arbitrantes recitantem teneri se ipsum audire; quia recitatio Officii Divini est oratio quædam vocalis; de ratione autem orationis vocalis est, ut voce proferatur, & ab aliquo audiatur, cùm vox essentialiter sit quidam sonus. Sed

Contrarium tenendum est cum Navar. *c. 20. de orat. n. 14.* Suarez *tom. 2. de Relig. c. 28. n. 17. & cap. 7. n. 5.* Bonac. *D. 1. q. 3. p. 2. §. 1.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 5. n 8.* Palao *D. 2. p. 3. n. 6.* & aliis censentibus, non esse necessarium, ut cùm quis solus recitat, se ipsum audiat. Moventur. Primò, quia nullo jure probatur, recitantem ad hoc teneri; præceptum enim obligat ad dicendum, non autem ad audiendum; éstque præceptum solùm de locutione vocali cum Deo; sed cum Deo optimè loqui possumus verbaliter, quin nos ipsos audiamus, quia possumus verba formare, quæ Deus optimè percipiet; potest enim oratio fieri ore, & voce, etiamsi non audiatur ab ipso recitante, quæ ex se sit quidam sonus formatus ex allisione aëris ad labia, & dentes. 2. Si ad orationem vocalem, & ad executionem hujus præcepti necessariò requireretur, ut te ipsum, seu verba à te prolata audias, tunc orare non posses vocaliter, neque hoc præceptum implere, si surdus esses, vel, si dum oras, magnus strepitus excitaretur.

Porrò licèt opus non sit, ut te ipsum audias, debes tamen verba ita distinctè proferre, ut absolutè

audiri possent, remoto saltem omni impedimento, quia verba, quæ auditu percipi non possunt, non videntur verba, sed quidam motus in gutture, qui potiùs sunt inchoatio verborum, quàm verba; vix enim videtur fieri posse, ut vox benè formata, & articulata ore proferatur, quin à proferente integra audiendi facultate prædito audiri possit vel audiatur. Et hoc est, quod velle videntur DD. suprà in contrarium relati, ut colligitur ex Valentia *D. 6. q. 2. p. 10. §. 4.*

Dixi suprà cùm quis solus recitat; nam orans cùm socio debes ita proferre verba, ut socius illa audiat, si ad recitandum Horas sit obligatus: Etècontra ipse socius debet ita verba proferre, ut tu illa percipias; quia oratio alterius in tantùm potest esse tibi communis, in quantùm illam percipis, atque ideò diceris recitare ea, quæ Socius recitat, quia illum audis; auditus enim loco prolationis succedit. Quòd si plures, quàm duo simul recitent Officium Divinum, non licet illud ita recitare, ut unus dicat unum versiculum, alter alterum, & tertius tertium, sed alternatim recitandum est, facto inter recitantes solùm duplico choro, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; hic enim est usus, & praxis Ecclesiæ, cui in privata recitatione extra chorum nos conformare debemus, ut cum aliis notat Suarez *l. c. l. 4. c. 25.* Lectiones tamen vel singulas à singulis, vel etiam omnes ab uno, cæteris audientibus, legi sufficit, ut advertunt citt. Suarez *c. 12. n. 2.* Azor *l. 10. cap. 7. q. 5.* Navar. Palud. Sylv. & alii; qui duo monent, quòd scilicet, etsi aliquis quædam distinctè non percipiat, quæ ab altero choro, vel socio dicuntur, moraliter tamen satisfaciat, neque aliquid propterea scrupulosè repetendum sit.

CASUS

CASUS LIII.

De Filiis expositis, & illegitimis.

MArcolpha ex damnato coitu cum Bruſco gravida, & jam partui proxima clam ex ſuo Oppido abiens in alium ſe confert locum, ut partus tutiùs deliteſcat, ſed antequam eò perveniat, in via prolem enititur, quam pannis involutam locat propè viam, ibíque eam relinquens domum revertitur, proles verò recens nata, & expoſita à pertranſeunte quodam Auriga reperta ad proximum Hoſpitale defertur educanda, quæ poſtea educata, & pubertatem adepta, Religionem ingredi Statuit.

QUÆR. I. Quale peccatum ſit exponere infantes, & an liceat illegitimum exponere ad crimen occultandum, & infamiam evitandam?

QUÆR. II. A quo alenda ſit proles expoſita, & an Bruſcus pater teneatur Hoſpitali refundere ſumptus in educatione prolis factos?

QUÆR. III. An irregularitas ex defectu natalium tollatur per Profeſſionem Religioſam, aut per ſolum Religionis ingreſſum, & an illegitimus occultus ſit irregularis, & quis cum eo diſpenſare poſſit?

303 AD 1. Q. R. Expoſitionem infantium, cùm à parentibus ſuſtentari, & educari poſſunt, juxta communem DD. graviter eſſe peccaminoſam, idque ſive expoſitio fiat, ut infans pereat, ſive ut ab aliis alatur, & educetur. Ratio primæ partis eſt; quia quantum in ipſis eſt, ſic exponentes expoſitos necare videntur, *Can. Paſce 21. diſt. 86. can. fin. diſt. 87. l. necare 4. ff. de agnoſc. & alend. Liber. & l. fin. C. h. tit.* & hinc ſic exponentes tanquam homicidæ puniuntur pœna capitis juxta citt. *l. necare*, & *Conſt. crim. Carol. V. art. 132. fin.* ut notat Bartol. cum aliis in citt. *l. necere.*

Ratio posterioris partis patet tum ex citt. textibus, ubi expositio etiam tali modo facta ab utróque Jure graviſſimè generaliter prohibetur; tum ex *Novell. 153.* ubi expositio infantium universaliter vocatur *crimen à sensu humano alienum, & quod ne ab ullis quidem Barbaris admitti credibile est.* Et ratio ulterior est, quia dum parentes exponentes prolem, alimentis eam destituunt, ignorantes, à quo antequam moriatur, assumatur, & sustentetur, eam mortis periculo exponunt, sicque & ipsi, quantum in se est, illam necare videntur.

Si tamen parentes ob paupertatem, & inopiam suam prolem sustentare non possent, & idcirco prolem exponerent in loco pio, aut alio, in quo commodè sustentari posset, eos à culpa immunes pronuntiant Barbos. de *Offic. Episc. alleg. 51.* Gonzal. *in c. un. h. tit. n. 10. fin.* Azor *p. 2. l. 2. c. 26. q. 2.* Wiestn. hîc n. 1. & alii; Verùm vix casus accidere potest, inquit Laym. *l. 3. tr. 3. c. 14.* ut propter inopiam parentum liceat prolem exponere, quia inter homines, qui proli ex misericordia opitulaturi sperantur, aliqui semper reperiendi erunt, qui proli alimoniam sint suppeditaturi.

An autem liceat prolem exponere ad crimen occultandum, & infamiam declinandam, affirmant multi, eò quòd ad gravem infamiam evitandam liceat quandóque non tantùm prolis, sed propriam etiam vitam periculo exponere, ut colligitur ex *l. isti 8. §. 2. ff. quod met. caus.* Negant alii, ajuntque licere quidem etiam propriam vitam quandóque periculo exponere ad infamiam vitandam, quando fama injustè ab alio invaditur, vel aufertur; non verò quando fama justè læditur, prout fit in tali casu, ubi fama matris illicitè imprægnatæ à nemine injustè læditur. Accedit, quòd aliàs pro famæ, & honoris defensione liceret prolem propriis manibus interimere, cùm non referat juxta citt. *Novell. 153.* & *l. necare*, sive proles manu violenta, sive fame, & alimentorum subtractione pereat. Sed

Præplacet hîc sententia affirmativa sub ea limitatione, sub qua eam tuentur Molina *D. 103.* & alii, videlicet licitum esse, prolem exponere, quando ex una parte infamia, aliáque mala aliâ viâ commodè impediri non possunt; ex alia parte debita cautela adhibetur, ne proles exposita frigore, fame, alióve modo moriatur; quia tunc morale periculum, ne proles exposita pereat, sublatum, nullúmque est; consultum tamen est, prout notat Laym. l. c. ut tunc proles priùs baptizetur, appositâ ei scheda de Baptismo testante. Illud porrò hîc notandum est, Patrem filium exponentem, vel in ejus expositionem consentientem,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem, aut eandem ratam habentem, privari ita patriâ potestate, ut eum pater repetere nequeat, & filius sui juris efficiatur, juxta *C. un. h. tit.* & *l. sancimus 3.* ac *l. fin. C. h. tit.* sed in iis tantùm, quæ filio exposito sunt onerosa, & odiosa, non verò in favorabilibus, scilicet quoad dotem, alimenta, &c. ut notant Barbos. l. c. Gratian. *discept. for. c. 267.* Engl. n. 4. König. Wiestn. n. 4. Schmalzgr. n. 13. & alii. Unde

304 Ad 2. Q. R. Filios expositos etiam illegitimos per se à patre alendos esse, ut tenet communis DD. & patet ex *l. si quis 5. ff. de agnoscend. liber.* & *l. penult. & fin. C. de alend. liber.* & ex ipso naturæ jure. Nec obstat, quòd infans per expositionem à patria potestate liberetur per juris dispositionem; nam id duntaxat intelligitur quoad odiosa, & onerosa; non autem quoad favorabilia, quale est jus alimentorum, ut suprà dictum est.

Quod si pater expositum filium alere nequeat, nec alius privatus illius curam suscipiat, alimenta subministranda sunt ab Hospitalibus, aliisve piis locis erectis ad hujusmodi pietatis officia; quia ea censetur esse mens, & voluntas Fundatorum: His verò deficientibus, ex Ecclesiæ reditibus sustentandi sunt ita expositi, tanquam ex Patrimonio Christi, & pauperum, ut colligitur ex *Can. aurum 70. caus. 12. q. 2.* Si verò reditus Ecclesiæ non sufficiant, alendi sunt à Communitate loci, in quo inventi, & baptizati sunt, ut cum aliis notant Abb. in c. un. h. tit. & Barbos citt. c. un. n. 4. & 5. Unde

Ad 2. Membrum Q. An Bruscus pater teneatur Hospitali refundere expensas in alimenta, & educationem factas? R. Si Bruscus dives sit, teneri restituere Hospitali, præsertim si hoc pauper sit, expensas in alenda ea prole factas, quatenus sine periculo suæ famæ potest. Ita ex communi Molina l. c. Ratio est; quia bona Hospitalium sunt in usus, & subsidium pauperum destinata, & relicta a Fundatoribus, quorum præsumpta voluntas est, ut si ex justa causa bona aliqua Hospitalis eo modo insumerentur in filium alicujus divitis, teneatur parens ea compensare in usus, & subsidium aliorum pauperum, utpote obligatus ad alimenta suo filio etiam illegitimo subministranda, & in defectum patris mater tenetur, siquidem dives sit, & possit; quæ proin, si dives esset, in defectum patris teneretur etiam ad refundendas Hospitali dicto modo factas expensas. 305

Quòd si tamen Hospitale ex sui institutione haberet reditus ad infantes expositos indiscrimi-

natim alendos, essétque valde dives, præsumptio esset, ut ait Laym. l. c. fundatum esse pro omnibus expositis ob justam causam, absque compensationis obligatione.

Illud hîc notandum venit apud citt. DD. ex *Novall. 115. c. 3.* quòd quicúnque hujusmodi infantes expositos assumunt, & educant, id juris acquirant, quòd eis, (excluso Fisco, parentibus, & consanguineis tanquam indignis,) ab intestato succedant, si absque descendentibus decedant relictis post se bonis temporalibus.

306 Ad 3. Q. Suppono hîc ex *cap. ut filii 1. & seqq. h. tit.* & *C. inter dilectos 11. de excess. Prælat.* Omnes illegitimè natos repelli ab Ordinibus suscipiendis, Beneficiis, & Dignitatibus. Unde quæritur hîc, an hæc illegitimorum irregularitas ita tollatur per Professionem Religiosam, vel etiam per solum Religionis ingressum, ut absque alia dispensatione possint ejusmodi illegitimi promoveri ad Ordines, Beneficia, aliásque Dignitates? Ad quod

R. 1. Per Professionem Religiosam tolli hanc irregularitatem ex defectu Natalium ortam, ut omnes illegitimi, etiam spurii promoveri possint absque alia Dispensatione ad omnes ordines, non item per solum ingressum in Religionem, seu Novitiatum. Prior pars patet ex C. *ut filii 1. h. tit.* & *Can. Presbyterorum 1. dist. 56.* & ex communi DD. apud Dianam *part. 5. tr. 2. R. 65.* Posterior pars est contra Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 13. n. 4.* existimantem prædictam irregularitatem tolli etiam per ingressum in Religionem probationis causâ, eò quòd in favorabilibus Clericorum, & Monachorum nomine (de quibus sermo est in c. ut filii citt.) veniant etiam Novitii, & etiam ille dicatur ingressus Religionem, qui Novitiatum est ingressus, atque adeò eodem gaudeat favore Novitius, quo gaudet, qui Religionem profitetur. Sed contrarium omninò tenendum est cum Suarezio *de Censur. D. 50. c. 2. n. 12. & 14.* Sylvest. *V. illegitimus n. 8.* Tolet. *l. 1. c. 68.* Diana l. c. Emm. Sà *V. irregularitas.* Sanch. *l. 5. moral. c. 5.* aliisque communiter affirmantibus solam Professionem Religiosam vim habere tollendi hanc irregularitatem, eáque sola vota, per quæ quis verè, ac propriè Religiosus efficitur, qualia sunt etiam vota, licet duntaxat simplicia, quæ in Societate Jesu post biennium Novitiatûs emittuntur, ut patet ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit: *Ascendente.* Ratio cur vis tollendi hanc irregularitatem tribuatur soli Professioni Religiosæ & votis efficientibus Religiosum, non autem ingressui in Novitiatum, desumitur ex citt. *can Presbyterorum 1.* & C. *ut filii* citt. ubi Presbyterorum filii,

filii, (qui verè spurii sunt, eò quòd inter eorum parentes ob alterius votum solemne Matrimonium consistere non potuerit,) removentur *à sacris Altaris ministeriis. nisi in Cœnobiis Religiosè probati, fuerint conversati*, & nisi *fiant Monachi*, ut expresè ponitur. in *C. ut filii* citt. quod propriè fit per emissionem votorum substantialium, per quæ quis verè Religiosus efficitur; non verò per solum Religionis ingressum probationis causâ, & licèt Religiosorum nomine etiam Novitii alibi in favorabilibus veniant; hîc tamen juxta communem hoc nomine venire nequeunt; tum quia cùm legitimatio ad Ordines fiat ad rem quamdam stabilem, & perpetuam, non expediebat quemquam ad Ordines admitti; donec stabilem, & perpetuum Religionis statum assumeret; tum quia aliàs multæ fraudes fieri possent, si Novitius illegitimus per susceptionem Ordinis legitimaretur, & ante Professionem pro libitu suo ex Novitiatu, & Religione egredi posset.

R. 2. Per Professionem Religiosam non tolli hanc irregularitatem, ut filii illegitimi habiles reddantur ad Prælaturas, ut patet ex citt. C. ut filii 1. junct. Gloss. *V. prælationem h. tit.* De Beneficiis tamen inferioribus controvertitur inter DD. negat Suarez *de Censur. D. 50. S. 5. n. 15.* eò quòd in citt. *C. ut filii*, sola susceptio SS. Ordinum illegitimis Professis permittatur; atque adeò à Beneficiis obtinendis repellantur. Alii cum Abb. in citt. *c. 1. n. 6.* Navar. *l. 1. Cons. 3. n. 2. & seqq.* Fagn. in citt. *c. 1. n. 20.* Pirhing. hîc n. 7. Wiestn. n. 14. meliùs distinguunt inter Beneficia curata, & alia curam animarum annexam non habentia; & de primis concedunt, ea esse illegitimis interdicta; negant autem de secundis, eò quòd in *C. fin. h. tit.* hujusmodi illegitimi à solis Prælaturis, personatibus, & Beneficiis Curatis removeantur, quod ipsa praxis confirmat, teste Schmalzgr. hîc. n. 9.

Ad alterum Q. membrum, an 307
hæc irregularitas incurratur ab illegitimo occulto, & quis possit cum eo dispensare?

R. cum Navar. in *man. c. 27.* Laym. *l. 1. tr. 5. c. 5.* Suarez *de censur. l. c. S. 5. n. 5.* Bonac. Tolet. Sylvest. & communi aliorum contra Alphon. de Castro *l. 2. de leg. pœn. c. ult. conc. 5.* illegitimum quantumvis occultum, & in foro externo pro legitimo reputatum, in foro tamen interno verè irregularem esse, solúmque summum Pontificem cum eo probabiliùs dispensare posse, secluso Privilegio Apostolico. Prior pars elucet ex eo, quòd ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus; citt. autem suprà textus nullam inter illegitimum occultum, & publicum faciunt distinctionem, nec alia est specialis ratio pro uno, quam pro altero. Posterior pars est contra non nullos cum Diana *p. 3. tr. 1. Miscell. R. 21.* &

21. & Avila *part. 7. D. 3. dub. 7.* putantes, posse in hoc etiam Episcopum dispensare ad Ordines etiam sacros, & Beneficia curata ex facultate sibi à Trident. concessa, *Sess. 24. c. 6. de reform.* ubi facultatem indulget Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, & iis, quæ deducta sunt ad forum contentiosum: atqui irregularitas ex defectu natalium orta provenit ex delicto occulto parentum. Ergo. Verùm.

Tenenda est communis opposita cum citt. DD. quia hæc irregularitas proximè, ac formaliter non est ex delicto, sed ex morali macula & nota ipsius personæ; irregularitas autem ex delicto occulto illa duntaxat censetur, ut nota citt. Suarez, quæ orta est ex delicto proprio ipsius irregularis, & non ex alieno, qualis est, quæ ex defectu natalium oritur: imò potest contingere, ut etiam sine ulla culpa parentum contrahatur hæc irregularitas, ut notat Coninck. *tom. 2. D. 18. dub. 14.* ut si proles suscepta sit ex personis in amentia copulatis.

Ad Ordines tamen minores & Beneficia simplicia, saltem quæ Ordinem sacrum annexum non habent, vel actu requirunt, dispensare potest Episcopus, ut patet ex *c. is qui 1. h. tit. in 6.*

Porrò illegitimus dispensatus simpliciter ad Ordines, intelligitur solùm ad minores dispensatus, juxta Gloss. in cap. *litteras V. ordinari de fil. Presb.* Suarez *de cens. D. 41. S. 3.* Sanch. *l. 8. D. 1. n. 26.* Azor. *l. 6. c. 3. q. 6.* Item dispensatus ad Ordines non est dispensatus ad Beneficia, quia sunt separabilia, & dispensatio est strictè intelligenda, & dispensatus ad Beneficium de unico, & simplici intelligitur. Barbos. *allegat. 45. n. 5.* Panormit. in citt. *C. litteras.* Sayr. l. 6. Thesaur. *c. 10.* aliique suprà relati.

CA-

CASUS LIV.

De successione liberorum spuriorum, & naturalium.

ONufrius volens de rebus suis disponere, cùm nullos haberet hæredes necessàrios, quos instituereret, Titiam filiam spuriam hæredem instituit addens, & dans ei potestatem, ut se à Principe faciat legitimari; si verò Titia in pupillari ætate decederet, vel alias sine filiis, tunc eo casu eidem substituit fratrem suum Anselmum; 1000. verò fl. relinquit Berthæ ancillæ, & concubinæ suæ in dotem.

QUÆR. I. An validum sit testamentum Onufrii, quo filia spuria hæres instituta est?

QUÆR. II. An, & quomodo Filii spurii succedant matri, & an, & quomodo naturales?

QUÆR. III. An subsistat legatum ab Onufrio Berthæ concubinæ relictum?

308 ANte 1. Q. resolutionem expedit notâsse filios illegitimos duplicis esse generis, naturales scilicet, & non naturales, seu spurios, ut vocant. Naturales secundùm Jus Canonicum censentur ii omnes, qui extra matrimonium suscepti sunt à parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis, vel saltem nativitatis absque impedimento juris dirimente consistere poterat. Non naturales verò, seu spurii Jure Canonico dicuntur, qui geniti sunt ex muliere, cum qua nec conceptionis, nec nativitatis, nec etiam intermedio aliquo tempore matrimonium consistere potuit, qui idcircò ex damnato coitu nati vocantur. Secundùm leges autem, & Jus Cæsareum naturales ii solùm censebantur, qui nati erant ex concubina unica soluta domi retenta, cum qua matrimonium contrahi potuisset, *Auth. quibus modis naturales efficiuntur §. si quis autem de-*

functus. Non naturales verò, si cum eorum matre matrimonium contrahi non potuisset & nati ex coitu damnato dicebantur; reliqui autem nothri vocabantur, seu spurii, qui scilicet ex meretrice publica procreantur, & ideò spurii, seu vulgò concepti appellari solent, inter quos, & naturales illud etiam hodiedum discrimen intercedit, quòd naturalium, seu ex concubina domi retenta natorum pater certus præsumatur, donec contrarium ostendatur; nothorum verò seu spuriorum pater incertus, quousque rationibus demonstretur. His notatis.

309 Ad 1. Q. videtur testamentum Onufrii, quo Titiam filiam spuriam hæredem instituit, irritum, & nullum esse. Ratio est, quia spurii, seu qui ex mulieribus nascuntur, quas eorum patres justis nuptiis sibi jungere non poturunt, Jure Canonico, Cæsareo, & ex communi DD. excluduntur ab omni successione paterna, etsi nulli extent filii legitimi, *Auth. ex complexu C. de incest. & inutil. nupt. Novell. 89. c. ult. Auth. licèt C. de natural. liber.* Cùm ergo Onufrius suorum bonorum hæredem instituerit Titiam filiam suam spuriam, cui jus succedendi parentibus lex ademit, & successionis paternæ incapacem reddidit; testamentum Onufrii, quo filiam spuriam instituit hæredem, invalidum, & nullum erit: imò spurii non tantùm excluduntur ab hæreditate paterna, sed neque alendi sunt ex bonis paternis, ut habetur textibus *citt.* idque ideò, ut hac ratione parentum libido refrænetur; quod tamen quoad alimenta intelligendum est, si propriâ industriâ, aut aliâ viâ licitâ se commodè sustentare possint: nam Jus Cæsareum quoad alimenta hodie correctum est à Jure Canonico, juxta quod parentes quibuscunque illegitimè natis alimenta moderata præbere debent. *C. cùm haberet de eo, qui duxit in matrimonium, quam pulluerat adulterio, in fin. ubi, solicitudinis,* inquit, *tuæ intererit, ut uterque parentum liberis suis, secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret.* Imò non tantùm ex æquitate canonica, se & lege Divina, & naturali alimenta filiis denegari nequeunt, ut alibi dictum est. Nihilominus.

R. Testamentum Onufrii, quo filiam suam spuriam hæredem instituit, validum & firmum esse. Ita Covar. *in epitom. 4. Decretalium, p. 2. c. 8. §. 5. Conc. 1. n. 12.* Baldus, & Alex. *in l. Gallus §. instituens. ff. de liber. & posth.* Clarus *q. 31. §. Testamentum.* Aret. in *l. filius famil. ff. de testam.* ubi plures adducit jurisperitos, qui opinionem hanc communem esse testantur. Angel. Comit. &c. Ratio est; quia validum est testamentum, quo spurius hæres instituitur non voluntate absoluta solius testatoris, sed sub conditione, & cum respectu ad Principis legitimationem: atqui tale est testamen-

stamentum Onufrii, utpote qui institutionem rejecit ad Principis Clementiam, & legitimationem, ut patet ex specie facti, seu casu proposito: ergo. maj. prob. tum legum auctoritate, *Authent. seu Collat. 6. quibus modis naturales filii efficiantur legitimi, cap. 2.* ubi Justinianus Imperator jus concedit patribus, qui cum mulieribus conjugio copulari non possunt, sua bona proli non legitimæ relinquendi, eo prorsus modo, quo reliquit Onufrius, scilicet cum respectu ad legitimationem à Principe faciendam. Item *C. in tempus, ff. de hæred. instit.* ubi Covarruvias l. c. monens spurii patrem ita loquitur: Prætermittendum verò non est parenti tutissimum esse, ut spurium hæredem instituat sub conditione, si à Principe effectus fuerit legitimus; tunc enim secuta legitimatione, patris hæreditatem absque animæ periculo obtinebit, cùm institui jure possit incapax in tempus, quo capere possit. citt. *leg. in tempus*, & *l. sicut* & ibi Gloss. *in princ. ff. quibus modis ususfructus amittatur*, cum citt. DD. imò idem Covar. cum Bald. in *l. fin. ff. de iis, qui sunt sui vel alieni juris.* Jo. Lup. *in rubr. de donat. inter virum, & uxor.* §. *29. n. 4.* cum Claro l. c. aliisque addit, spurium hac conditione institutum posse, pendente conditione, bona petere, & ea ut Curatorem administrare ex bonorum possessione secundùm tabulas, *l. si quis instituatur hæres in diem, ff. de hæredit. instit.* Unde

Ad rationem in contrarium ex utróque jure petitam.

R. spurios secundùm juxta excludi ab omni successione paterna, pro casu, quo spurii hæredes instituuntur voluntate absoluta solius testatoris sine conditione, & respectu ad Principis legitimationem; secùs verò si exspectetur voluntas, & beneficium Principis, transferentis jura legitimorum filiorum, & successionum legitimarum in prolem spuriam, quo in casu nihil agitur contra jura, ut ajunt citt. DD. Posse autem Principem legitimare prolem adulterinam, incestam, & quamcunque non legitimam, probant quotidiana exempla Principum beneficium legitimorum hæredum largientium, & communis DD. cum S. Thom. *in 4. dist. 41. q. 1. a. 3.* ubi ita arguit: Quod per legem inducitur, per legem revocari potest: Sed illegitimitas filiorum est per legem positivam inducta: ergò potest filius illegitimus legitimari ab eo, qui habet auctoritatem legis. Ita ille. Quod intelligendum de casu est, quo legitimatio non cedit in damnum, & injuriam vel liberorum legitimorum, vel eorum, quibus jam jus acquisitum est in bonis testatoris; prout contingit in testamento Onufrii, utpote qui nec legitimos filios, & necessarios hæredes habuit, nec ejus bona cuiquam alteri fuêre obligata.

Ad 2. Q. distinguendum est inter spurios; an tales sint jure Canonico, anue solùm jure civili; nam ii, qui jure Canonico spurii appellantur, seu qui geniti sunt ex muliere, cum qua nec conceptionis nec nativitatis prolis, nec intermedio aliquo tempore matrimonium consistere potuit, excluduntur ab omni successione, non tantùm paterna, ut suprà dictum est; sed etiam materna, tam ab intestato, quàm ex testamento, uti patet ex citt. *Authent. ex complexu* & citt. *Novell. 89.* Alii verò, qui jure tantùm civili spurii vocantur, seu qui vulgò quæsiti dicuntur eo, quòd ex vaga, & promiscua libidine concepti sint, spectato jure communi matri, aliisque parentibus maternis unà cum legitimis succedunt, *l. 2. & 8. ff. unde cognati.* Excipitur tamen, nisi mater illustris sit, & alios legitimos filios habeat; nam tunc spurii, seu vulgò quæsiti excluduntur, sùntque ex bonis maternis duntaxat alendi. *l. si qua illustris 5. C. ad S. C. Orficianum, l. si quis 5. §. ergo 4. ff. de agnosc. & alend. liber.* Ad successionem verò patris ejusmodi illegitimi non admittuntur; cùm patrem, vel omninò non, vel saltem honestè demonstrare non possint.

310 Ab aliis tamen præter ascendentes possunt filii spurii hæredes instituti, non secùs atque quicunque alii extranei, ut notavit Gloss. in *Auth. quibus modis naturales effic. sui §. pen.* & tenet communis DD. quia id non reperitur prohibitum in jure, sed potiùs expressè concessum in Auth. citt. *quibus modis, §. filium verò.*

Sicut porrò spurii succedere nequeunt parentibus, aut aliis ascendentibus, ita neque isti succedere possunt filiis spuriis, uti colligitur ex Auth. *ex amplexu* citt. & citt. *Auth. quibus modis &c.* & tradit communis DD. cum Covar. l. c. c. 8. §. 5. Molin. *D. 167.* Navar. *l. 3. consil. 2. de succes. ab intest.* Abb. &c. Ad successionem filiorum naturalium quod attinet, distinguendum est, atque videndum, an præter naturales filios adsint filii legitimi, an verò præter ipsos nulli adsint legitimi filii? Si nulli adsunt legitimi filii, tunc naturales succedunt ab intestato, sed in duabus tantùm unciis, inter ipsos, & eorum matrem, si superstes sit, per æquales portiones dividendis; reliquæ autem decem unicæ obveniunt aliis defuncti agnatis, & cognatis. *Auth. licet, C. de natural. liber. & Novell. 89. c. 12.* Si verò adsint legitimi liberi à patre ab intestato decedente relicti, tunc in nulla quidem parte bonorum patris succedunt naturales; non tamen excluduntur ab hæreditate materna; nam ad hanc æqualiter admittuntur cum filiis legitimis, excludúntque ascendentes legitimos perinde, ac si essent filii legitimi: imò iidem filii, matre defuncta, non minùs, ac alii liberi

beri legitimi succedunt ab intestato aviæ maternæ, aliisque per maternam lineam ascendentibus. *l. modestinus 8. ff. unde cognati, &c.*

De eodem jure communi, in qua portione, & quomodo filii naturales succedunt matribus, & aliis ascendentibus per lineam maternam, in eadem matres, & alii ascendentes succedunt ipsis, quando tales filii carent descendentibus. Uti docent communiterr DD. apud Molin. *D. 166.* ut sic par pietas descendentium servetur cum ascendentibus juxta citt. *Auth. quibus modis natur. effic. sui.* & *Auth. licet. C. de natural. liber.*

311 Ad 3. videri potest non subsistere legatum Berthæ Concubinæ factum; tum quia tale legatum palàm turpitudinem præsefert, utpote factum ab homine adultero, & incestuoso personæ iisdem criminibus contaminatæ; tum quia nulla lex, nullus actus potest esse justus, ac ratus, qui peccatum gignit, & fovet; sed talis actus est legatum ab amatore pellici factum, utpote quod gliscentem pellicatûs libidinem incendit, præteritarum voluptatum nefariam memoriam renovat, & futurarum similium illecebrarum appetitionem inflammat. Nihilominus haud dubiè tenendum est, tale legatum subsistere, & pium esse. Ratio est, quia mentem hominis Christiana fide imbuti, decedentis, qualis fuit Onufrius, piè interpretari debemus, & credere, illum amore proprjæ animæ, & ex motivo christianæ pietatis incitatum fuisse ad eam pecuniam Berthæ relinquendam. 2. Quia dubitandum non est, titulum dotis, quæ maritandis puellis, & egentibus mulieribus constituitur à testatoribus, cum pietate & religione conjunctum esse; tale est legatum Onufrii Berthæ relictum: ergo. 3. Quia Legatum, quo à flagitiosa vita pauperes, & infames mulieres revocantur, aut revocari possunt, pietate non caret; tale est legatum Onufrii Berthæ factum, eò tendens, ut Bertha in legitimo matrimonio collocata à turpis quæstûs periculo abduceretur. Ergo.

Nec obstat ratio dubitandi in contrarium allata; nam nec infamia legantium, nec dedecus & improbitas legatarii improbum, & turpe legatum efficiunt, modo id, quod legatur, pietatis legibus administretur, sitque res per se bona & officio christiani hominis consentanea. Sic si sceleratus Christianus Judæo, vel meretrici gravissimè morbo vel fame laboranti succurrat, non ideò turpe erit ipsum subsidium, quia turpitudo in personis versatur.

CASUS LV.

De illegitimo occulto, & usu privilegiorum.

FAbricius illegitimus occultus post susceptos absque dispensatione sacros Ordines dispensationem à Pontifice petit, & obtinet, ut promoveri possit ad Beneficium, quod fundaverat Ruffus proavus sui patris pro consanguineis ex sua familia, & cognatione; sed cùm ex eadem familia superstes esset Fabius Sacerdos legitimus, & aptus, huic Beneficium collatum est, qui licèt privilegium haberet recitandi Breviarium extra consueta, ac præscripta tempora, illô tamen ferè nunquam utitur, aut si aliquando utitur, Breviarium non nisi cum socio recitat.

QUÆR. I. An illegitimus occultus sacros Ordines suscipere possit absque dispensatione, & an Beneficium à Ruffo Fundatore relictum pro consanguineis suæ familiæ conferri etiam possit illegitimis, & spuriis, si fuerint legitimati vel à Pontifice, vel à Principe Sæculari.

QUÆR. II. An, & quando privilegium per non usum amittatur?

QUÆR. III. An privilegium Fabii recitandi Horas Canonicas extra consueta tempora extendatur etiam ad socium, cum quo illas recitat?

312 AD 1. Q. 1. Membrum, filios illegitimos tam naturales, quàm spurios irregulares esse, adeóque indigere dispensationem ad suscipiendos S. Ordines, constat ex constitutione juris Canonici, *c. 1. & 2. de filiis Presbyt. c. 1. eod. in 6.* De illegitimis tamen occultis, an sine dispensatione ad sacros Ordines promoveri possint, dubium est, & controversum.

Posse eum, qui occultè scit se esse illegitimum S. Ordines absque dispensatione suscipere, affirmant aliqui cum Alphons. de Castro *l. 2. de leg. pœnali cap. ult. Concl. 3.* Gerunda *de Episc. tom. 1. l. 2. D. 2. cap.*

2. *cap. 2.* Vincentio apud Angelum *V. homicidium.* Moventur 1. speciali textu *cap. congruente de filiis Presbyt.* ubi hæc habentur: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, si publicum est, & notorium, patrem R. Clerici habuisse in prædicta Ecclesia personatum, filium ejus ibidem ministrare, aut ejusdem Ecclesiæ personatum habere, nullatenus patiaris, & si jam institutus est ibi, etiam indè non differas demandare.* Quibus consonant *cap. quoniam, & cap. ex tua nobis eodem per ea &c.* ubi lex Canonica publicos solùm considerat naturales illegitimos, quos punit, non autem alios: ergo à sensu contrario, si occulti fuerint, inhabilitatem ad Beneficia, & sacros Ordines non inducent. 2. Quia si ob natalium defectum omninò occultum irregularitas incurreretur, tunc infamandus esset ille, aut parentes ejus, pro quo dispensatio peteretur: hoc autem non videtur lex exigere: ergo. Id, quod etiam asseritur à Laym. *l. 1. tr. 5. cap. 5.* Sed solùm pro casu, quo illegitimus occultus scit, vel credit, se illegitimum esse, & ex una parte ad suscipiendos S. Ordines urget gravis causa; ex altera parte si dispensatio peteretur, petens se graviter infamaret, saltem apud Pontificem, vel Episcopum, ut si v. g. primogenitus Regis occultè sciens se legitimum non esse, hæreditatem fratri legitimè nato & ad regnum idoneo non possit aliter relinquere, quàm si fiat Cardinalis Diaconus, aut Presbyter; quo in casu censet, posse talem sacris Ordinibus initari absque petita dispensatione.

Nihilominus in, & pro praxi tenenda est communis DD. sententia cum Navar. *c. 27. n. 201.* Gutierez *l. 1. Canon. qq. c. 13. n. 20.* Avila *part. 7. D. 7. dub. 6. Concluſ.* 1. Diana *tr. 13. Miscell. R. 30.* Azor *2. part. institut. mor. l. 6. cap. 3. q. 23.* Bonac. *tom. 1. D. 7. q. 2. part. 3.* Hurtado *de irregul. difficul. 16.* Coninch. *D. 18. dub. 12.* Ugolin. *de irregul cap. 44. §. 1.* Sayro *l. 6. cap. 16. n. 36.* Toleto *l. 1. c. 25.* Filliuc. *n. 138.* aliísque asserentibus, illegitimum, quantumvis occultum, & communiter legitimum reputatum, verè tamen irregularem esse; quia citata jura differtè, & absolutè significant illegitimos esse irregulares, eósque absolutè ab Ordinibus excludunt, nihil distinguendo inter occultum, & notorium: ergo de omnibus illegitimis sunt intelligenda, & accipienda tam de occultis, quàm notoriis; quia ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus; præsertim cum ratio, cur id fuerit à jure introductum, militet pro utróque. Facit etiam huc *cap. nisi cùm pridem, §. personæ de renunt.* ubi de subticente occultum natalium defectum dicitur: *Licèt irregularitatem non potuerit subticere, si tamen & culpa latet, & causa, cum eo, qui laudа-*

laudabiliter implevit suum officium (injuncta sibi pœnitentia salutari) potest non minùs utiliter, quàm misericorditer dispensari. Unde

Ad textus in contrarium adductos R. inter alia, eos procedere in foro exteriori, non autem in foro interno.

313 Ad 2. R. Infamationem illam pendere ex libera voluntate petentis dispensationem, & quærentis favorem, ac commodum suum. Cæterùm ad vitandum infamationis periculum apud Pontificem, facilè recurrere potest ad Em. Cardin. Majorem Pœnitentiarium sub nomine Titii, vel Caji, &c. ut per Officium S. Pœnitentiariæ secum dispensare dignetur.

Ad Ordines minores, & ad Beneficium simplex dispensare potest etiam Episcopus; ad Ordines verò majores, Beneficia curata, & dignitates dispensat solus Papa. Porrò illegitimus dispensatus ad Ordines, intelligitur solùm dispensatus ad minores, (nisi exprimatur ad *omnes*, vel minores jam accepisset) uti docent Suarez *de censur. D. 41. S. 3.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 10.* Sanch. *l. 8. D. 1. n. 26.* Azor *l. 6. c. 3. q. 6.* aliique; tum quia permissio in genere mediocritatem respicit, *ex leg. fin. §. 1. C. communia de legat.* minores autem sunt medium inter tonsuram, & Ordines sacros; tum quia dispensatio est odiosa, & sic quoad minùs fieri possit, lædere debet jus commune. Sic dispensatus ad Ordines non est dispensatus ad Beneficia; quia sunt separabilia; & dispensatus ad Beneficium, de unico & simplici intelligitur, ut notant Panormitan *in cap. litteras. n. 6.* Barbosa *allegat. 45. n. 6.* cum aliis citt.

Ad 2. Membr. Q. 1. si illegitimus 314
fuit à Pontifice legitimatus, potest illi Beneficium conferri. Ratio est, quia legitimatio Pontificia quoad spiritualia, & res Ecclesiasticas præstat totum id, quod præstat vera naturalis legitimatio; quia quoad spiritualia est integra natalium restitutio: atque adeò sicut Beneficium potest, ac debet conferri consanguineis ex familia, ita & illegitimo à Pontifice legitimato. Unde

Dubium duntaxat est de legitimato à Comite Palatino, vel à Principe Sæculari. Ratio dubitandi est, quia Princeps Sæcularis, quamvis legitimare possit sibi subditos quoad honores, & Officia Sæcularia, non tamen potest quoad Ordines, Beneficia, aliáque jura Ecclesiastica, cùm ad ista careat auctoritate, & jurisdictione: ergo taliter legitimato non poterit Beneficium Ecclesiasticum conferri.

Nihi-

Nihilominus R. cum Garcia 7. *p. de Benef. c. 15. à n. 25.* & Palao *D. 4. pun. 9.* posse vi fundationis Fabricio illegitimo Beneficium conferri, si aliàs ad Beneficia consequenda ex dispensatione habilis factus sit. Ratio est, quia etsi Princeps Sæcularis legitimare solùm possit ad sæcularia, & temporalia, & non quoad spiritualia, per suam tamen legitimationem in temporalibus facit illegitimum esse ex familia, & parentela fundatoris, & consequenter habilem reddit, ut accedente dispensatione, consequi possit Beneficium pro consanguineis relictum, sicut potest alius legitimus ex familia fundatoris aptus, & habilis ad Beneficia; cùm, factâ eâ legitimatione, æquè, ac legitimus sit consanguineus, & de familia, si tamen illegitimus concurrat in æquali gradu cum legitimo, Garcias l. c. n. 53. & Gonzal. *Gloss. 5. n. 124.* censent, præferendum esse legitimum, nisi illegitimus esset proximior quolibet alio legitimo, supposita dispositione testatoris, quòd proximior consanguineus præferatur; tunc enim præferendum esse illegitimum proximiorem, affirmat Garc. cum aliis l. c. n. 45. contra non nullos.

315 Ad 2. Q. Notandum 1. Quæstionem hîc non esse, utrum amittatur privilegium per quemlibet non usum, sed per non usum voluntarium, & liberum, oblata occasione utendi privilegiô; nam si longissimo tempore non se obtulit occasio utendi privilegio, vel oblata occasione non potuisti illo uti; per talem non usum amitti non potest privilegium, ut constat etiam ex *l. unus ex sociis, §. ult. & l. seq. ff. de seruit. rust. præd.* ubi dicitur, non amitti servitutem mihi debitam de aqua ducenda in fundum meum, si illâ usus non fuerim, quia fons exaruit.

Notandum 2. Privilegia alia esse, quæ in aliorum gravamen, & onus redundant, uti v. g. privilegium exigendi decimas, imponendi tributa extraordinario modo &c.

Alia sunt, quæ nullatenus cedunt in aliorum gravamen, qualia sunt privilegium non jejunandi, non recitandi Horas Canonicas, carnes comedendi, dicendi Missam ante horam consuetam, audiendi Confessiones, eligendi Confessarium &c. His notatis

R. 1 Privilegium, quô conce- 316
ditur facultas aliquid faciendi in gravamen aliorum, tunc amittitur à privilegiato per non usum, quando gravati adversùs privilegiatum præscribunt per tempus legitimum, quod est juxta Communem DD. spatium decennii inter præsentes; viginti verô annorum inter absentes, modò fuerit utendi occasio. Ita Suarez *l. 8.*

cap. 34. n. 15. Bonac. *D. 1. q. 3. pun. 8. §. 5.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 18.* Laym. *l. 1. tr. 4. cap. 23.* Salas, Azor. Bartol. Bald. aliique. Ratio est, quia omnes obligationes, & servitutes tam reales, quàm personales ita extinguuntur, si altero jure suo pro temporum occasione nunquam utente, res obligata legitimi temporis decursu ut libera possideatur, ac denique usucapiatur, ut constat ex iis, quæ communiter de præscriptione dicuntur; præscriptio enim vim habet mutandi rerum dominia, & consequenter auferendi ab alio, quod sibi proprium erat: ergo si gravati aliquô privilegiô adversùs privilegiatum præscribunt, præscriptione facta peribit in privilegiato privilegium, quod erat de exercenda aliqua actione aliis onerosa, vel de actione ab illis exigenda, quam proin si privilegiatus non exercet, vel non exigit, utendo suo privilegio, cùm potest, alii possident se, & sua pro libitu, quæ possessio longo tempore continuata est præscriptio.

R. 2. Privilegia, quæ in nullius gravamen cedunt, per merum non usum nunquam amittuntur, etsi longissimum tempus intercedat, modò privilegium concessum sit absque temporis determinatione. Ita cum *Gloss. c. ut privilegia de privileg.* Suarez l. c. Palao, Laym. Bonacina alii contra Abbatem, & non nullos alios, motos *leg. 1. ff. de nundinis*, ubi dicitur: *Nundinis impetratis à Principe, non utendo, qui meruit, decennii tempore amittit.* Ratio responsionis datæ est, 1. Quia hæc privilegia non amittuntur via præscriptionis, cùm nemo sit, qui contra ejusmodi Privilegia aliis non onerosa, sed respicientia solùm actiones privilegiati, præscribere possit. Neque via tacitæ renuntiationis; quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi. 2. Quia nulla lex est, quæ statuat, ejusmodi privilegia aliis non onerosa per non usum amitti; lex enim 1. citt. ff. de nundinis, loquitur de iis privilegiis, quæ in gravamen aliorum cedunt, ut cum Gloss. citt. notant Palao, & alii citt. Dein ut ait Suarez l. c. cum Bonac. Laym. Reginald, aliisque. Speciale quid est in illo privilegio nundinarum, quòd scilicet sub tali conditione illud à Principe concessum fuerit, ut per non usum decennii spatio amittatur; & idcircò extendendum non esse ad alia privilegia non onerosa, quibus talis conditio neque ex jure scripto, neque ex consuetudine annexa est; sicut tamen id in jure expressum est de privilegio nundinarum.

Ad 3. Q. Præmittendum est, 317
privilegia non esse extendenda, nisi ad personas, vel res in privilegio expressas, quia tota efficacia privilegii pendet ex intentione

tione concedentis ſverbis ſignificata; intentio autem concedentis non cenſetur ad alios extendi, quàm ad eos, qui exprimuntur in privilegio; & hinc dicuntur privilegia tantùm valere, quantùm ſonant; nec ob ſimilitudinem rationis extendenda ſunt ad actus, vel perſonas, quæ in privilegio non exprimuntur; poſſunt autem aliqua exprimi duplici modo, formaliter ſcilicet, & virtualiter; virtualiter exprimi cenſentur illa, ſine quibus aliàs privilegium inutile redderetur; quia concedens privilegium intendit utilem, & commodum ejus uſum concedere, & conſequenter omnia ea, quæ hujusmodi uſu; annectuntur, adeóque etiam illa, quæ in privilegio comprehenduntur vel propter vocis ſignificationem, vel propter materiæ, aut actionis connexionem, vel etiam propter juris diſpoſitionem. Unde

318 Ad Q. 3. R. Privilegium conceſſum privilegiario recitandi divinum Officium extra conſueta tempora v. g. recitandi Matutinum ſtatim poſt duodecimam, extendi etiam ad ſocium, cum quo illud recitatur. Ita Suarez *l. 8. c. 11. n. 7. & 8.* (qui ipſemet tale privilegium habuit recitandi Matutinum ſtatim poſt duodecimam) Bonacina *D. 1. q. 3. p. 8. §. 1.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 12.* Sà V. *gratia n. 30.* Ratio eſt; tum quia hujusmodi privilegium conceditur in commodum, & levamen privilegiarii; tum quia conceditur juxta uſum ab Eccleſia receptum; uſus autem in Eccleſia receptus, & conſuetus eſt, ut divinum Officium cum ſocio recitetur: ergo tale privilegium propter actionis connexionem ad ſocium quoque extenditur, aliàs parùm utile vel ferè inutile foret, ſiquidem privilegiarius cogeretur ſæpiùs ſolus non ſine incommodo recitare, cùm rarò ſocium inveniret, quocum recitaret, ſi ſciret ita recitando ſe propriæ obligationi non ſatisfacere. Pari modo ob actionis connexionem privilegium conceſſum alicui ad celebrandum, vel audiendum ſacrum tempore interdicti, etiam conceditur miniſtro ad aram, & familiaribus, qui eum aliàs comitari ſolent, *cap. licet de privileg. in 6.* & aliàs inutilis redderetur conceſſio.

Sic propter vocis ſignificationem privilegium conceſſum filiis extenditur ad filias, quia nomine filiorum veniunt etiam filiæ *l. juſta, ff. de verb. ſignific. & l. filiis, ff. eod.* niſi expreſsè concedatur filiis *maſculis.*

Et privilegium conceſſum Religioſis alicujus Ordinis extenditur etiam ad Moniales illius Ordinis quoad ea, quæ ipſis competunt; quia ſub nomine Religioſorum (niſi addatur: viris Religioſis) comprehenduntur etiam Moniales, ut cum aliis notat Suarez *de leg. l. 8. cap. 10.*

n. 7. Item privilegium conceſſum fratribus extenditur etiam ad Sorores, niſi aliter conſtet de mente concedentis, ſeu diſponentis; nam ſorores veniunt nomine fratrum, *leg. Lucius 91. §. quæſitum, ff. de legat. 3. & l. tres fratres, ff. de pactis*, & notant Baldus, Tiraq. Bonac. & alii apud Suarez l. c. & *cap. 11, n. 3.*

Pariter propter juris diſpoſitionem uxor gaudet privilegio nobilitatis obtento à Viro, uti & filius obtento à ſuo patre; nam nobilitas jure ita diſponente communicatur uxori, & filio. *l. cùm legitimè, ff. de ſtatu homin.* Suarez l. c. Sanch. *l. 1. D. 24* Azor. *l. 5. cap. 23. quæſit. 9.* Tiraq. *de nobilitate cap.* 18. Excepta tamen nobilitate filius non gaudet aliis privilegiis patris; quia privilegium perſonale non excedit perſonam, nec transmittitur ad hæredes niſi id permittat, aut ſuadeat verborum ſignificatio, aut materiæ, vel actionis connexio, vel juris diſpoſitio, ut cum aliis citt. notat Suarez l. c. *cap. 11. num. 4. & 5.*

CASUS LVI.

De Baptiſmo expoſitorum, ejúsque forma, & iteratione &c. déque eorum legitimitate, & capacitate ad S. Ordines, aliásque dignitates.

TIrilla diu cum partu difficili luctata, verita, ne ptoles priùs extingueretur, quàm in lucem edita eſſet, mandat Berthæ ſibi aſſiſtenti, ut prolem nondum utero egreſſàm baptizet, quæ acceptâ, & immiſsâ aquâ eam in utero adhuc exiſtentem ſub hac forma baptizat: Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis, Patris, Filii, Spiritûs ſancti. Sed paulò poſt Tirilla prolem enixa, ut ſuam, & proli infamiam evitet, perſuadet Berthæ, ut natam prolem exponat, & ante januam Hoſpitalis noctu collocet adjecta ſcheda collati Baptiſmi, quod & factum eſt.

QUÆR. I. An validus ſit Baptiſmus infantis in utero aquâ abluti, vel in digito pedis prominente?

QUÆR.

QUÆR. II. An valeat Baptismus sub hac forma collatus: Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis, nulla persona expressa; vel in nomine Patris, filii, Spiritûs sancti, omissa particula &?

QUÆR. III. An, infantes expositi, & reperti cum apposita scheda testante de Baptismo, sint rebaptizandi sub conditione?

QUÆR. IV. An expositi habendi sint pro illegitimis, an verò pro legitimis, ut absque dispensatione ad S. Ordines, aliásque dignitates, promoveri possint?

319 AD 1. Q. Non posse infantem in in utero adhuc existentem validè baptizari, etsi aqua ad corpus infantis pertingat, tenent Sotus *in 4. d. 5. q. un. a.* 11. S. August. *in epist. 58. ad Dardanum*, ubi distinguit duplicem nativitatem, alteram, ob quam mulier est concipiens, & prægnans; alteram, propter quam est pariens, quæ nativitas dicitur ex utero, & est propriè nativitas, & hanc ait debere necessariò præcedere, si quis Baptismi gratia renasci debeat, ne quis dicatur renatus, antequam sit natus, item Alex. Hal. *in 4. p. q. 8. membr. 7. a. 2.* §. *1.* ubi tres hominis status distinguit, unum intra uterum, in quo Deo tantùm est notus: alterum extra uterum, seu infantiæ, in quo est notus Ecclesiæ; tertium adultæ ætatis, in quo & Deo, & Ecclesiæ, & sibi est notus. In primo ait à solo Deo posse adjuvari; in secundo, à Deo, & ab Ecclesia; in tertio à Deo, ab Ecclesia, & à se ipso, per actus elicitos fidei, & Religionis. Eandem sententiam tuentur Richar. *in 4. d. 6. a. 2. q. 1.* Durand. *ead. d. q. 1.* Turrecrem. *in Con. qui in maternis, de consecr. d. 4. a. 1.* Sylvest. *V. Baptismus*, n. 2. D. Antonin. *in 3. p. tit. 14. cap. 15.* §. *1.* Major, Angel. Armill. aliique complures cum, & apud Comitol. *l. 1. q. 13.* & apud Avers. *q. 68. S. 1. §. Quòd si.*

Rationem dant; tum quia Ecclesia legitima sacramentorum dispensatrix, & administra iis duntaxat hominibus ea præbet, qui communem vitam ingrediuntur, atque in ejus foro, notitiáque versantur: atqui infans materni uteri tenebris circumfusus non potest esse notus Ecclesiæ, sed soli Deo: ergo. Tum ex illo Joan. c. 3. *Nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre Regnum Dei.* & *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest introire in Regnum Dei*; quem textum ex SS. Patrum, & TT. doctrina ita intelligendum esse ajunt, ut nemo nativitatem spiritualem possit adipisci per Baptismum, qui è ma-

terno utero antea non prodierit, vel omninò, vel saltem ex parte.

Econtrà verò valere Baptismum ita collatum censent Dicastill. *d. 2. n. 62.* Averl. l. c. Pignat. *t. 1. Consult. 103.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 3.* Vivald. *de modo Baptismi, n. 16. vers. Si autem puer.* Victor. n. 31. Chapeaville *de modo minist. sacram. temp. pest. c. 2. q. 10.* Ledesm. Con. & alii. Ratio est; quia talis infans est homo, cui debitè applicari potest materia, & forma, per peritam obstetricem manu in uterum inserta, vel alio modo, de quo Schild. *t. 6. n. 9.* & Gobat. *t. 2. n. 57.* ergo. 2. Quia ad essentiam Baptismi quatuor requiruntur, materia, forma, Minister cum intentione Ecclesiæ, & humanum suppositum recipiens sacramentum: hæc autem quatuor in posito casu reperiuntur: ergo. 3. Quia si non valeret talis Baptismus, tunc ideò, quia necessaria est nativitas ex utero; hanc autem non esse necessariam necessitate essentiali, inde liquet, quòd infans mortuæ matris utero conclusus, dissecta matre baptizari possit, licet infans non possit dici propriè natus.

Accedit, quòd sicut talis infans mortuus erat spiritualiter per peccatum Originale; ita renasci possit spiritualiter per gratiam, quamvis non sit natus corporaliter; cur enim peccatum Adami noceat infantibus in utero, & Baptismus contra idem peccatum institutus non prosit iisdem in utero?

Utraque hæc sententia satis pro- 320
babilis, & ultima quidem servire poterit pro casu, quo, si infans taliter baptizatus post egressum ex utero, vel extractionem statim moriatur, possit loco sacro sepeliri, ut docent Diana *p. 4. tr. 3. R. 69.* Gobat. n. 635. Stephan. *tr. 4. d. 9. n. 45.* Homobon. & alii, contra alios; quia privatio sacræ sepulturæ non tantùm est negatio favoris, sed in æstimatione morali habet quamdam rationem pœnæ; in dubio autem de sufficientia causæ pœnæ, non est hæc infligenda, cùm melior sit conditio negantis, & pro infante stet collatus Baptismus, de cujus valore licèt dubitetur, benigna tamen mater Ecclesia non vult contra eum in tanto rigore procedere, sed meritò permittit in loco sacro sepeliri.

Cæterùm in praxi, cùm ob probabilitatem utriúsque sententiæ valor Baptismi ita collati dubius evadat, si infans postea nascatur, aut vivus extrahatur, rebaptizandus utique erit sub conditione; quia in dubio consulendum est saluti spirituali infantis, & per adjectam conditionem irreverentia sacramenti removetur.

Idem dicendum, si in casu necessitatis aliqua infantis pars non prin-

principalis abluatur, v. g. manus, pes, digiti soli capilli vel si infans pelle adhuc secundina circumdatus baptizetur, quia cùm in his Doctores dissentiant utrinque probabiliter disputantes, nec id satis constet ex traditione Ecclesiæ, valor talis Baptismi dubius efficitur, adeóque remoto periculo Baptismus postea sub conditione repetendus est. Si tamen pars egressa ex utero sit caput, utpote præcipua pars hominis, idque debito modo abluatur, non esse dubium, quin valeat Baptismus, affirmat communissima DD. cum S. Th. *3. p. q. 60. a. 11. ad 4.* Ubi sic loquitur: Dicendum, quod expectanda sit totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat, si tamen caput primò egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Idem faciendum ajunt Sotus, Suarez, Vasq. cum communi aliorum, si scapulæ, aut pectus abluatur, eò quòd etiam hæ sint præcipuè corporis partes, quarum una si abluatur, corpus hominis simpliciter lotum dici solet.

321 Ad 2. Q. memb. 1. Non esse necessariam ad valorem Baptismi expressam SS. Trinitatis invocationem, sed sufficere implicitam, censuerunt D. Bernard. *epist. 340.* ubi concedit infantem baptizatum in nomine Dei & sanctæ, ac veræ Crucis, non esse rebaptizandum. Item S. Ambros. *l. 1. de spiritu S. c. 3.* Beda *cap. 10. Actor.* Magister sentent. *in 4. d. 3.* Adrianus *de Baptism. q. 2. vers. ad rationes ante oppositum.* Cajetan. *2.2. q. 66. a. 5.* & alii. Id, quòd probant tum *Act. 2. 10.* & 19. ubi Apostoli leguntur in nomine Christi baptizâsse, quibus mens Magistri sui meliùs innotuit; tam ex responsione Nicolai 1. Papæ ad Bulgaros 104. qui interrogatus de quibusdem à Judæo baptizatis ita reposuit: *Hi profectò, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe, idemque est, ut S. Ambrosius exponit) constat eos non esse denuò baptizandos.*

Verùm oppositum, quòd scilicet necessaria sit expressa invocatio Divinarum Personarum, longè verisimiliùs, ac probabiliùs est, prout docent S. Cyprian. *epist. 73. ad Julian.* S. Damasc. *l. 4. de fide cap. 10.* S. Thom. *q. 66. a. 6.* S. Bonavent. *in 4. d. 3. q. 2. a. 2.* Suarez. *D. 21. S 3. §. supereſt.* Bellarm. *l. 1. de Baptis. c. 3.* Vasq. *D. 143. c. 2. & 3.* Palao *tr. 19. D. un. p. 5.* Coninck, *q. 66. a. 7. dub. un. concl. 3.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 4. n. 3.* Henriq. Gonzal. Barbos. aliique. Ratio est ipsa Christi institutio, Matth. 28. hisce verbis satis indicata: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* quibus verbis

bis formam Baptismi à Christo traditam esse, testatur canon 49. Apostolorum, & communis Patrum consensus; si enim hæc non essent expressè necessaria, non expressisset Christus unitatem, & Trinitatem, prout tamen expressit; & ratio ulterior est, quia cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, & introitus in Ecclesiam Christi, debet ejus externa professio correspondere fidei internæ: atqui ingressurum in Ecclesiam Christi oportet habere explicitam fidem trium Personarum Divinarum: ergo ejusdem etiam Fidei in Baptismo explicita professio fieri debet: Unde S. Basil. *l. de Spiritu S. cap. 12. sicut*, inquit, *credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.*

Neque obstant argumenta opposita. Ad 1. Respondet S. Th. l. c. Apostolos ex speciali privilegio interdum baptizâsse cum solius Christi expressa invocatione, ut nomen hoc, quod Judæis, & Gentibus odiosum erat, tanto honorabilius redderetur; sed alii meliùs, ac probabiliùs censent, Apostolos baptizâsse in nomine Christi, hoc est, Baptismo ipsius auctoritate instituto cum expressa professione fidei, non verò in solo Christi nomine, atque adeò Personas reliquas non fuisse prætermissas, sicut cùm 1. *Corinth.* 12. dicitur: *In uno spiritu omnes baptizati sumus*, non ideò in nomine solius Spiritûs Sancti dicimur baptizati. Quod ipsum innuit Cyprianus citt. Epist. ubi explicans verba S. Petri *Act.* 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini JEsu Christi*, hæc subdit: *JEsu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater. omitteretur, sed ut Patri quóque Filius adjungeretur.*

Ad 2. R. Nicolaum Pontificem ibi solùm definivisse, Baptismum, collatum à Judæo sub debita forma, repetendum non esse, de quo solo erat interrogatus: quòd verò sufficiat collatus sub expressione Trinitatis, ut privatus Doctor addidit, secutus probabilem aliorum DD. opinionem. Demum contrarium decidisse Pelagium, & Zachariam Pontifices, refert Gratianus *Con. multi & can. in Synodo 81. de consecrat. dist. 4.* Ex quibus patet Baptismum sine explicita invocatione SS. Trinitatis collatum, in praxi iterandum esse.

Secundum membrum Q. 2. non 322
immeritò scrupulum movit cuidam sacerdoti qui ultrò confessus est, permultos à se baptizatos esse sub hac forma, ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritûs sancti, dempta particula copulativa &. Nam particulam & pertinere ad essentiam Baptismi, putarunt Major

in 4.

in 4. dist. 2. q. un. in resp. ad 2. argum. & q. 1. col. 5. Gabriel *in 4. d. 3. q. un. a. 3. dub. 3.* ubi ait, si omittatur *in* dicitur, quòd non est Baptismus, & si omittatur, dicitur, quòd nihil fit. Paludan. *in 4. d. 3. q. 1. a. 3.* Durand. *d. 3. q. 2. n. 7.* & alii apud Comitol. *l. 1. q. 9.* Ratio est, tum quia Personæ Divinæ copulativè appellari debent: atqui hoc modo non appellantur, subtracta particula copulante: ergo. Tum quia parricula & distinctionem indicat Personarum ut ait Major; ergo pertinet ad essentiam formæ. Demum quia Alexand. 3. in decretali, si quis de Baptismo, & ejus effectu, præcidere videtur facultatem aliter opinandi, dum fatur: *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & spiritûs sancti, Amen: Et non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & spiritûs sancti, Amen; non est puer baptizatus.*

Sed contrarium probabiliùs docent alii cum Card. Toleto *in 2. lib. de Instruct. Sacerd. cap. 19.* & Comitol. l. c. probantque ex Concilio Florent. de Baptismi forma sic loquente, ac statuente: Forma autem est, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & spiritûs sancti: non tamen negamus, quin per illa verba, baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, verum perficiatur Baptisma, quoniam cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum: atqui in forma, quæ caret conjunctione &, significatur, & invocatur tota Trinitas, & exprimitur actio Ministri: ergo est verum Baptismi sacramentum. Min. subsumpt. prob. Si enim ex te quæram, quæ sit SS. Trinitas, vel quæ sint Personæ Divinæ, rectè, & catholicè respondes, *Pater, Filius, spiritus sanctus*, neque tua hæc catholica responsio ulla eget particula conjungente. Ergo.

Conf. ex S. Th. *in 4. d. 3. q. 2. a. 2. ad 3. quæstiunc.* & S. Bonavent. *ead. dist. a. 2. q. 2. n. 24.* Prior, invocatio SS. Trinitatis, inquit, est de essentia, & expressio actûs, & expressio personæ baptizatæ, & ideò aliquid horum subtrahere tollit veritatem sacramenti: atqui qui tollit particulam &, nihil horum trium tollit: ergo non est de essentia. S. Bonav. verò si notitia, inquit, seu invocatio Trinitatis plena sit in corde, & in ore, tunc secundùm omnes plenum est Sacramentum: sed omissa particula & corde, & ore plenè invocat quis

SS. Trinitatem, trésque Personas Divinas: ergo verè, & plenè baptizat. Ad exactam ergo Baptismi formam tria sunt necessaria, ut cum aliis ex Canonibus Apostolorum probat Alphons. à Castro *in 3. lib. contra hæreses, C. de Bapt. hæres. 2.* Videlicet verbum explicans actum baptizandi, & nomen exprimens personam baptizatam, & totius Trinitatis per propria personarum nomina expressionem: Hæc autem omnia habentur, etsi conjunctio omittatur: ergo habetur exacta forma. Unde

Ad 1. argum. in contrarium R. Personas Divinas esse quidem copulativè efferendas, sed ad id nullatenus esse necessariam particulam & conjugentem; quis enim ignorat, te affirmante tres in Civitate esse tibi familiaritate conjunctos, Petrum, Jacobum, Joannem, omnes tres conjunctè efferri, quamvis particula conjungens nulla sit quæsita? Nec verum est particulam & distinctionem indicare, nam cùm sit conjunctio, vim propriam habet copulandi, & conjungendi; non distinguendi, & sejungendi, ut sciunt Grammatici.

Ad 3. si ex decretali citt. Alexandri efficeretur, particulam & partem esse essentiæ formæ, evinceretur, pariter esse partes essentiales formæ etiam *ego*, & *Amen*, cùm Pontifex ibi ambas quoque ponat. Pontifex ergo ibi solùm intendit, irritum pronuntiare illum Baptismum cum trina immersione, & invocatione Trinitatis collatum, eò quòd caruerit verbo actum baptizanris declarante, quæ declaratio juxta Concilia, & suprà dicta ad essentiam formæ spectat.

Ad 3. Q. Non esse sub conditione baptizandum infantem repertum cum scheda è collo suspensa de collato Baptismo testante, censent Richard. *in 4. sent. d. 4. a. 2. cas. 1.* Gabriel *q. 2. a. 3. dub. 4.* Paludan. *in 4. dist. 6. q. 4. a. 1. concl. 1.* Sylvest. *in sum. V. Baptismus q. 9.* Tabien. *V. Baptismus n. 7.* Rosell. *V. Baptismus n. 7.* Comitol. *l. 1. quæst. mor. q. 1.* Sotus *in 4. dist. 3. q. un. a. 9. ad. 4.* Ubi expositi, inquit, infantuli, si inscriptum ferant fuisse baptizatos, quamvis nomen testis non prodatur, nullatenus sunt rebaptizandi. *D. Ant. in 3. p. tit. 14. c. 13. & alii.* 323

Rationem dant 1. Quia dubium, quod Baptismum permittit, conditione affectum, debet esse verum, & probabile dubium; in casu autem posito non est verum, & probabile dubium; scheda enim apposita, ideò fuit apposita, ne infans iterum baptizaretur, & ne cuiquam licitum esset ea de re dubitare: ergo à christianæ mentis intelligentia remota esse debet dubitatio.

Quod

Quod confirmatur; quia permagnum esse debet discrimen inter infantem cum chirographo de collato Baptismo testificante expositum, & infantem sine tali testificatione repertum: atqui hic, qui sui Baptismi testimonio caret, ex omnium sententia sub conditione baptizatur: ergo ille, qui sacræ suæ ablutionis testimonium præfefert, nullatenus Baptismi aqua ablui debet. 2. Quia si quis testaretur se Baptismo infantis interfuisse, cùm hic à muliere baptizaretur, quæ post Baptizatum infantem excessisset è vita, eidem infanti neque absolutè, nec conditionatè alius Baptismus conferendus esset: ergo neque tali expositò conferri debet, cùm de illius Baptismo scriptura testetur: imò sufficit juxta citt. Palud. D. Ant. Sotum, unus testis oculatus, v. g. vetula, quæ infantem baptizavit, ut non sit licitum eum amplius baptizare; prout colligitur etiam ex *C. parvulos dist. 4. de consecrat.* Ut advertit etiam Laym. *l. 5. tr. 2. c. 5.* Siquidem testis sit oculatus, & talis, de quo nulla suspicio esse possit pernicioſi mendacii. 3. P. ex S. Leon. *in Epist. 9. ad Rustic. c. 15. & C. Nulla de consecr. d. 4.* Sacramentum Baptismi, cùm factum constat, nec fuisse irritum sciri potest, neque conditione remota, neque adjecta iterari potest: atqui hîc constat de facto, & quod nullum sit factum, non constat: ergo,

Oppositam tamen sententiam tuentur non pauci cum Quintan. *t. 1. S. 16. & 14.* Schild. *t. 6. cap. 2.* Gobat. *t. 2. n. 397.* La Croix. *l. 6. de Baptis. a. 2. dub. 4. n. 318.* Marcant. Ruiz, aliisque, contendentes ejusmodi infantes, etsi inveniantur cum appositâ scheda testante de Baptismo, rebaptizandos tamen esse sub conditione, qualis ponitur in c. 2. de Baptismo: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si non baptizatus es, ego te bapizo in nomine Patris, & Filii &c.*

Accedit auctoritas diversarum synodorum apud Gobat l. c. Marcantium in *resol. pastoral. de sacram. tr. 2. c. 2. n. 4.* & La Croix l. c. scilicet Synod. Cameracens. Episcopat. Hispalens. Concil. Mediolan. 3. sub S. Carolo Borromæo, Synod. Colomens. & Constantiens. *p. 1. tit. 6. n. 6.* ubi hæc habentur: *Infans expositus, licet in collo habeat appensum testimonium, quòd baptizatus fuerit, si tamen aliunde non constet, baptizetur sub conditione. Quòd si in testimonii schedula sit inscriptum nomen, quod illi in Baptismo inditum esse asseratur, idem nomen ipsi imponatur, & in libro baptizatorum diligenter omnia scribantur.* Ratio autem est; quia Baptismus ab obstetricibus collatus meritò à compluribus dubius censetur, nisi ex examine, vel aliunde constet, eas esse probas, benéque instructas & modum edicant, quo baptizaverint, ob plurimos scilicet compertos errores, qui in ejusmo-

di Baptismis à mulieribus collatis, sive ex earum malitia, sive imperitia contigerunt: ergo multò magis talis Baptismus censeri debet dubius; utpote qui communiter confertur ab ipsismet matribus, tegendi sceleris ergò, & quidem persæpè juvenculis, & quæ nullum infantem antea abluerunt, & fortè nullum unquam exactè baptizari viderunt, baptizántque communiter in magna trepidatione in tenebris, & in metu, ne partus deprehendatur. Deinde posset infans à Judæo esse expositus, vel ab alio Baptismum execrante, vel ab Hæreticis, quorum Baptismum complures in dubium vocant, eò quòd multi putent, Baptismum non esse ad salutem necessarium, sed sufficere fidem parentum, atque adeò negligant aliqua necessariò requisita, sive ex parte formæ, aut debitæ intentionis, sive ex parte materiæ utendo v. g. aquis odoriferis, prout testatur Gobat *tr. 2. S. 2.* de quodam Helveto Tigurino, ad fidem orthodoxam aspirante, qui suo Instructori asseveranter retulit, duas in sua Urbe esse Ecclesias, in quarum una pro Baptismo semper est usus solius aquæ elementaris, in altera, in qua fuit ipse baptizatus, satis crebrò aquæ rosaceæ.

324 Utraque hæc sententia tum à ratione tum ab autoritate satis probabilis est; in praxi tamen præplacet posterior benignior, & favorabilior, nisi forsan ex præsentibus circumstantiis loci, & personarum Catholicarum, earumque in baptizando peritia, & circumspectione aliud prudenter colligi posset; cùm enim & magna auctoritas, & ratio pro utraque stet parte, prudens dubium, & suspicio de talis Baptismi valore concipi potest; in dubio autem favendum est infanti, ejusque saluti consulendum per iterationem Baptismi sub conditione conferendi, qua conditione ex prudenti motivo appositâ, cessat irreverentia sacramenti.

Ad 4. Q. An expositi habendi sint 325
pro illegitimis; an verò pro legitimis, ut adeò absque dispensatione promoveri possint ad sacros Ordines, aliásque dignitates, magna est inter DD. controversia, uti videre est apud Dianam *part. 2. tr. 14. R. 22.*

Non esse legitimos, sed illegitimos, atque adeò non posse promoveri ad S. Ordines absque dispensatione, censent Covar. in *Clem. si furiosus p. 1. n. 9.* Suarez de *censur. D. 50. sect. 4.* Vasq. *1. 2. D. 66. c. 8. n. 48.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 2. n. 8.* Pignatelli *tom. 7. consult. 34.* Sayr. *de Censur. l. 6. c. 10.* aliique plurès. Rationem dant. 1. Quia in dubio præsumptio sumenda est ex iis, quæ frequentiùs contingunt; frequentiùs autem fit, ut expositi sint illegitimi,

&

& ex illicito coitu procreati. 2. Quia qui certum patrem demonstrare nequeunt, dicuntur spurii, juxta *l. vulgò concepti 23. ff. de stat. homin.* Expositi autem nequeunt demonstrare certum patrem: ergo. 3. Quia legitimi natales dependent ex justis nuptiis; hæ autem consistunt in facto, quod non præsumitur: ergo. 4. Quia juxta Stylum Datariæ, ejusmodi expositi non admittuntur ad S. Ordines, & Beneficia, nisi præmissa Dispensatione, teste Conrad. *in praxi dispens. l. 3. c. 2.* hoc autem non fieret, si censerentur legitimi: ergo.

Oppositam sententiam favorabilem asserentem, expositos pro legitimis habendos esse, posseque ad S. Ordines promoveri absque omni Dispensatione, uti & alios, de quibus dubitatur, tenent, ac tuentur Diana l. c. Barbos. *in Rubr. h. tit. n. 3.* Menoch. *l. 6. præsumpt. q. 54. n. 20.* Palao *tr. 13. D. 4. p. 1. §. 1.* Gratian. *Discept. for. c. 35.* Gonzal. Pont. Wiestn. hîc n. 10. Reiffenst. n. 20. Schmalzgr. Tit. 17. n. 3. aliique communiter apud Alloza *V. irregularitas, Sect. 4. n. 44.* & Dianam l. c. Ratio est, 1. Quia tales in nullo jure illegitimi decernuntur; quilibet autem præsumendus est legitimus, dum non probatur contrarium. 2. Quia in dubio semper præsumenda sunt benigniora, *Reg. 56. ff. de R. J.* præsertim quando agitur de favore prolis, *C. ex tenore 14. qui fil. legit.* atqui dubium est, an expositi legitimi sint, vel non; tum ob auctoritatem, & rationem in contrarium; tum quia etiam legitimi ob paupertatem, aliamve similem causam sæpè exponi solent, ut patet in Moyse, Paride, Cyro, Semiramide, & aliis apud Gonzal. hîc n. 8. ut adeò stante dubitatione pro legitimitate præsumendum sit.

3. Quia in dubio non præsumitur delictum, *C. fin. de præsumpt.* præsumeretur autem hîc; cùm tales ex fornicatione potiùs quàm ex legitimo thoro nati præsumerentur: ergo. 4. Quia Adversario natalium defectum objicienti injungitur onus probandi, *C. lator, 5. & c. pervenit 11. qui fil. legit.* atqui tale onus non injungeretur objicienti, si in dubio pro legitimitate standum non esset, ergo &c. Demum expositos esse reputandos tanquam legitimos, & idoneos ad omnes Ordines, & præbendas obtinendas, declaravit Gregor. XIV. in quadam Bulla pro confraternitate expositorum S. Spiritûs in Saxia ann. 1591. apud Dianam *p. 4. tr. 2. R. 58. & in Summ. V. irregularitas, n. 19.* & *part. 10. tr. 16. R. 96.*

Ex duabus hisce sententiis probabilibus posterior, utpote favorabilis, & ab auctoritate, ac ratione potior, videtur præferenda; 326

atque adeò expoſitum reputandum, habendúmque pro legitimo, non verò illegitimo, & irregulari, ſiquidem irregularitas adſtruenda non eſt, niſi jure exprimatur; atqui de expoſitis non eſt hæc jure expreſſa, nec præſumptio, qua expoſitus cenſetur illegitimus, in ullo jure fundatur, præſumptio verò, qua probatur legitimus, ex citt. textibus, & ex ipſo jure naturæ deducitur; cùm quilibet ſit in poſſeſſione ſuæ famæ, & bonus ſemper præſumatur, atque honeſtus, & legitimus, niſi contrarium probetur. Unde

Ad argumenta in contrarium R. ad 1. id verum eſſe, niſi fortior obſtet præſumptio; in poſito autem caſu duæ concurrunt præſumptiones, ex quibus fortior eſt ea, quæ peccatum excludit, & favet proli, fundatúrque in jure humano poſitivo, & naturali, ut colligitur ex dictis.

Ad 2. R. Licèt expoſiti certum patrem demonſtrare non poſſint, ſtat tamen pro eorum legitimate præſumptio: Spurii autem duntaxat dicuntur, qui certum patrem demonſtrare non poſſunt, niſi pro eorum legitimitate ſit præſumptio.

Ad 3. R. Præſumi juſtas nuptias; cùm in dubio quilibet præſumatur eſſe talis, qualis de jure debuit; atque adeò præſumitur procreatus ex juſtis nuptiis, licèt hæc ſit quæſtio facti.

Ad 4. Quod Stylum Datariæ concernit, R. & ajunt, ſi is viget, tales Diſpenſationes non fieri ex neceſſitate, ſed ad cautelam, aut ſcrupulos tollendos, vel pro iis duntaxat, de quorum illegitimitate adeſt aliqua certitudo. Unde concludunt citt. DD. ejusmodi expoſitos non indigere aliqua in hoc Diſpenſatione, ſed absque ea capaces eſſe Ordinum, Beneficiorum, aliarúmque dignitatum? nec debere eos probare legitimos Natales, utpote qui in ipsis ex Juris benignitate, ac favore præſumuntur.

CA-

CASUS LVII.

De Parocho excommunicato absolvente à peccatis &c.

HEribertus Parochus excommunicatus ob delictum à se commissum pergit obire munus Parochiale, & Confessiones suorum Parochianorum excipere, putantium eum non carere jurisdictione, quâ tamen spoliatus erat. Inter confitentes accedit etiam Necetas, & sua peccata confitetur, & absolvitur, sed vix peracta absolutione, dum è S. Tribunali recedere parat, recordatur peccati mortalis, cujus priùs oblitus fuerat, à quo proin etiam absolvi petit, uti etiam ab alio peccato, quod priùs ut dubium exposuerat, sed nunc scit certum fuisse. Heribertus ratus non esse opus nova absolutione, eum absque illa à se dimittit.

QUÆR. I. An Absolutiones ab Heriberto excommunicato impertitæ suis Parochianis validæ fuerint?

QUÆR. II. An denuò sit absolvendus, qui post peractam Confessionem, & acceptam absolutionem statim subjungit peccatum grave, cujus priùs fuerat oblitus?

QUÆR. III. An, qui confessus est peccatum ut dubium, si postea deprehendat, certum fuisse, teneatur rursus ut certum confiteri?

327 AD 1. Q. Suppono intervenisse communem, & publicum Parochianorum errorem, putantium Parochum suum præditum esse eadem jurisdictione, quâ priùs præditus erat ante commissum delictum; quam tamen amiserat per Excommunicationem, quæ delicto

licto annexa erat. Hoc supposito.

Ad Q. Videtur, absolutiones ab Heriberto suis pœnitentibus impensas invalidas fuisse, & nullas. Primò, quia si error communis non interveniret, absolutiones Heriberti invalidæ forent: ergo etiam invalidæ sunt stante errore, quia non apparet, unde Confessarius in tali casu acquirat jurisdictionem, quâ excidit. Non ab errore, quia inconveniens, & absurdum est, dicere, quòd jus, utpote æquum, & bonum, nascatur ab erroribus. Non à Parochianis, quia hi jurisdictionem dare non possunt, nec censentur dare ob ignorantiam defectûs, qui eis ignotus est. Non denique à Superiore ob eandem rationem, & præterea in impedimento jurisdictionem tollente Superior sæpè dispensare nequit. Secundò, quia si error communis jurisdictionem conferret, tunc validæ etiam essent absolutiones collatæ à Clerico non Sacerdote, casu, quo per errorem haberetur pro Sacerdote: sequela est contra sensum Ecclesiæ, ipsámque veritatem.

Nihilominus affirmativè respon-
328 dendum est, ac tenendum eas absolutiones validas fuisse. Ita Communis DD. cum Suarez, Lug. Sanch. Diana Coninck, Bonac. & sumitur ex *L. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. Can. infamis 1. §. verumtamen cauſ. 3. q. 7.* & *arg. C. ad probandum 24. de sentent. & re judic.* Et ratio est; quia quando communis error conjunctus est cum titulo colorato, ut si quis passim putetur esse Pastor, qui ob aliquem defectum re vera talis non est, aut si Parochus exponat Sacerdotem non approbatum, qui publicè approbatus existimatur &c. Ecclesia in tali casu supplet defectum, & jurisdictionem ad valorem necessariam impertit ob communem, & publicam pœnitentium utilitatem. Nec valori obest mala fides ipsius Confessarii, aut Parochi scientis se carere jurisdictione, modò communi errore existimetur illâ præditus, quia beneficium *L. Barbarius*, & §. *verumtamen citt.* non est datum in favorem Confessarii aut Judicis, sed boni publici, quod aliàs plurimùm pateretur, si in tali casu mala fides Judicis, Confessarii, aut Parochi obesset valori actuum. Ex pari ratione valent acta Episcopi, vel alterius Prælati, cujus electio ob aliquod juris humani impedimentum irrita, & nulla fuit, si ejus nullitas publicè, ac communiter ignoretur, ut notat Wiestn. hîc n. 89.

Similiter si quis bona fide cœpit possidere Beneficium, cui in hoc foro annexa est jurisdictio, & postea incipit dubitare de valore colla-

collationis, si facta diligenti inquisitione, manet adhuc dubius, sicut ipse in tali casu licitè retinet Beneficium, ita licitè exercet jurisdictionem Beneficio annexam; quia si fortè Beneficium non esset ei validè collatum; Ecclesia tamen ob bonum commune suppleret tunc ejus defectum, jurisdictionem conferendo. Unde

Patet responsio ad argumenta in contrarium adducta.

Ad 1. enim R. jurisdictionem in tali casu conferri ab Ecclesia (vel à Republica respectu Judicis sæcularis) favore non tam ipsius erroris, quàm publicæ necessitatis, & utilitatis, id quod suadet sollicitudo & benignitas Ecclesiæ erga suos subditos, & fideles.

Ad 2. neg. seq. nam quæstio hîc procedit de impedimentis juris humani; ubi Ecclesia, vel Respubl. potest supplere, & jurisdictionem conferre; Ecclesia autem in non sacerdote defectum supplere nequit, nam Ordo sacerdotalis ad valorem sacramentalis Absolutionis requiritur ex jure divino.

Ad 2. Q. Videtur opus non esse nova absolutione, si peccatum per oblivionem omissum statim subjungatur post acceptam absolutionem. Tum quia Confessio hæc posterior censetur moraliter esse una, eadémque cum illa priori: ergo sufficit etiam una, eadémque absolutio.

Tum qnia etiam in aliis sacramentis prolata physicè forma, non censentur moraliter finita, sed aliquantulùm suspensa, donec materia apponatur, quà positâ primùm adæquatè absolvuntur, & perficiuntur, uti contingit in Baptismo, in quo, prolatâ physicè forma, non debet necessariò uno simul, eodémque momento poni ablutio. Ergo.

His non obstantibus dicendum est, denuò absolvendum esse, qui 329
post peractam Confessionem, & acceptam jam absolutionem statim subjungit novum peccatum mortale, cujus priùs in actu Confessionis fuerat oblitus, id, quod plerique DD. supponere videntur cum Lug. *D.* 14. *n.* 24. & ratio ipsa suadet; quia prolatâ sententiâ judiciali absolvitur judicium, & finitur totus actus judicialis terminatus ad delicta ad judicium delata: ergo non censetur ampliùs moraliter extendi ad alia delicta huic judicio nondum subjecta, sed pro nova accusatione, novóque delicto, novum quoque judicium instituendum est, novaque sententia ferenda. Unde

Patet responsio ad 1. rationem in contrarium allatam.

Ad 2. negatur paritas cum iis sacramentis, quæ prolatâ physicè formâ nondum censentur moraliter

finita, & integrè perfecta, uti contingit in Baptismo; aliter enim res se habet in sacramento Pœnitentiæ, cujus actus judicialis totus absolvitur, quàm primùm finitur absolutio. Si tamen pœnitens sola venialia afferat, aut circumstantias mortalium aggravantes, repetenda non est absolutio, quia cùm id necesse non sit, videtur quædam irreverentia, ut notant Spor. *num. 628.* & La Croix *l. 6. p. 2. n. 644.*

330 Ad 3. Q. dari obligationem rursus exponendi peccatum ut certum, quod priùs ut dubium clavibus subjectum fuerat, docent quàm plurimi præsertim antiquiores cum Th. Sanch. *l. 1, in Decal. c. 16.* Turrion. Diana, Mart. Perez, Carden. Platel. Gormaz Dicastill. Illsf. qui ait esse sententiam ferè omnium.

Rationem dant. Primò; quia Confessio peccati ut certi, quod priùs ut dubium fuit expositum, notabiliter mutat judicium Confessarii: ergo debet ut certum à pœnitente exponi in Confessione, ut Confessarius secundùm æquitatem judicare possit.

Secundò; quia peccata debent in Confessione manifestari prout sunt in conscientia pœnitentis, sed hoc peccatum in conscientia jam non est dubium, sed certum: ergo debet manifestari ut certum.

3. Debito certo non satisfit per solutionem dubiam; sed debitum, seu obligatio confitendi peccatum mortale, quod fuit certò commissum, est certa: ergo huic non satisfit per solutionem incertam, seu per Confessionem peccati ut dubii.

4. Etsi peccatum, quod ut dubium in Confessione expositum est, directè fuerit remissum, inde non probatur, quòd non debeat postea rursus subiici clavibus: ergo. prob. ant. qui ob instans vitæ periculum, aliamve ob causam legitimam non potest confiteri suum peccatum, nisi in genere dicendo, se semel graviter peccâsse, directè ab illo absolvitur, & tamen si postea evadat periculum, & peccatum suum confiteri possit, tenetur rursus illud in proxima Confessione explicare: ergo &c.

Negativam sententiam amplectuntur Arr. *d. 31, n. 46.* Escob. *l. 15. n. 179.* Bosco *d. 7. S. 8. à n. 138.* Stoz *l. 1. p. 5. n. 170.* Sporer. *n. 398.* Herinx. *d. 3. n. 51.* Tambur. *n. 24.* Lohner. *de Confess. p. 2. c. 12. §. 2. q. 7.* Mendo *d. 10. n. 68.* Caram. Leand. Verric. Rosel. Delgado, Ant. Perez, Henriq. Rhodes, Cotton. Ant. à S. Spiritu, aliique RR. quam sententiam valde probabilem censet Lugo *D. 16. S. 2.* licèt & ipse in fine quæstionis hujus securiorem partem consulat, subjungátque, nolle se in hoc aliquid definire, eò quòd tunc temporis nullus ex illis paucis, qui rem hanc attin- 331

attigerunt, apertè faveat benigniori sententiæ.

Probatur hæc opinio. Primò negativè, quia obligatio valde gravis non est asserenda sine gravi fundamento, & clara Christi voluntate: sed confiteri bis idem peccatum est obligatio, & onus valde grave, nec sufficienti ratione probatur, aut aliunde constat de clara Christi voluntate, ut patebit ex dicendis: ergo.

Secundò, quia qui peccatum aliquod mortale confessus est quoad totam speciem, & numerum, & ab illo fuit directè absolutus, non tenetur illud per se iterùm confiteri, sic quando debitum jam est condonatum, non opus est petere aliam condonationem: sed qui peccatum confessus est ut dubium, confessus est illud quoad totam speciem, & numerum, uti ponitur, & ab illo fuit directè absolutus: ergo non tenetur illud rursus confiteri, etsi postea deprehendat esse certum, aliàs etiam ille, qui confitetur peccatum ut probabile, vel qui confitetur peccatum mortale, quod nec ipse, nec Confessarius putat esse mortale, teneretur illud iterum confiteri, comperta postea majori, vel omnimoda certitudine, quod tamen videtur repugnare communi fidelium sensui, nec ipsi Adversarii omnes concedunt.

Prob. 3. ex Lug. l. c. si ille, qui confessus est peccatum ut dubium, teneretur postea illud confiteri ut certum, tunc etiam ille, qui confessus est numerum ut dubium, teneretur postea confiteri ut certum, adeóque qui dixit, se decies circiter pejerâsse, si postea certò cognosceret, se pejerâsse undecies, teneretur iterum confiteri, & numerum peccatorum ut certum clavibus subiicere: Sed hoc est contra communem doctrinam gravium AA. Suar. *D. 22. S. 5.* Valq. Soti, Coninch, Bonac, Ledesm. Villalob. Sà, Tann. Veg. Valent. Reginald. Gob. Cotton. Moyæ, Sporer, aliorúmque, qui oppositum vix non ut certum supponunt, videtúrque esse contra praxim fidelium, præsertim rudiorum, qui ignorantes numerum certum arbitrantur, se obligationi suæ, & conscientiæ satisfacere, si numero incerto addant particulas illas, *plùs minùs*, vel *circiter*, nisi fortè postea deprehendant excessum fuisse longè majorem, quàm qui sub illis particulis intelligi solet. Maj. probatur à C. de Lug. ille, qui dicit, se pejerâsse decies plùs, minùs, non dicit ut certum undecimum perjurium, sed ut dubium; imò non solùm peccatum undecimum, vel duodecimum in posito casu dicit ut dubium, sed etiam ipsum peccatum decimum; nam qui dicit se pejerâsse plùs minùs non affirmat pro certo, se pejerâsse decies, sed relinquit sub dubio, an fuerint peccata pauciora, vel plura: ergo si teneretur ad peccatum, te-

neretur etiam ad numerum certum postea exponendum ; atque adeò ex consequentia doctrinæ, & ratione vel debet utrumque admitti, vel debet negari communis doctrina, quam tam graves, & illustres DD. communiter tenent, teste etiam Tannero *D. 6. q. 7.* Unde hæc paritas multos eò permovit, ut benigniorem partem amplecterentur, nec disparitas satis probari potest ab Adversariis.

332 Ex duobus hisce sententiis probabilibus, quamquam affirmativa sit pœnitentibus consulenda ; negativa tamen hodiedum est valde probabilis, & in praxi tuta, ut alibi dictum est in libello de Confess. & Commun. Unde

Ad argumenta in oppositum R. Ad primum, retorquendo, etiam peccatum, quod quis ut certum confessus est, & postea cognoscit esse dubium, notabiliter mutat judicium Confessarii ; uti sæpè &. circumstantiæ aggravantes, vel alleviantes, quin tamen propterea debeant in Confessione exponi. In forma dist. a. notabiliter mutat judicium Confessarii quoad novam speciem, vel numerum, n. a. secùs, c. a. & d. conseq. ergo debet exponi, si mutaret judicium Confessarii quoad speciem, vel numerum, C. C. secùs, n. c. non enim omne id, quod etiam notabiliter mutat judicium Confessarii, est necessariò exponendum in Confessione, ut modo dictum est, potestque rursus retorqueri in numero incerto exposito per illas particulas plùs, minùs, circiter &c.

Porrò particulæ hæ *plùs minùs, circiter* quò majori numero adiiciuntur, eò ad majorem excessum juxta æstimationem prudentum extendi solent, ut notat Lugo n. 96. Unde aliqui cum Tambur. censent modicum respectu 5. vel 6. esse unum, respectu decem, duo, respectu 20. tria, respectu 40. vel 50. quatuor, respectu centum, quinque, vel 6. Probabilius tamen Lugo cum aliis censet, non esse cogendum ad novam Confessionem eum, qui confessus est, se centies peccâsse, si postea comprehendat, fuisse id factum centies decies.

Ad 2. R. D. M. Debent in Confessione manifestari prout sunt in conscientia pœnitentis ante Confessionem, seu quando primo exponuntur, & directè remittuntur, C. M. prout sunt in Conscientia post Confessionem peractam, seu postquam pœnitens fuit ab eis plenè, & directè absolutus, n. M. & dist. m. sed hoc peccatum in conscientia pœnitentis non est jam dubium, sed certum, scilicet post Confessionem, & obtentam directam ejus absolutionem, c. m. ante, n. m. & c. argumentum hoc, quod fuit fundamentum Turriani, probaret, quòd etiam peccatum undecimum cognitum postea ut certum,

certum, deberet de novo explicari ab illo, qui confessus est dicendo, se decies plùs minùs peccâsse, quia etiam illud peccatum modo est certum in conscientia pœnitentis; vel quòd debeat pœnitens peccatum, quod ut certum confessus est, rursus confiteri, si postea comperiat esse tantùm probabile, vel dubium, cujus tamen oppositum dicit Lugo esse certum.

Ad 3. R. dist. min. Obligatio confitendi peccatum mortale quod fuit certò commissum, & quod ante confessionem, & directam ejus remissionem scitur, esse commissum, est certa, c. min. quod ante Confessionem, & directam ejus remissionem cognoscitur esse dubium, & primùm post ejus Confessionem secundùm totam speciem, & directam ejus remissionem cognoscitur esse certum, n. min. vel subdist. Obligatio illud confitendi ut dubium, est certa c. obligatio illud confitendi ut certum, n. min. & c. nam obligatio confitendi peccatum ut certum, quod primùm cognoscitur ut certum, postquam in Confessione fuit expositum secundùm totam speciem, & directè remissum, negatur ab AA. suprà citt. & aliis, & oppositum probant rationes suprà allatæ: ergo non est certa. Demum argumentum hoc solvendum est adversæ parti in numero incerto exposito per particulas plùs minùs &c.

Ad 4. R. n. vel d. ant. si peccatum illud non fuit remissum, & expositum quoad numerum, & totam speciem, c. a. secùs, n. a. Ad rationem ant. R. debere illud peccatum postea in proxima Confessione denuò explicari ideò, quia per illam Confessionem generica non dum fuit expositum quoad totam speciem, secundùm quam tamen, si potest, debet exponi; atque adeò etsi præcisè ex eo, quod peccatum aliquod fuerit directè remissum, non semper sequatur, non debere postea illud explicari in Confessione, sequitur tamen ex hoc, & simul ex eo, quòd tale peccatum fuerit expositum secundùm totam suam speciem, & aliunde obligatio illud iterum confitendi sufficienter probari non possit.

)o(

CASUS LVIII.

De percussione Religiosi, & Excommunicatione.

Tirrillus Religiosus cùm nuper curru vectus iter agere vellet per pratum aliquod, à Mopso rustico illac transire prohibetur, qui cùm ex habitu, ac veste exteriore minimè Religiosum esse conjiceret, Tirrillo verbis, & minis contendenti verberibus respondet, illique instrumento rustico aliquot ictus infligit, qui, cùm cadentem ligneam grandinem animadverteret, se ipsum prodit, & Religiosum esse dicit, ostensâ, quam in capite gerebat, tonsurâ, seu Clericali corona; quo auditô, ac visô, Mopsus illicò ab ulteriori percussione cessat, hoc tamen non obstante Mopsus rusticus ad Judicem Ecclesiasticum delatus, ab eo publicè Excommunicatus declaratur, ac denuntiatur.

QUÆR. I. An Mopsus rusticus per eam Tirrilli percussionem Excommunicationem incurrerit?

QUÆR. II. An ligetur censurâ, & re ipsa sit Excommunicatus innocens, qui tamen secundum allegata, & probata in judicio censetur nocens, & ideò excommunicatur?

QUÆR. III. An dubius de Excommunicatione debeas te reputare censurâ ligatum?

333 Ante 1. Q. resolutionem notandum est, licèt graviter percutiens Clericum, vel Religiosum incurrat Excommunicationem latam *in can. si quis suadente Diabolo. 17. q. 4.* plures tamen esse causas excusantes in jure expressas, & exceptas, quas inter est etiam ignorantia, quâ quis ignorat, eum, quem percutit, esse Clericum, vel Religiosum, sed lajcum esse arbitratur, quia v. g. habitum, & tonsuram non gestat, quod verum est, etsi per-

percussio gravis sit contra justitiam, quia pœna Excommunicationis Statuitur non propter percussionem gravem qualemcúmque injustam, sed propter percussionem sacrilegam, & Statui Clericali injuriosam: atqui stante probabili ignorantia Statûs Clericalis nulla huic irrogatur injuria, ut clarè colligitur ex *C. si verò 4. h. tit.* ubi excusatur ab Excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis, quia probabiliter existimare poterat, non esse Clericum, quem percusserat, & ex *C. animarum, 2. de Constit. in 6.* ubi dicitur: Statuta quorumcúmque Ordinariorum ligare nolumus ignorantes, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, & supina.

Quòd si allegatio ignorantiæ dubia sit, allegans eam juramentô in foro externo confirmare cogitur, *C. si verò 2. de sent. excomm.* Quòd si verò jurare noluerit, contra eum præsumitur, & ideò tanquam excommunicatus vitandus est, donec per Sedem Apostolicam absolvatur.

Pariter excusatur ab Excommunicatione ille, qui volens percutere Petrum Clericum, aberrat ab illo, & casu, sive præter intentionem percutit alium Clericum proximè astantem, ut docet communis cùm Suarez *D. 22. Sect. n. 54.* quia talis non percutit voluntariè hominem, quem scit esse Clericum, siquidem, ut ponitur, à Clericali intenta percussione aberravit; alium autem hominem, qui fortè proximè astabat, & Clericus erat, involuntariè, & præter intentionem percussit. Contra verò non excusatur ille, qui Cajum Clericum percutit, existimans esse Titium Clericum; nam iste voluntariè, & ex destinato percutit hominem, quem scit esse Clericum, in quo tota ratio consistit, ob quam Canonis Excommunicatio lata est. His notatis.

Ad 1. Q. Spectatis circumstantiis concurrentibus videtur utique negativè respondendum esse, & Mopsum ab Excommunicationis censura immunem pronunciandum. Ratio est; quia spectatis circumstantiis, quæ intervenêre, Mopsus probabili laboravit ignorantia Statûs Clericalis; nam Tirrillum Religiosum esse, dignoscere non poterat ex habitu, & vestitu exteriore, utpote qui à Sæculari minimè aberrabat, uti etiam apud non nullos Religiosos in more positum est, ut iter agentes exteriùs vestiantur ad modum hominis Sæcularis, quos proin ex vestitu exteriore non facilè à Sæcularibus dignoveris. Neque conjicere poterat, Tirrillum esse Religiosum ex tonsura seu, clericali capitis corona, vel ex Sociis, qui eodem curru vehebantur; nam tonsura tecta erat vittâ, quæ ca- 334

put

put ambiebat; Socii verò, seu itineris comites erant personæ Sæculares utriúsque sexûs cum cane, quem Tirrillus in Mopsum incitavit. Denique pro probabili Mopsi ignorantia illud facit, quòd quàmprimùm Tirrillus se prodidit, & Religiosum esse dixit, Mopsus ab ulteriori percussione cessaverit. Hæ circumstantiæ videntur utique evincere probabilem Mopsi ignorantiam, eúmque ab hac Excommunicationis censura excusare: Cur autem his non obstantibus, & quibus ex aliis conjecturis fuerit nihilominus Mopsus excommunicatus declaratus, me latet; debent utique fuisse rationes, & conjecturæ sufficientes (sivè veræ, sive falsò allegatæ) cùm Excommunicatio sit pœna, quâ nulla major in Ecclesia est, ut ait S. Augustinus, relatus *in C. corripiantur 24. q. 3.* Ad quam proin deveniendum non est nisi magna cum circumspectione ac cautela, atque ritè examinatâ causâ, & posteaquam monitionibus, ac plerúmque aliis levioribus pœnis, & censuris nihil obtineri potest juxta *C. Sacerdotes*, & Trident. *Sess. 25. de Ref.*

335 Ad 2. Q. An censurâ ligetur innocens, qui tamen secundùm allegata, & probata in judicio nocens censetur? Affirmativè respondent Gloss. *in cap. 1. de sent. Excomm. in 6.* Durandus *in 4. d. 18. q. 4.* Corduba *l. 1. q. 43.* & complures Juristæ, contendentes, posse aliquem ligari censurâ ob causam, seu culpam, quæ re ipsa, & à parte rei non existit, in judicio tamen secundùm allegationes, & probationes adesse probatur. Moventur. Primò, quia Judex procedens secundùm allegata, & probata justè procedit: ergo ejus sententia sic prolata valida est, & fortitur suum effectum. 2. Quia cùm bona, quibus Ecclesia fideles suos per Excommunicationem privat, ejus dispositioni subjiciantur, potest fidelem suum innocentem, in judicio tamen probatum nocentem privare illis bonis: ergo censenda est Ecclesia ita velle privare in hoc casu, & latam censuram valere, tum ne sua authoritas contemnatur, tum ut judicii integritas, & ordo servetur, & Judici secundùm juris ordinem procedenti debita obedientia præstetur. His tamen non obstantibus.

Negativa sententia, loquendo 336
de foro interno, tanquam multò probabilior tenenda est cum Cajetan. *2. 2. q. 70. a 4. ad 2.* Soto *in 4. d. 22. q. 1. a. 3.* Covar. *cap. alma. 1. p. §. 7. n. 5.* Navar. *c. 9. n. 4.* Suarez *D. 4. Sect. 7. n. 8.* Avila *p. 2. c. 6. d. 1. dub. 2. & 3.* Tolet *l. 1. c. 10.* Palao *D. 1. de censur. p. 8.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 6.* aliísque. Ratio est, quia potestas per censuras li-

ligandi per se data est Ecclesiæ tantùm adversus inobedientes, & contumaces ob delictum à se verè commissum; non autem adversus innocentes, etiam in tali Casu; cùm credible non sit, Christum Ecclesiæ suæ potestatem reliquisse privandi innocentem tantis bonis spiritualibus pro casu, quo hæc privatio nec publicæ disciplinæ, nec Judicis authoritati tuendæ necessaria est, aut expediens: atqui ad hunc finem talis potestas non est necessaria, aut expediens; solùm enim expedit, & necessarium est authoritati Judicis, & publicæ disciplinæ, ut is, in quem prædictæ censuræ sententia fertur, in facie Ecclesiæ, & coram scientibus censuram, & innocentiam ignorantibus ita se gerat, ac si verè censura ligatus esset, idque vel vi latæ sententiæ, ut vult Suarez cum aliis, vel ut rectiùs docet, & probat Palao, ex præcepto, & obligatione juris naturalis, quò teneris censuram communi hominum sensu veram existimatam observare, & legitimo Judici obedire, ne potestatis Ecclesiasticæ videaris contemptor, & proximo scandalum præbere. De cætero in, & pro foro conscientiæ poterit taliter excommunicatus, secluso scandalo, conversari cum hominibus, sacris interesse, communicare, aliisque Ecclesiæ suffragiis, & spirituali jurisdictione frui; nam privatum esse communione fidelium, Ecclesiæ suffragiis & spirituali jurisdictione sunt effectus, qui veræ censuræ annectuntur, non verò illius existimationi, ut notant citt. DD. Pro foro tamen externo censendus es iis omnibus bonis privatus, quia in eo foro verè censura ligatus reputaris. Unde

Ad argumenta in contrarium adducta R. ad 1. Non sufficere ad valorem sententiæ in hac re ut Judex justè, hoc est, secundùm ordinem juris procedat, sed insuper requiri, ut justum decernat, ac præcipiat, quæ conditio deficit sententiæ ex falsa præsumptione procedenti; non enim præsumi debet, Ecclesiam suis censuris velle ligare innocentem per sententiam ex falsa præsumptione, & errore procedentem, præsertim cùm id necessarium hîc non sit ad ejus authoritatem tuendam. Unde

Ad 2. R. etsi Ecclesia iis commodis spiritualibus privare possit innocentem, probatum nocentem, cùm hoc ad tuendam suam authoritatem necessarium esset, vel expediens; hæc tamen privatio hîc necessaria non est, néque expediens, cùm satis authoritati Ecclesiæ provisum sit obligatione orta ex jure naturali servandi censuram in foro externo, & in facie Ecclesiæ, ut suprà dictum est.

337 Ad 3. Q. Non nulli cum Sayro *in clavi reg. l. 1. c. 13.* arbitrantur, in dubio juris non esse quempiam censendum excommunicatum; benè autem in dubio facti. Alii cum Vasq. 1. *2. q. 19. a. 6. D. 65. & 66.* tradunt, in utróque dubio censeri excommunicatum.

Verùm alii meliùs cum Sanch. *l. 1. c. 10. n. 55.* & Palao l. c. docent Stante dubio sive juris, sive facti, quòd post debitam diligentiam vinci nequit, te non esse reputandum censurâ ligatum, quia cùm ratione Baptismi jus habeas fruendi bonis communibus spiritualibus Ecclesiæ, non es iis privandus, & à tua certa possessione dejiciendus ob dubium tibi subortum, & quidem néque in dubio juris, quando post adhibitam debitam diligentiam ignoras, an Excommunicatio lata sit in jure, aut talem casum comprehendat; quia tunc censura non est satis tibi promulgata; nequis enim tunc dici censuram contemnere, quam justè ignoras positam esse, uti docet S. Thom. *quodlib. 4. a. 14.* & colligitur *ex c. is, qui de sent. Excomm. in 6.* Neque in dubio facti, ut si dubites, an Clericum percusseris; tum quia in dubio potior est conditio possidentis; tum quia omnia jura clamant in dubio delicto reum absolvendum esse, *Regul. favorabiliores 168. ff. de reg. jur. & Reg. cùm sunt ead. tit. in 6.* à qua regula, tanquam rationi valde consona, recedendum non est, ut ait citt. Sanch. absque expresso juris textu, qualis in solo irregularitatis homicidio dubio reperitur; nullus verò in jure textus est decidens in dubio facti præsumi quempiam excommunicatum. Quòd si certus quidem sis, censuram esse positam, dubites autem, an ea fuerit justa, an sufficiens causa excommunicandi, an servatus juris ordo, &c. præsumptio, & possessio est pro Judice, ejúsque sententia, quia non subditi, sed Judicis est hoc examinare, & subditi obedire, dum illi de injustitia, aut causæ insufficientia non constat. Idem est, si dubites, an fueris à censura absolutus, cùm certò scias, te fuisse eâ ligatum; nam nequis stante hoc dubio te reputare absolutum, sed potiùs ligatum, quia pro censura, ejúsque ligamine stat possessio, uti apertè etiam colligitur *ex C. sicut, de sentent. Excomm.*

CASUS

CASUS LIX.

De Excommunicatione ob Clerici percussionem.

CAjus post contractum cum Berta matrimonium per verba de præsenti coram Parocho, & testibus, eô nondum consummatô excurrit in Urbem vicinam negotii conficiendi causâ; altero mox die, dum domum redit, reperit Quadratum Clericum cum Berta turpiter agentem, quem aufugere volentem aggressus primùm pugnis, dein arrepto nodoso fuste ita excepit, ut domum asportari debuerit.

QUÆR. I. An Cajus ita Quadratum Clericum percutiendo excommunicationem incurrerit?

QUÆR. II. An quando dubitatur, an percussio in personam Clerici facta gravis sit vel levis? judicanda sit potiùs gravis, quàm levis, aut è contra?

QUÆR. III. Quid requiratur ad incurrendam excommunicationem ob Clerici percussionem, & an & quando ignorans vincibiliter esse Clericum, quem percutit, nihilominus excommunicationem incurrat?

338 AD 1. Q. R. eum, qui in continenti percutit Clericum turpiter, & inhonestè agentem cum propria Uxore, Matre, Sorore, & filia legitima non incurrere ex hoc capite excommunicationem, tenet communis DD. & patet *ex cap. si verò 1. de sentent. excomm.* Unde resolutio præsentis quæsiti ex eo pendet, an Berta in posito casu veniat nomine Uxoris, nec ne? Ubi non comprehendi Bertam nomine Uxoris, videtur ex eo probari, quòd, cùm res hæc sit à communi jure exorbitans, & Clericis odiosa, nomine Uxoris non veniat sponsa de præsenti non cognita, sicut non venit sponsa de futuro. Nihilominus.

Dicendum est cum communi DD. *& Gloss. verb. cum Uxore,* nomi-

ne Uxoris intelligi quamcunque sponsam de præsenti, quæ coram Parocho, & testibus matrimonium contraxit. Ratio est, quia matrimonium ratum, etsi nondum per copulam consummatum, est adhuc verè matrimonium, quale etiam fuit matrimonium inter S. Josephum, & SS. Dei matrem semper Virginem: Unde juxta *l. 1. t. 17. p. 2.* cum sponsa de præsenti verè committitur adulterium, & violatur alienus thorus, & jus Civile æquè concedit viro accusationem hujus adulterii, quàm adulterii in matrimonio consummato, eademque pugnat ratio textûs suprà citt. utpote quæ etiam in hac materia exorbitante, & odiosa suadet, nomine Uxoris comprehendi etiam sponsam de præsenti; nam mens Pontificis fuit excusare maritum ab hac excommunicatione ob injuriam adulterii gravissimam sibi illatam, ob quam etiam jure civili conceditur viro accusatio, & quia justum talem dolorem compescere difficillimum est, uti habetur *l. Gracchus 4. c. ad l. Jul. de adult.* hæc autem ratio militat pro quacumque sponsa de præsenti, cùm verè cum illa committatur adulterium, violetúrque thorus alienus, ut dictum est suprà. Accedit, quòd etiam sponsus, & sponsa de præsenti, qui nondum matrimonium consummârunt, aliquando vocentur vir, & uxor *c. omnes Rex, c. cùm initiatur, C. Conjuges, C. conjugium 27. q. 2.* constátque etiam ex c. 1. Matth. *Jacob genuit Joseph. Virum Mariæ, & noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Hæc tamen doctrina extendenda non est ad sponsam de futuro utpote, quia odia sunt restringenda, nec sponsa de futuro verè ac propriè est uxor, nec cum illa adulterium à sponso committitur, quod à S. Th. *2. 2. q. 154. a. 8.* dicitur violatio alieni thori. Thorus autem ante matrimonium de præsenti non conceditur sponsis. Ex quibus colliges, Cajum in casu posito etsi graviter peccâsset, nullam tamen ex hoc capite incurrisse excommunicationem, tenore citt. *cap. si verò de sent. excommunicat.* & simul responsionem ad rationem in contrarium.

Ad 2. Q. notandum est, duplicem Clerici percussionem distingui, modicam, sive levem, & gravem, sive enormem; quænam autem æstimanda sit gravis, quænam levis, certa regula universaliter tradi nequit, sed judicio prudentum ex præsentibus circumstantiis discernendum relinquitur; & licèt in extravag. quæ incipit: *Perlectis* apud Molin. *D. 57.* Navar. & alios, levis percussio censeatur, si fiat palmâ, pugno, pede, baculo, lapide, & similibus, quæ nullam maculam, neque suggillationem carnium relinquunt, id tamen universalis regula esse nequit; nam non solùm ex facto, sed ex aliis circumstantiis personarum v. g. si quis Episcopum, aut Prælatum 339

suum

suum percutiat: item locorum, temporum, modique percutiendi, & lædendi, quod leve est, potest evadere grave, & enorme, ut si Religiosus sæcularem Clericum cum scandalo in loco publico percutiat, &c. Injuria tamen seu percussio enormis, seu gravis potissimùm ex facto æstimatur, uti notat Molina l. c. uti si alicui detruncatum sit membrum, vel ita debile reddituum, ut suo munere ampliùs fungi non possit, aut non nisi ægrè; vel si processum est ad sanguinis effusionem, per quam hîc intelligitur copia sanguinis, ut notant communiter DD. cum Gloss. *C. cùm illorum de sent. excomm.* verb. *effusionem sanguinis.* Unde ad enormem, & gravem percussionem, seu injuriam non sufficit, si modica sanguinis copia effundatur; nec sufficit semper multi sanguinis effusio, nisi sit conjuncta cum notabili læsione, ut per se patet, & ex extravag. citt. nam si læsio sit modica, & tamen ex ea multum sanguinis effundatur ex eo capite, quòd membrum læsum sit valde aptum, ut ex eo multum sanguinis fluat, ut si nares lædantur, injuria non censebitur idcircò atrox, seu gravis: Econtra si læsio ex vulnere, ictu, dentium evulsione, multorum capillorum extractione, aut alia ex circumstantia sit admodum gravis, injuria quoque erit gravis, seu enormis, esto parùm, vel nihil sanguinis effundatur. Enormis, seu atrox interdum sumitur presse, ac propriè non solùm, ut distinguatur à levi, sed etiam à mediocri, quæ media est inter levem, & enormem, ut si alicui percussione non admodum gravi dens excutiatur &c. Aliquando verò, quæcunque injuria, quæ levis non est, atrox, & enormis appellatur.

Notandum 2. quamvis ab initio absolutio ab hac excommunicatione ob Clerici percussionem contracta, fuerit universim Apostolicæ sedi reservata, ut patet ex can. *si quis suadente Diabolo*, postea tamen concessum est Episcopis, ut & ipsi absolvere ab hac excommunicatione possint, si percussio, ob quam incurritur, sit duntaxat levis, ut patet ex *C. pervenit de sentent. excomm.* & tenet communis DD. contra quosdam existimantes, in eo cap. non concedi jus, sed solùm speciale privilegium concessum esse; absolutio tamen ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici gravem, seu enormem de jure communi semper reservatur sedi Apostolicæ: Unde expedit scire, quænam percussio, seu injuria sit levis æstimanda, quænam gravis censenda, & quid dicendum in dubio de illius gravitate, & levitate; levitas autem hîc sumitur non pro culpa veniali, sed respectivè ad enormem; nam excommunicatio ob percussionem Clerici contracta, non incurritur nisi ob culpam lethalem juxta communem DD.

Ad propositum igitur Q. R. in dubio, an levis, anve gravis sit percussio, seu injuria, propendendum, judicandúmque est, esse gravem, seu atrocem. Ita cum Navar. *in man. c. 27. n. 92.* Molina *D. 57.* Suarez *de censur. D. 22. S. 1.* Pal. *tom. 6. D. 3. pun. 23. §. 4.* alisque communiter apud Dianam *p. 9. tr. 4. R. 46.* colligitúrque ex Extravagante *Perlectis*, apud Navar. & Molin. l. c. cujus hæc sunt verba. *Perlectis* &c. *respondemus, percussionem levem esse pugni, palmæ, manûs, pedis, baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque Suggillationem carnium relinquit, neque abscindit membrum, sine effractione dentium, sine evulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere, quòd hujusmodi levis percussio, vel pugni, vel unguis, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad judicandum tamen, quæ læsio sit levis, mediocris aut enormis, volumus diligenter perpendi non solùm factum, sed etiam qualitatem ejus, & modum percutiendi, & lædendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personæ, & aliis. Personæ, si est Magister, Judex, pater, patronus, aut dignitas, percussus injussè à subdito, aut alio se viliori; quia ex hoc interdum censentur graves injuriæ, quæ ex se sunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, quæ sit levis, & quæ enormis injuria, admonentes, ut potiùs declines, in dubio esse percussionem gravem, & ab ea non posse absolvere, quàm, declarando levem esse, occasionem præbeas lædendi Statutum Ecclesiasticum.* Ne scilicet hujusmodi Clericorum percussores, & injuriam inferentes de vicina, & facili absolutione ab Episcopo obtinenda confisi, faciliùs, ac frequentiùs in atroces prorumpant percussiones.

Ad 3. Q. R. Ad hoc, ut ob manuum violentarum injectionem in eum, qui hoc privilegio gaudet, incurratur hæc excommunicatio, necesse est 1. ut talis injectio fiat suadente Diabolo, hoc est, ut fiat illicitè sive ex natura rei, sive ex juris humani dispositione. 2. Ut sit culpa lethalis, quia excommunicatio major, qualis etiam hæc est, non incurritur, nisi ob culpam mortalem, ut docet communis DD. cum Navar. in Manu. *c. 27.* Sylvest. *verb. excommunicatio*, Cajet. Molina l. c. Unde non incurrunt hanc excommunicationem duo Ecclesiastici jocosè se invicem percutientes, etsi aliquid iræ, & appetitûs vindictæ interveniat, modò tamen attenta qualitate percussionis, attentisque aliis circumstantiis præsentibus non intercedat culpa lethalis: uti neque Lajcus graviter quidem percutiens Clericum, sed ex subito iracundiæ motu, animo omninò non, vel non plenè advertente ad id, quod agitur, seu non libero libertate ad peccatum mortale sufficiente, prout ad illud non sufficiunt motus primò primus, & secundò primus. 3. Requiri- 340

tur

tur notitia personæ hoc canonis privilegio gaudentis, seu ut scias eum, quem percutis, esse Ecclesiasticum, esto erres in persona Clericali, ut si existimes esse Petrum, quem percutis, cùm sit Paulus, ubi censuram Excommunicationis propterea non effugies, sicuti cum aliis rectè annotavit Covar. in *C. alma, p. 1. §. 10. & argum. l. cum qui, §. si injuria, ff. de injuriis.* Contrà verò si volens percutere Petrum, ab eo! aberres, & casu sive præter intentionem percutias alium Clericum proximè astantem, liber eris ab hac excommunicatione, ut cum aliis docet Suarez *D. 22. S. 1. n. 54.* Ratio discriminis est, quòd in priore casu voluntariè percutias hominem, quem scis esse Clericum, in quo tota ratio consistit, ob quam hæc canonis excommunicatio lata est, utpote quæ pro injectione manuum violentarum lata est, non verò pro injectione manuum in hunc, vel illum Clericum. In posteriore autem casu voluntariè non percutis hominem, quem scis esse Clericum, siquidem, ut ponitur, à Clerici intenta percussione aberrâsti, & alium casu proximè adstantem præter intentionem, & involuntariè percussisti. Ratio autem cur prædicta notitia personæ Ecclesiasticæ requiratur, est, quia quando datur ignorantia invincibilis alicujus circumstantiæ, ex qua oritur aliqua culpa, pro qua imposita est certa pœna peculiaris, & propria illi culpæ, tunc quemadmodum ea circumstantia excusat omninò ab illa culpa, ita excusat etiam ab ea pœna pro tali culpa statuta. Quod ipsum expressè deciditur *C. si verò 2. de sent. excomm.* Ubi qui injustè occidit Clericum comam nutrientem, quem ea de causa invincibiliter ignoravit esse Clericum, immunis pronunciatur ab excommunicatione.

Ad alterum, quod additur de ignorantia vincibili, R. sub distinctione, & siquidem percutiens Clericum ignoret vincibiliter esse Clericum ignorantia tali, seu adeò crassa, ut prudentis arbitrio, & spectatis omnibus circumstantiis occurrentibus non excusetur à lethali culpa sacrilegii, excommunicationis pœnam non effugiet, qui manus violentas injicit in personam Ecclesiasticam; cùm enim excommunicatio hæc imposita sit manus lethaliter injicienti in eum, qui privilegio canonis gaudet, & ignorantia, quòd aliquis eo privilegio gaudeat, spectatis circumstantiis occurrentibus adeò crassa sit, ut à culpa mortali sacrilegii non excusetur, neque excusabit ab excommunicationis pœna pro ea lethali culpa Statuta, prout etiam colligitur ex *C. ut animarum de const. lib. 6.* ubi ignorantia crassa, & supina non excusat ab Excommunicatione.

Quòd

Quòd si ignorantia talis sit, quæ spectatis circumstantiis à mortali sacrilegii culpa excuset, solúmque venialem sacrilegii culpam inducat, ab excommunicationis pœna immunis erit, quia, cùm ad incurrendam excommunicationem majorem, qualis hæc est, requiratur culpa lethalis, ut suprà insinuatum est, & ignorantia illa vincibilis culpam duntaxat venialem inducat, ab excommunicationis pœna haud dubiè excusabit.

CASUS LX.

De Excommunicatione ob factam occultam compensationem.

ORtum ante paucos annos incendium in domo cujusdam personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ magnam illius partem absumpserat, totam utique in cineres redacturum, nisi ab acurrente populo brevi fuisset extinctum. Cùm autem occasione extinctionis multa à multis fuissent clam ablata, & occultata, instituit persona illa Ecclesiastica apud Episcopum, ut Excommunicationem ferret in eos, qui ablata, & occultata non restituerent, quod & factum est. Unde cùm & Marchesinus opifex, cui persona illa Ecclesiastica debebat ultrà centum florenos, non nulla occultâsset, secúmque domum asportâsset, ea retinuit in compensationem solutionis debiti à dicta persona aliàs ægrè obtinendæ.

QUÆR. I. An Marchesinus Opifex teneatur ad restitutionem, & non restituendo à se ablata, & occultata incurrerit Excommunicationem latam in non restituentes?

QUÆR. II. An, si Judex interroget Marchesinum sub juramento, an aliquid occultaverit? possit id negare, & si fateatur, vel aliàs compensatio innotescat Judici, & condemnetur, teneatur in conscientia solvere pœnam, ad quam ob factam compensationem condemnatus est?

QUÆR.

QUÆR. III. An res per occultam compensationem accepta transeat statim in dominium accipientis, seu compensantis?

341 AD 1. Q. suppono hic ex communissima passim DD. sententia licitam esse occultam compensationem, quam quis sibi facit, servatis debitis, ac requisitis conditionibus; quia cuilibet jure naturæ permittente, licet accipere rem formaliter, vel æquivalenter suam, quando nulli per hanc acceptionem fit injuria. Imò juxta S. Th. hîc *a. 5. ad* 3. etsi aliqua injuria intercederet quoad modum, vel creditor posset rem suam aliâ adhuc viâ recuperare, ad restitutionem tamen non teneretur, quamvis per hujusmodi acceptionem ita factam peccaret.

Conditiones autem ad licitam occultam compensationem requisitæ sunt sequentes. Prima, ut debitum sit liquidum, seu evidens, vel saltem moraliter certum. 2. Ut debitum non possit aliâ viâ, vel non nisi cum magna difficultate aliàs recuperari. 3. Ut id, quod vis compensare, actu tibi debeatur. 4. Ut quantum fieri potest, fiat compensatio in rebus ejusdem speciei cum illa, quæ debetur. 5. Ut res, in qua fit compensatio, sit debitoris propria, & non tantùm oppignorata, vel deposita &c. 6. Ut compensans caveat, ne debitor patiatur damnum aliquod temporale, vel spirituale, ut si solveret debitum jam à te compensatum, vel si credens debitum nondum esse solutum maneret in mala fide. Prius tenemur impedire ex justitia, posterius ex charitate.

Præterea cavere debet, ne per accidens sequatur damnum tertio, ut si aliàs alteri imputaretur res accepta, quasi furtiva esset, vel periculum foret scandali, aut propriæ infamiæ &c. His suppositis.

R. Ad Q. 1. Marchesinum (si- 342
quidem tantum solumodo accepit, ac retinuit, quantum juxta æquam æstimationem adæquat debitum) nec teneri occultata, ac retenta restituere, nec ullam, si non restituat, excommunicationem incurrere. Ratio est, quia qui id accepit, non tenetur id reddere quasi debitum parti, eò quòd justè id acceperit, ac retineat; neque in pœnam propter delictum, quia ita accipiendo nullum commisit delictum, neque Episcopus præcipere potest eam restitutionem, nisi ex hypothesi, quòd qui id acceperit, sit in peccato id retinendo, & non restituendo illi, cui restitui præcipit, ut docent Molina *D. 692.* Lugo *D. 16. sect. 6.* Medina *de restit. q.* 11. Navarr. *in Man. c. 17. num. 114.* Vasq. *de restit. c. 5. S. 1. dub.*

9. Leſſ. *c. 12. dub. 10. num. 61.* aliíque; quia Excommunicatio major ſupponit peccatum mortale: hîc autem nullum intervenit peccatum mortale, neque in acceptione, neque in retentione, hoc ipſo quod compenſatio, ſervatis debitis conditionibus, licita ſit; & idcirco neque incurritur excommunicatio, utpote quæ peccatum ſupponit mortale. Id, quod aſſerunt citt. DD. etiam pro caſu, quo Excommunicatio ferretur in eos, qui aliquid acceperint etiam in ſatisfactionem; quia etiam tunc accipiens non teneretur ex ipſa rei natura rem ita acceptam reſtituere, eò quòd non peccaverit contra juſtitiam, rem ita accipiendo, quin potiùs per eam acceptionem redacta ſit ad æqualitatem inæqualitas, quæ antea erat inter ipſum, & debitorem; Excommunicatio autem peccatum grave ſupponat, ut dictum eſt. Unde ajunt, ſenſum illorum verborum eſſe, quòd etiam ii comprehendantur, qui ſub falſo prætextu compenſationis ea bona retinent, vel non ſervatis debitis conditionibus, ut ſi debitum erat dubium, vel accepiſti rem, quæ non erat debitoris: imò etiam tunc, quando conditio, quæ deficit, talis non eſſet, ut, ſecluſa etiam Excommunicatione adhuc eſſet obligatio reſtituendi, eò quòd etiam tunc retentio non ſit injuſta, cùm non ſit obligatio reſtituendi, nec dici poſſit, quòd illa retentio ſit illicita ex eo, quòd ſit contra obedientiam, & præceptum Epiſcopi, cùm Epiſcopus regulariter non poſſit præcipere, ut reſtituas, quod tuum eſt, ut notat Lugo cum aliis l. c. qui ex Vaſq. & Leſſ. etiam notat, neque poſſe Judicem in pœnam peccati præteriti præcipere reſtitutionem, eò quòd pœna pecuniaria non poſſit à Judice imponi, niſi juridicè procedat, & audita parte.

Ad 2. Q. R. Cum Molina, Medina, Navar. Lug. ſuprà relatis, ſi Judex interroget eum, qui compenſationem fecit, poſſe eum negare, ſe aliquid accepiſſe, vel retinere, ſubintelligendo, quod reſtituere teneatur, etiamſi ſub juramento interrogetur; quia ſenſus eſt, ſe non accepiſſe aliquid, aut retinere injuſtè, quod reſtituere teneatur, quod verum eſt, & quæ ſola debet eſſe mens interrogantis Judicis, ſi legitimè, & juridicè interroget. 343

Quòd ſi ipſe Creditor fateatur compenſationem à ſe factam, vel hæc aliunde innoteſcat Judici, & propter eam occultè factam condemnetur ad ſolvendam pœnam, eum non obligari in foro conſcientiæ ad eam ſolvendam; quia ſententia Judicis, ut notant citt. DD. fundatur tunc in præſumptione compenſationis indebitè, & injuſtè factæ: ergò in foro conſcientiæ, cùm conſtat, compenſationem licitè, ac juſtè factam eſſe,

esse, non debetur pœna, utpote quæ absque culpa deberi non potest.

344 Ad 3. Q. Medina citt. q. 11. inclinat in partem negativam, videlicet res per compensationem occultam acceptas non transire Statim in dominium accipientis, seu compensantis, eò quòd antiquus dominus possit postea ejusmodi res extrahere de potestate cujuscumque, apud quem fuerint reportæ, easque tanquam suas sibi vendicare.

Contrà verò Molina *D. 691.* in partem affirmativam propendet, cui ex parte favet Lugo l. c. Tum quia, cùm compensatio illa licita sit & justa, atque à jure naturali permissa, eandem videtur vim in se, & in foro conscientiæ habere, ac si publica auctoritate esset facta. Tum quia ubicumque apprehenditur rei possessio, quæ vel domino careat, vel dominus non sit rationabiliter invitus, nihil deesse videtur, quominùs fiat accipientis, siquidem perinde est ad effectum evitandæ malitiæ furti, dominum non esse rationabiliter invitum, ac si res domino careret: atqui quando Creditor non potest aliter suum debitum recuperare, non est, nec potest rationabiliter esse invitus, si ille sibi provideat, & compenset ex bonis debitoris; cùm per hoc dominus rei solùm cogatur solvere, quod debet, & postulat justitia: ergo nihil impedit, ne Creditor fiat verè dominus rei acceptæ. Quod

Conf. si dominium rei per compensationem acceptæ perseveraret penes eum, cujus res erat ante compensationem, tunc sequeretur, quòd, si facta compensatione, res illa fortuitò, & sine culpa illius periret, qui eam accepisset in suam, non periret compensanti, sed ei, cujus antea erat, eò quòd quando aliud jure non est Statutum, res pereat domino, seu illi, cujus erat: atque adeò posset consequenter ille, qui rem illam in compensationem justam accepit, facere de novo aliam iterum compensationem, & suum debitum exigere, quod nullus admittet, inquit Molina, utpote omninò absurdum: Unde

Ad fundamentum à Medina adductum respondet Molin. debitorem non posse rem illam postea apud Creditorem inventam sibi vendicare, si ipsi constet compensationem factam fuisse cum debitis conditionibus, ut sit licita. Quare si ea res propria auctoritate postea recupe-

raretur ab antiquo domino, vel ei per Judicis sententiam adjudicaretur, id fieret, quia præsumeretur facta esse illicitè, & injustè.

Sed expeditiùs, rectiúsque responderi potest, dicendo, Creditorem per licitam occultam compensationem comparare sibi acceptæ rei dominium revocabile, & cum onere, ut quoties debitor vellet debitum suum solvere, posset rem ita acceptam recuperare, ut insinuat Lugo l. c. quia in tantum Creditor poterat rei acceptæ dominium acquirere, in quantum debitor non erat rationabiliter invitus, ut dictum est; debitor autem, licèt, dum non solvebat suum debitum, non posset rationabiliter repugnare compensationi, poterat tamen rationabiliter consentire cum hoc pacto, & onere; quia hoc modo & sibi consulebat, & suo Creditori: ergo non potuit Creditor aliter dominium acquirere, nisi cum eo onere, & pacto, quod jam tunc inclusum videbatur ex rationabili voluntate debitoris.



CA-

CASUS LXI.

De Excommunicatione ob Clerici percussionem ex mandato alterius factam.

ANtilius Vir nobilis mandat Audaci famulo suo, ut data occasione Ambrosium Clericum egregiè fuste excipiat, quod quidem ille Præstat, sed Baculo una alterave tantùm vice leviter percutit, idque ante notitiam revocationis ab Antilio factæ, qui paulò pòst apoplèxiâ tactus obiit, antequam revocatio mandati innotesceret Audaci famulo.

QUÆR. I. An mandans occidi, vel percuti personam Ecclesiasticam gaudentem privilegio Canonis incurrat excommunicationem latam can. Si quis suadente diabolo?

QUÆR. II. An eandem incurrat, qui Clerici occisionem suo nomine factam, ratam habet?

QUÆR. III. An si post mortem mandantis, quam mandatarius ignorat, & idcircò vi dati mandati Clericum percutiat, vel occidat, ipse defunctus excommunicationem contrahat, etsi, dum viveret, mandatum revocaverit, & de peccato pœnitentiam egerit?

QUÆR. IV. An, qui Clericum pugno, vel baculo, uno, alterove ictu leviter percutit, Excommunicationem incurrat?

345 AD 1. Q. Quòd mandans non incurrat hanc Excommunicationem, videtur ex eo probari, quòd excommunicatio lata contra facientes, seu aliquid efficientes, non sit extendenda ad mandantes, vel consulentes, nisi id exprimatur, ut docet communis DD. cum Claro *l. 5. sent. §. fin. q. 89.* Cajet. *verb. excommunicatio in princ.* Navar. *in manu c. 27.* Molin. *D. 52.* Sanch. *l. 3. de matr. D. 49.* aliisque: atqui in *can. suadente diabolo* non exprimitur mandans,

aut consulens, sed solùm manus violentas iniiciens in Clericum, aut Monachum: ergo &c.

946 Nihilominus dicendum est, non solùm criminis executorem, sed etiam mandantes, consulentes, aut quovis alio modo ad executionem concurrentes, & incitantes effectu secuto incurrere excommunicationam latam in citt. can. *si quis suadente* &c. Ita communis DD. cum Navar. l. c. Sylvestr. *verb. excomm. 6. n. 5. casu 3.* Molina l. c. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5.* Cajet. Panor. aliísque. Ratio est, quia quamvis regulariter excommunicatio in aliquo canone, aut statuto lata in facientes non extendenda sit ad mandantes, consulentes, &c. nisi id exprimatur, ut dictum est suprà; quando tamen ex aliorum jurium expositione, & ordinatione, aut aliunde constat etiam præcipientem, consulentem, aliòve modo efficaciter concurrentem eodem canone, vel statuto comprehendi, hi quoque secuto effectu pari modo excommunicati censeri debent: atqui id aliunde constat, nempe ex Ecclesiæ consuetudine, & *C. mulieres, §. ult. & C. quantæ de sent. excomm.* ubi expressè habetur, non solùm executorem criminis, sed etiam mandantem, consulentem, alióve modo incitantem, perinde in Excommunicationem can. *si quis suadente*, incidere, ac ipsum executorem, modò tamen re vera concausa fuerint talis manuum violentarum injectionis, eò, quòd executor saltem partialiter ex eo mandato motus fuerit ad eam exequendam. Si tamen qui mandatum dedit, illud in tempore revocavit antequam manuum injectio executioni mandaretur, atque de tali revocatione mandatorio sufficienter constitit, tunc mandans ab excommunicatione immunis erit, esto mandatarius mandatum postea executioni mandet, ut notat Molin. l. c. quia tunc effectus non imputatur mandanti, sed tribuitur soli malitiæ illud exequentis, nisi, ut excipit idem Molina, mandatum admixtum haberet aliquid consilii, atque mandatarius post mandati revocationem ex eo consilio admixto motus fuerit ad id exequendum, tunc mandantem non quà mandantem, sed quà consulentem teneri ad pœnam delicti ordinariam, ut docet communis DD. apud eundem Molin. citt. si ex illo admixto consilio permotus fuit mandatarius ad delictum executioni mandandum, quod alioquin executioni mandaturus non fuisset, tunc enim effectus utrique tribuitur, isque, qui consilium dedit, unà cum executore concausa censetur talis effectûs; illud enim discriminis est inter mandantem. & consulentem, secundùm communem DD. cum Innoc. & Abb. *C. ad audientiam de homic.* quòd mandatum nomine, & gratia mandantis fiat, quare revocato seriò mandato, si mandatarius

post

post cognitam revocationem verè, ac serio factam; nihilominus occidat v.g. censeri non potest hæc executio mandati, sed proprio nomine commissum homicidium, adeóque ipsi, & non mandanti imputandum. Consilium autem fit gratia accipientis, quare si semel persuasisti alicui, ut occideret, aliúdve delictum committeret, qui absque tuo consilio non occidisset, aut tale delictum non patrâsset, etsi postea consilium revoces, si tamen, cui consilium dedisti, tuo consilio permotus tale homicidium committat, secuti homicidii causa censeberis, & pœnæ delicti obnoxius, quoniam verè tuum consilium cooperatum est ad tale delictum, permovendo ad executionem illius, tanquam instrumentum, quod tu suppeditâsti. Notat tamen hîc Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5.* si consilium petens non fuit *motus rationibus* à suasore propositis, sed sola consulentis auctoritate, tunc si consiliarius postea dictum suum seriò retractet, & se errâsse profiteatur, non posse illum ampliùs consulentis auctoritate moveri ad opus exequendum: Imò cum quoque ab Excommunicationis pœna incurrenda excusat idem Laym. qui alteri propositis etiam rationibus homicidium injustum persuasit, si eas postea seriò, & quantùm potest, efficaciter retractet, ac refellat, etsi postea homicidium subsequatur.

Ad 2. Q. R. affirmativè cum 347
citt. paulò ante DD. eum videlicet excommunicationis pœnam incurrere, qui Clerici privilegio Canonis gaudentis occisionem, aut percussionem suo nomine factam postea ratam habet; ita enim expressè habetur *C. cùm quis de sentent. excomm. l. 6. tit. XI.* nam per ratihabitionem illius, quod nomine ipsius factum est, juris dispositione ei tale factum, qui id ratum habet in ordine ad incurrendam pœnam pro eo statutam, ac si illud fieri mandâsset, ratihabitio quippe retrahitur, & mandato æquiparatur juxta citt. C. & regulam ratihabitionem *de reg. jur. in 6.*

Ad hoc tamen, ut ille, qui manuum violentarum in Clericum injectionem ratam habet, excommunicationem incurrat, requiritur 1. ut id nomine, & intuitu illius factum sit, qui illud ratum habet; nam si eadem manuum injectio, ut loquitur citt. *C. cum quis*, tuo nomine non sit facta, tunc licèt pecces eandem ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationis illius vinculo innodaris, cùm nequeat quis ratum habere, quod ejus nomine non est gestum.

2. Requitur, ut ratum illud habeat, quando scit esse factum; neque sufficit, si gaudeat id esse factum, nisi id ipsum ratum habeat

beat ita ipsius nomine esse factum. Neque sufficit sola interior ratihabitio, nisi ea prodeat in actum externum; nam propter solum actum internum non incurritur excommunicatio.

Porrò hæc excommunicationis pœna non incurritur ante ratihabitionem, seu à puncto delicti ab executore ejus nomine patrati, sed postea, seu secuta ratihabitione; nam ea pœna non incurritur, nisi ob culpam propriam illius, qui illam incurrit, ante ratihabitionem verò nulla fuit culpa in eo, cujus nomine delictum commissum est, ipso illud tunc ignorante, ut per se patet: ergo

348 Ad 3. Q. suppono ex dictis, & communi DD. ad hoc, ut mandans excommunicationis pœnam effugiat, non sufficere, ut mandatum suum alteri datum revocet, sed insuper requiri, ut revocationis seriæ sufficiens notitia ad mandatarium pervenerit; nam si mandatarius factæ revocationis ignarus manus violentas ex mandato sibi dato in Clericum iniiciat, tam ipse, quàm mandans in excommunicationis pœnam incidunt. Ex qua communi doctrina haud obscurè deducitur Responsio ad propositum Q. videlicet si post mortem mandantis mandatarius illam, ac mandati revocationem ignorans manus violentas in personam canonis privilegio gaudentem ex tali mandato injiciat, mandantem quoque seu defunctum eam excommunicationem incurrere, etiamsi dum adhuc viveret, mandatum ea super re datum revocaverit, & de peccato pœnitentiam egerit, atque in gratia ex hac vita discesserit, prout docet Molina cum aliis *D. 33. n. 3.* & ratio est, quia effectus ille sequitur adhuc ex executione dati mandati, nec obest, quòd mandans post actam pœnitentiam in gratia decesserit, nam excommunicationis pœna incurri etiam potest ab aliquo in gratia existente, pro peccato tamen præterito subsecuto complemento, sine quo aliàs non incurritur, atque adeò etiam à defuncto incurri potest pro peccato præterito in vita commisso, subsecuto post mortem effectu, seu complemento, sine quo non contrahitur excommunicatio, ut probat Molina l. c. ubi etiam notat, si mandatario sufficienter innotuisset mors mandantis ante mandati executionem, & tamen post eam notitiam mandatum exequeretur, mandantem seu defunctum non incurrere excommunicationem; quia cùm mandatum morte mandantis exspiret, præsertim quando mandatum executionem rei injustæ continebat, tunc eo ipso, quod mandatario sufficienter constiterit de morte mandantis, revocatum censetur tale mandatum, proindéque si illud adhuc exequatur, solus ipse excommunicationi obnoxius erit, non item mandans defunctus. Sed dices, non vide-

videtur, quid Excommunicatio operetur in eo, qui in gratia decessit, qualemve circa illum sortiatur effectum: ergo nequit cadere in defunctum.

R. n. a. id enim operatur, quòd pro tali defuncto nequeant sacrificia, & orationes publicæ offerri, neque illi in purgatorio existenti prosint Ecclesiæ suffragia, quamdiu à censura hac absolutus non fuerit; præterea defuncti cadaver in loco sacro humari non potest, donec defunctus ab excommunicatione absolvatur, & si humatum fuerit, exhumari debeat, ut docent citt. Molin. Panor. Felin. & alii.

349 Ad 4. Q. Negativè respondet Marcus Vidal, *in arca Theol. mor. titul. de censur. Inquisit. 5.* juxta quem is, qui baculo, manu, pugno &c. uno alterove ictu percutit Clericum, quamvis ex odio & pravo animo, excommunicationem *Can. si quis*, non incurrit; nam hujusmodi percussiones censentur secundùm se leves eò, quòd parvum solummodo inferant nocumentum; admittenda enim est parvitas materiæ, sicut in furto, & aliis, ita & in percussione Clerici, quæ parvitas tunc habetur, quando percussio secundùm se est levis, & parvum duntaxat affert nocumentum, quamvis conjuncta sit cum peccato mortali ratione pravæ intentionis percutientis; ex hoc enim non sequitur, quòd ipsa percussio ut talis malitiam mortalis culpæ contineat, hoc ipso, quòd levem duntaxat injuriam, & parvum inferat nocumentum, atque adeò venialis semper erit, & insufficiens ad inducendam excommunicationis pœnam, utpote quæ, ut incurratur, exigit culpam lethalem in actione exteriore, & non tantùm per solam relationem ad actum internum, seu pravam intentionem.

Contrariam tamen opinionem 350
meritò amplectuntur Diana *tr. 14. miscellan. R. 36.* Avila *de censur. p. 2. O. 5. d. 2. dub. 12.* Castr. Pal. *tom. 6. d. 3. p. 23.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5.* Filliuc. Bonac. Nald. Riccius, Graff. Bordon. aliique. Rationem dant; quia ad incurrendam hanc censuram non solùm sufficit, ut percussio corporis talis sit, ut Clericum graviter lædat, sed sufficit etiam actio violenta personam Clerici leviter quidem attingens, sed quæ secundùm moralem existimationem & judicium prudentum virorum sufficiens est ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam debitam tali personæ, & statui Ecclesiastico: atque adeò licèt aliquæ violentiæ Clericis illatæ, graves non essent comparatione corporis, graves tamen, atque mortales sunt comparatione honoris, qui contumeliosè læditur, sicut notavit Innoc. III. in *cap. nuper de sentent. excomm.* & *leg. Item*

apud Labeonem, *ff. de injur.* ubi: *si quis pulsatus quidem non est; verùm manus adversus eum levatæ, & sæpè territus quasi vapulaturus, non tamen percussit, utili injuriarum actione tenetur.* Unde Graffius cum aliis *in consil. tom.* 1. *consil.* 1. *de sent. excomm.* docet, rusticum quemdam, qui baculò sacerdoti Religioso ictum minatus fuerat, illum ante oculos tenens, non tamen percutiens, in excommunicationem incidisse. Idem docet cum aliis Alphonsus de Leone *Recoll.* 5. *de censur.* de illo, qui manus admovens ad pectus Religiosi, & tunicam ejus comprehendens dixit, nisi esses Religiosus, tunc &c. Idem tenet Bordonus *in miscellan. decis.* 340. de illo, qui Biretum de capite Clerici dejecit. Quid ergo dixissent hi AA. de eo, qui Clericum baculo, aut pugno una alterave vice percuteret? Unde patet responsio ad ea, quæ suprà in contrarium proposita sunt; per hoc tamen non negatur, posse dari parvitatem materiæ, sive ratione personæ percussæ, & percutientis, sive ex modo percutiendi, aliisque circumstantiis, cujusmodi parvitas materiæ est juxta Barbos. & Dian. l. c. si quis Clericum manu tantummodò repelleret &c. eò quòd talis actio judicio hominum prudentum in ordine ad læsionem honoris levis duntaxat censeatur.

CA-

CASUS LXII.

De Excommunicato Sacramentum Pœnitentiæ in Excommunicatione ſuſcipiente &c.

RUffus nuper ob delictum à ſe commiſſum, cui Excommunicatio annexa erat, excommunicatus abſolutionem ab ea aliquamdiu procurare neglexit; tandem pœnitentiâ ductus Auguſtinum Confeſſarium adit, eique omnia ſua peccata cum vera contritione, & emendationis propoſito confitetur, ſed in ipſo Confeſſionis actu ex oblivione non manifeſtat Excommunicationis cenſuram, quæ delicto à ſe commiſſo annexa fuerat; nec ab eâ Auguſtinus Sacerdos abſolvit, utpote qui in affluxu pœnitentium omiſſo *miſereatur tui* &c. & abſolutione à cenſuris, ſolùm à peccatis abſolvere ſolitus eſt, ut citiùs pœnitentes expediat.

QUÆR. I. An Ruffus, non obſtante Excommunicatione, validè receperit Sacramentum Pœnitentiæ, ejúsque fructum, omnia ſua peccata cum vera contritione manifeſtando?

QUÆR. II. An Excommunicatus, à culpa ſua, & contumacia recedens, & per contritionem, vel Confeſſionem juſtificatus, particeps fiat omnium ſuffragiorum Eccleſiæ, ſi per ipſum non ſtet, quominùs per Judicis ſententiam abſolvatur?

QUÆR. III. Utrum Excommunicatus, qui negligens eſt in procuranda abſolutione à cenſura, peccet contra præceptum de audienda Miſſa, annua Confeſſione, & Paſchali Communione, quibus aliàs poſſet ſatisfacere?

351 AD 1. Q. Noto ex *cap. illorum, cap. ſi quem de ſentent. Excomm.* Excommunicato etiam non denunciato interdictam eſſe Sacramentorum ſuſceptionem, quo tamen non obſtante, ſi ea etiam

absque necessitate, & illicitè suscipiat, validè nihilominus ea recipit; quia valor Sacramentorum non pendet ex Ecclesiæ ordinatione, & voluntate, sed ex Christi institutione, quæ Stare potest cum iniqua suscipientis dispositione, ut docet communis cum Suarez *D. 10. de censur. sect. 3.* Excipitur tamen hîc Sacramentum Pœnitentiæ; quia, cùm hoc essentialiter pro materia proxima requirat rectam suscipientis dispositionem, invalidum, saltem indirectè, redditur propter pœnitentis indispositionem, si hic censuram Excommunicationis non ignorans, nullâque necessitate constrictus, atque adeò Sacrilegè Sacramentum petat, & suscipiat: Unde quæstio hîc duntaxat est de Excommunicato bona fide ad Sacramentum Pœnitentiæ accedente, scilicet pro casu necessitatis, probabilis ignorantiæ, aut oblivionis. Quo in casu

Sententiam negativam amplectuntur Sylvest. *V. Confessio, 1. q. 3. cas. 5.* & *V. Confessor, 3. n. 12.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. a. 1.* Vasq. *de Excomm. dub. 4.* Gasp. Hurtado *D. 4. de Excomm. diffic. 3.* aliique, moti authoritate *cap. ult. de Clerico Excommunicato ministrante*; ubi dicitur, quòd si Clericus excommunicatus excommunicatione minore Sacramenta conferat, non careant virtutis effectu, quia non à collatione, sed à participatione Sacramentorum remotus est: atqui ligatus majori excommunicatione à receptione & collatione remotus est: ergo Sacramenta ab ipso recepta, & collata virtutis effectu carent. 2. Ecclesia per Excommunicationem separat Excommunicatum à perceptione Sacramentorum, quantùm potest: atqui potest illum separare à Sacramento Pœnitentiæ ita, ut quamvis illud recipiat, nullius sit effectûs, sicut faceret, si Excommunicatum à jurisdictione Sacerdotis excluderet. 3. Quia absolutio data ab Excommunicato denunciato est omninò irrita, & nulla: ergo & absolutionis receptio.

Verùm his non obstantibus dicendum est, eo in casu probabiliùs valere absolutionem, & excommunicatum verè & Sacramentaliter absolvi à peccatis, remanente censura Excommunicationis, si nullus in alio aliàs sit defectus. Ita Covar. *in C. alma p. 1. §. 6. n. 7.* Navar. *Man. c. 9. n. 7.* Suarez l. c. n. 9. Henriq. *l. 13. c. 12. n. 2.* Bonac. *de censur. D. 2. q. 2. p. 2. §. 1.* Coninck *D. 4. dub. 3.* Palao *tr. 29. D. 2. de censur. p. 7. n. 4.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 1.* Ugolin. Sayrus, Valent. aliique. Ratio præcipua est, quia nullo jure cavetur irritum, & inane reddi Sacramentum ab excommunicato susceptum, si nihil aliud desit; quòd enim ex- 352

com-

communicatus à Sacramentis sit excluſus, ſolùm probat, eum indebitè illa ſuſcipere, ſi ſit cenſuræ memor, & ab hac antea non abſolvatur; in poſito autem caſu excommunicatus inculpabiliter omiſſa cenſuræ abſolutione Sacramentum recipit: ergo ceſſat indebita receptio & conſequenter cauſa, ob quam Sacramentum nullum eſſe poterat.

Conf. Quia nihil eſt, quod abſolutionem irritam reddat, & valorem tollat; adeſt enim ſufficiens diſpoſitio ex parte pœnitentis, ut ponitur, adeſt quóque jurisdictio ex parte abſolventis, cùm nullo juris textu hâc abſolvens privetur, cederétque hæc privatio in pœnam innocentum Prælatorum, ſi ob Excommunicationem ſubditorum privarentur jurisdictione antea in ipſos habita. Et eſto daretur talis privatio reſpectu Prælatorum inferiorum; id tamen non procederet in Pontifice, ſi ex ignorantia, oblivione &c. excommunicatum, non præmiſſa cenſuræ abſolutione, abſolveret; nam hujus jurisdictio excommunicatione pœnitentis ſuſpendi non poteſt; atque adeò valida eſſet abſolutio, utpote procedens à legitimo Miniſtro circa pœnitentem ritè diſpoſitum: ergo cenſura ex ſe non reddit Sacramentum irritum. Neque credendum eſt de pietate matris Eccleſiæ velle pœnitentem contritum, ritéque diſpoſitum excludere à Sacramenti receptione, ex qua fortè ejus perpetua Salus pendet.

Neque obſtant fundamenta in oppoſitum allata. Ad 1. R. illud nimium probare; ſi enim vera eſſet illatio in argumento facta, probaret Excommunicatum minori Excommunicatione recipientem Sacramentum Pœnitentiæ inculpabiliter, invalidè illud recipere, ſiquidem per talem cenſuram privatur communione paſſiva Sacramentorum; imò invalidè ſuſciperet quodlibet aliud Sacramentum, quod utique falſum eſt.

Ad 2. R. Eccleſiam per Excommunicationem non ſeparari à ſe excommunicatum, quantùm poteſt, aliàs non permitteret communicationem cum non denunciato, neque pro ipſo denunciato orationes privatas fieri.

Ad 3. Negatur paritas; quia abſolutio data ab Excommunicato, extra articulum mortis, invalida eſt ex defectu jurisdictionis: hæc autem non deeſt in poſito caſu, ut oſtenſum eſt; vi enim Excommunicationis non privatur ſubjectione, ne excommunicatio cedat in innocentum damnum.

Ad 2. Q. An excommunicatus, per contritionem, vel Confeſſionem juſtificatus, particeps fiat omnium ſuffragiorum Eccle- 353

siæ, si per eum non stet, quominùs per Judicis sententiam absolvatur? Affirmant D. Anton. 3. *p. tit. 24. c. 76.* Navar. *c. 21. n. 18.* Covarr. *cap. alma p. 1. §. 6.* Richard. *in 4. d. 18. a. 7. q. 3.* Sayrus *l. 2. cap. 4. n. 5.* Henriq. & alii. Rationem dant, quia videtur alienum à pietate Ecclesiæ, velle eum privare spiritualibus communibus auxiliis, & Diaboli insidiis objicere, qui à culpa, & inobedientia, cujus causâ ipsi tanta pœna inflicta est, penitus recessit, & per contritionem, & Confessionem justificatus est.

Conf. quia excommunicatus contritus est vivum membrum Ecclesiæ: debet ergo vegetari communi spiritu, & subsidiis aliorum membrorum. Nihilominus rectiùs, ac probabiliùs contrarium docent Sotus *in 4. d. 22. q. 1. a. 1.* Suarez *D. 9. Sect. 3.* Coninck *D. 14. dub. 7. diffic. 2.* Gasp. Hurtado *D. 2. diffic. 5.* Palao *l. c. p. 6. n. 8.* Laym. *tr. 5. p. 2. c. 2. n. 4.* la Croix n. 205. aliique. Id, quod haud obscurè sumitur *ex C. à nobis, & C. Sacris de sent. Excomm.* Ubi Innoc. III. decidit pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa contritionis exhibuit, & absolutionem procuravit, & per eum non stetit, quo minùs absolveretur, non esse oblationes recipiendas, neque orationes publicas instituendas, antequam ab Excommunicatione absolvatur; quia licèt solutus sit vinculo culpæ apud Deum; non tamen solutus est vinculo censuræ, quô per Ecclesiæ sententiam ligatus est. Et ratio liquet, quia Excommunicatio non pœnitentiâ, sed absolutione tollitur: atqui Excommunicatione manente manet etiam illius effectus: ergo &c. Neque urget ratio in contrarium adducta; non enim hoc est contra Ecclesiæ benignitatem, cùm cedat ad majorem censuræ reverentiam, & timorem, ut non cesset aliter, quàm authentica absolutione; nam quamvis deposita culpa, & contumacia, censura remitti debeat, id tamen non privato, sed publico judicio, & absolutione fieri debet.

Ad Conf. R. etsi Excommunicatus per contritionem fiat membrum vivum Ecclesiæ, id solùm probare, quòd communicet cum aliis fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus, ob quam communionem orationes illius redduntur gratiores Deo, & faciliùs exaudiuntur; non verò quòd participet influxum spiritualis auxilii, qui ex publicis Ecclesiæ suffragiis provenit; cùm horum privatio sit pars quædam censuræ, quâ homo ille nondum solutus est, ut ponitur.

Ad 3. Q. Excommunicatum 354
voluntariè in Excommunicatione persistentem peccare contra præceptum de Confessione, & Communione annua, si absolutionem non

petat, cùm poteſt præcepto ſatisfacere, affirmant Navar. *c. 21. n. 34.* Suarez *3. p. tom. 3. D. 88. Sect. 6.* Palao *D. 2. de cenſur. p. 9. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2.* Coninck *D. 14. dub. 7. n. 57.* Bonac. *D. 2. q. 1. p. 3. §. 1.* & alii. Ratio eſt, quia hæc præcepta ſunt divina, tametſi ab Eccleſia determinata, & conſequenter obligant ad removenda quælibet impedimenta, quæ illorum executioni obſtare poſſunt, cùm removeri queunt. 2. Quia hæc præcepta etiam quatenus Eccleſiaſtica ſunt, ordinantur ad animæ puritatem, & reconciliationem cum Deo: ergo per ſe obligant ad mundandam animam, & conſequenter ad tollenda impedimenta huic puritati, & reconciliationi obſtantia.

355 An autem excommunicatus, ſi in procuranda abſolutione negligens ſit, peccet etiam contra præceptum de Miſſa audienda? magis controverſum eſt inter DD. Affirmativam ſententiam tenent Didac. Nunnez *3. p. q. 83. a. 6.* Gobat hîc c. 27. n. 95. Avila & alii: Sed rectiùs, ac probabiliùs alii negant cum Navar. Suarez. Bonac. Palao, Laym. Sayro, Ugolin. Coninck. Ills. Dicaſtill. Henriq. & aliis; Quia Eccleſia hoc præcepto noluit obligari Excommunicatum, ſed excludi, ſolósque liberos, ac diſpoſitos ad illius executionem obligat; non autem ut ſe diſponant; cùm ea diſpoſitio ſit valdè remota, & aliàs infirmus, & carcere detentus peccarent contra dictum præceptum, ſi poſſent ab infirmitate, & carcere ſe liberare, valetudinem, vel libertatem procurando, quod tamen negat communior ſententia apud la Croix *l. 1. n. 794.* cum Suarez Bonac. Fagund. Palao, Laym. aliísque citt.

CA-

CASUS LXIII.

De Excommunicatione ob venditionem, & delationem armorum, aliorúmque in Bulla Cœnæ prohibitorum ad Turcas, aliósque infideles contractâ.

ALbertus mercator hungarus non solùm victualia, vestimenta, cultros, coclearia, aliásque merces Turcis ex circumvicinis locis ad se excurrentibus divendere solet, sed etiam, cùm nuper Jubilæum pro felici Christianorum armorum successu concessum publicari audivisset, quô omnibus Confessariis dabatur facultas absolvendi ab omni casu Sedi Apostolicæ reservato, prætextu Bullæ, & spe intra tempus Jubilæi obtinendæ absolutionis, ferrum, gladios, sclopeta, aliáque arma prohibita ad Turcas per se, & per alios defert, quibus caro pretio distractis domum revertitur, & adhuc intra tempus Jubilæi commissum crimen confitetur.

QUÆR. I. An vendentes solùm arma infidelibus in locis Christiano Principi subjectis incurrant Excommunicationem Bullæ Cœnæ, etsi ea ad terras infidelium ipsimet non deferant?

QUÆR. II. An nomine prohibitorum in Bullæ Cœnæ comprehendantur etiam vestimenta, victualia, aliæque merces?

QUÆR. III. An Albertus in posito casu absolvi possit à tali peccato reservato, in quod spe, & prætextu publicati Jubilæi incidit?

356 ANte resolutionem primi Q. notandum est inter alias Excommunicationes in Bulla Cœnæ contentas, eam etiam esse, quâ tria personarum genera excommunicantur, scilicet

Primò deferentes ad Turcas, & Sarracenos, vel quoscumque Christiani nominis hostes, & inimicos sequentia videlicet equos, arma, armorum materiam, ut ferrum, filum ferri, stannum, chalibem, omniá-

omniáque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, (hoc est ligna apta ad faciendas naves, currus, hastas, aggeres, aliáque ad belli usum) funes, materiam funium, aliáque hujusmodi, quibus infideles prædicti Christianos impugnant.

Secundò excommunicantur illi, qui hujusmodi inimicos certiores faciunt de rebus ad Statum Reipublicæ Christianæ pertinentibus in perniciem, & damnum Christianorum.

Tertiò consilium, auxilium, vel favorem eisdem præstantes in eandem perniciem, & damnum. Hoc notato.

356 Ad 1. Q. Dubium oritur circa hoc verbum *deferunt*, seu *deferentes arma*: an vendentes tantùm ejusmodi prohibita in terris Christianorum abque eo, quòd illa deferant ad terras infidelium, comprehendantur sub hac Excommunicatione? Ubi

Negativè respondent Cajetan. *V. Excommunicatio cap. 20.* Navar. *in C. ita quorundam de Judæis n. 41.* Tolet *de cas. Bull. Cœn. Excomm. 5.* Sayrus *l. 13. cap. 11. n. 26.* & alii eâ ratione moti, quòd cùm hæc materia sit pœnalis, verba sint intelligenda in propria sua significatione, sine ampliatione, cùm enim pœna sit odiosa, ex regula juris potiùs est restringenda, quàm amplianda: deferre autem dicit motum ad locum, neque idem est, quod vendere: ergo. Accedit, quòd si Legislator censuræ Excommunicationis subjicere voluisset etiam vendentes ea, quæ vetat deferri, potuisset id verbis exprimere; imò debuisset ad vitandas voces ambiguas, & æquivocas: cùm ergo id non expresserit, dicendum est, noluisse sub ea excommunicatione comprehendere vendentes. His non obstantibus

357 Affirmativam sententiam amplectuntur, ac tuentur Sylvest. *in verb. Excommunicat. 7. n. 64.* Angel *V. Excommun. 5. casu 21. n. 6.* Rosell. *V. Absolutio 1. n. 88. 93. &c.* Joann. Tabiens. *V. Excommun. tit. 6. n. 11.* Comital. *l. 6. q. 11. n. 3.* Palao *de censur. D. 3. pun. 8. n. 12.* Bonac. *D. 1. q. 8. p. 2. n. 31.* aliique ab hoc relati.

Moventur 1. Quia delatio armorum, aliarúmque rerum hîc prohibitarum non est vetita, neque excommunicationi subjecta, nisi propter venditionem, & traditionem: ergo ipsa traditio per se videtur interdicta; si enim quis ad loca Sarracenorum cum armis proficisceretur eo solùm animo, ut iisdem armis in via se tueri possit, eademque domum secum referret, Censuram Bullæ effugeret; ergo ipsa delatio per se ve-

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

tita & punita non est, sed propter venditionem & traditionem.

Secundò, quia verus sensus, & legitima interpretatio legis, ex fine, qui intimus est legi, & ex voluntate Legislatoris desumi debet: sed finis legis prohibentis delationem armorum, & reliquarum rerum prohibitarum, & voluntas Legislatoris, est, ne capitalissimis Christiani populi hostibus eo genere rerum ulla adversus Christianos auxilia suppeditarentur ad nos oppugnandos: nihil igitur interest, an ea auxilia eis suppeditentur, & præstentur rebus illis, seu deferendis, seu vendendis, seu quovis alio titulo tradendis, quocumque enim modo arma, aliaque prohibita subministrentur, contra finem legis, & voluntatem Legislatoris subministrantur, siquidem mens omnium Pontificum est, & esse debet, arma, aliáque in eorum Constitutionibus posita prohibere, ne mediantibus illis infideles validiores, & fortiores reddantur ad impugnandos Christianos: atqui infideles æquè validiores, & fortiores evadunt adversus Christianos per arma eis vendita, & ab eis asportanda, ac per arma ad eos delata: ergo.

358 Secunda hæc sententia tenenda videtur, & alteri præferenda, siquidem sequi convenit id, quod æquitas, & ratio, & communis utilitas, justáque Legislatoris voluntas suadet: hæc autem omnia suadent id, quod hæc secunda sententia tenet. Contra verò opposita sententia in vocabulorum notione hæret, Christianæ Religionis commoda corrumpit, Legislatorum mentem eludit, & viam aperit innumeris fraudibus, ac dolis.

Nec urget ejus ratio in contrarium allata; nam etsi interdictum illud sit in materia pœnali, non odium, seu pœna privatis delinquentibus constituta hîc spectari debet, sed favor amplissimus, & beneficium necessarium, ac maximum, quô Canon ille cunctum fidelium cœtum, Catholicásque Provincias prosequitur, quarum commune bonum promovere, & malum avertere intendit, & idcircò ampliſſimam interpretationem admittit. Unde

Et Panormit. in *c. ex tenore, qui filii sint legitimi*, nota, inquit, singularem rationem Joann. Andreæ, quòd constitutio pœnalis debeat extendi, & largo modo interpretari, quando emanat, ut evitentur animarum pericula.

Ad rationem subjunctam R. Legislatores legem salutarem ferentes non solere illorum omnium mentionem facere, qui per fraudem sunt legem violaturi: dein hoc ipso quòd actio deferendi

propter

propter ipsam venditionem, & traditionem vetita sit, ipsam quóque venditionem & traditionem multò magis à Legislatore interdictas esse oportet, idque colligi potest ex fine legis, & clara mente Pontificum, esto id non eruatur ex propria vi, & significatione delationis. Nota autem hîc, etsi ejusmodi arma vendentes non incurrerent Excommunicationem Bullæ Cœnæ, incurrere tamen Excommunicationem latam *in cap. ad liberandum de Judæis*; quia ibi excommunicantur arma Sarracenis vendentes.

359 Ad 2. Q. Censent Suarez *t. 5. de censur. D. 21. Sect.* & Bonac. *t. 3. de censur. D. 1. q. 8. p. 2.* cum aliis inter prohibita in Bulla Cœnæ contineri etiam vestimenta, victualia, aliásque merces, si hæc transmittantur tempore belli, seu eo tempore, quô infideles eis uti possunt in damnum Religionis Christianæ. Rationem dant, tum quia hæc videntur comprehendi sub illis verbis generalibus, *& alia hujusmodi*. Tum quia his rebus auxilium, & favor quomodolibet præstatur hostibus Religionis nostræ, cùm hæc sint bello gerendo vel maximè apta: atqui in dicta Bulla excommunicantur auxilium, consilium, & favorem infidelibus præstantes: ergo.

Contrariam tamen sententiam 360
satis probabiliter defendunt Cajetan. l. c. Navar. l. c. Panormitan. *in cap. significavit de Judæis*, Talet l. c. Palao l. c. aliique; quia iis formaliter non oppugnantur Christiani, neque illa per se ad bellandum deserviunt, sed ad alios usus destinantur. Nec obstare ajunt, quòd in præfata Bulla excommunicentur auxilium, & favorem infidelibus præstantes; quia id intelligi debet de auxilio consistente in monitione de Statu Reipublicæ Christianæ, & delatione armorum, aliarúmque rerum, quibus fit oppugnatio, & non de illis, quæ per se bello non deserviunt, sed aliis usibus sunt accommodatæ.

Cæterùm etsi hujusmodi vendentes, & deferentes non incurrerent censuram Bullæ Cœnæ; incurrunt tamen censuram à jure inflictam iis, qui tempore belli non solùm Commeatum, arma, aut alia belli subsidia, sed etiam qui merces quascúmque ad infideles deferunt; ne occasione commerciorum iisdem prodantur arcana Christianorum consilia, *cap. quod olim 12. h. tit.* & ibi Abbas n. 1. Barbos. n. 2. König. n. 11. Wiestn. n. 17. Pirhing n. 36. Schmalzgr. n. 46. aliique.

361 Ad 3. Q. Videtur Albertum prætextu & ſpe Bullæ, ac abſolutionis obtinendæ peccantem non poſſe vigore promulgatæ Bullæ abſolvi à cenſura, quam ita incurrit; ídque ideò.

Primò; quia indignus eſt privilegio, ejúsque amiſſionem meretur, qui eo abutitur, ut arguit Covarr. *l. 2. var. c. 20.* nemóque debet ex proprio ſuo dolo commodum reportare.

Secundò, quia mens Pontificis privilegium concedentis non eſt, præbere occaſionem, & incitamentum ad peccata committenda, ſed potiùs remedium ſuppeditare ad ea tollenda.

Tertiò, qui ſpe veniæ, & immunitatis alterum in Eccleſia occidit, non gaudet immunitate Eccleſiaſtica: ergo à pari, qui ſpe privilegii delinquit, non gaudet privilegio. His non obſtantibus.

Communis & verior opinio teſte Th. Sanch. *l. 4. cap. 54. n. 18.* & Viva q. 11. a. 3. affirmat Albertum ſpe Bullæ, & confidentia obtinendæ abſolutionis delinquentem poſſe abſolvi, & gratiæ conceſſæ participem fieri, ſi delictum ſuum confiteatur adhuc intra tempus in Bulla ad lucrandum Jubilæum determinatum. Ratio eſt, quia facultas abſolvendi in dicta Bulla conceſſa ſe extendit, ſeu reſpicit aſſignatum tempus Confeſſionis debito modo peragendæ: ergo ſi tunc, quando confitetur, nullum ponit obicem, præſtátque præſtanda, poteſt, ac debet abſolvi, præſertim cùm circumſtantia temporis non ſit neceſſariò exponenda, ut habet communis cum S. Thom. *in 3. ſent. diſt. 37. a. 7. q. 2.* Unde nullus Confeſſarius per ſe tenetur interrogare pœnitentem, quo tempore peccaverit.

Secundò, quia peccare confidentia, & ſpe impunitatis non excludit peccantem à participatione privilegii, & gratiæ, quam Princeps concedit, & expreſsè, ac explicitè non limitat, ſiquidem privilegium, in nullius damnum, aut præjudicium redundans, ſed ad ſpiritualem omnium lætitiam conceſſum, latè accipiendum eſt, favores enim convenit ampliari. Imò defacto multi ex fidelibus peccant ſpe veniæ obtinendæ, nec tamen propterea incapaces reddúntur abſolutionis, multique Clerici ſub confidentia, & ſpe, quòd à Judice laico non ſint puniendi, gravia patrant delicta, & ſuis utuntur exemptionibus, ac privilegiis nulla ratione habita, an ante illorum conceſſionem peccaverint, vel poſtea: ergo non eſt, cur non poſſit pariter abſolvi ille, qui peccat prætextu Bullæ & ſpe Indulgentiæ obtinendæ, cùm peccare ſpe veniæ non ſit circumſtantia mutans ſpeciem, imò potiùs minuens

quàm

quàm aggravans, ut probat Cajetan. 2. 2. q. 121. a. 2. cùm sit de fine bono. Neque obstare videntur rationes in contrarium adductæ.

Ad 1. enim R. ea non procedere in foro conscientiæ, ubi solumodo attenditur dolor, & contritio requisita de omnibus commissis peccatis pro eo tempore Confessionis peragendæ, pro quo absolvendi conceditur facultas: hæc autem in posito casu non est solùm ad tempus concessionem antecedens, sed etiam subsequens, si quidem Bulla omne tempus complectitur ipsum actum absolutionis antecedens, ut adeò vi Bullæ possit absolvi quiscumque, qui in Excommunicationem incidit, usque ad illud ultimum tempus, quod in Bulla determinatur, & exprimitur. Neque ex eo, quòd privilegio abutens mereatur ejus amissionem, sequitur eum illud amittere ipso facto. Et licèt fraudem, dolúmque nulli suffragari velis, pœnitentia tamen de fraude, & dolo vel maximè prodest; peccatum enim non ex se, sed ratione impœnitentiæ, ac perseverantiæ irremissibile dicitur; hoc autem non contingit in posito casu, cùm Albertus non animo perseverandi, sed confitendi, & absolutionem obtinendi in dictam censuram incideriť.

Ad 2. R. etsi intentio Pontificis non sit, occasionem, ansámque præbere delinquendi, si tamen quis per accidens eam ex Bulla arripiat, non propterea à concessa in Bulla gratia excludendus est, nisi id clarè, expresséque exprimatur, sic multi ex Divina misericordia, & benignitate, quâ peccatoribus, quamprimùm resipuerint, veniam pollicetur, occasionem arripiunt delinquendi, nullus tamen tam grande peccatum committit, cujus remissionem, si de illo verè doleat, à Deo non obtineat, quia scilicet licèt peccare spe veniæ obtinendæ malum sit, non tamen excludit sic peccantem à lege veniam peccati concedente.

Ad 3. R. n. conseq. & parit. disparitas est, quòd homicidium in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio commissum, sit unum ex criminibus à jure exceptis *C. fin. h. tit. c. si quis 5. de homic. & Constit. Gregor. XIV.* quæ proin crimina delinquentem sacro privant Asylo; nihil autem tale ponitur fuisse expressum, vel exceptum in præfata Bulla concessi Jubilæi.

CASUS LXIV.

De vitanda communione cum excommunicatis.

Silla ob commissum grave crimen publicè Viennæ excommunicatus, & denuntiatus, illinc excessit, & Venetias petiit, ubi ejus excommunicatio ignorabatur, ibique domum emit, & mercaturam exercet: sub idem ferè tempus Venetias venit Cyrus mercator, cui perbenè nota est silæ excommunicatio, utpote qui tempore latæ, & publicè promulgatæ excommunicationis Viennæ fuerat.

QUÆR. I. An Cyrus debeat Venetiis Silam vitare tanquam excommunicatum, tam privatim, quàm publicè ?

QUÆR. II. An validi sint contractus ab excommunicato tempore excommunicationis initi ?

QUÆR. III. An communicare cum excommunicato extra tempora jure permissa peccatum sit mortale, an vero solùm veniale ?

QUÆR. IV. An sacramentum pœnitentiæ, collatum excommunicato excommunicatione minore, validum sit, & an omnis sacerdos, etiam simplex, ab hac excommunicatione absolvere possit ?

362 AD 1. Q. Satis convenit inter DD. si notitia de excommunicati censura tibi certa sit, à privato convictu & communione abstinendum esse, an autem talis excommunicatus, de cujus condemnatione nulla est in tali loco fama, vel publicus sermo, etiam publicè vitandus sit, disceptatur inter DD. Negant Palud. *q. 6. a. 1. & 2.* Durand. *in 4 dist. q. 5.* & Gabriel. *q. 3. a. 1. litt. G.* Alii verò cum D. Antonin. *in 3. par. tit 25. c. 1. §. 1.* Sylvest. *V. excommunicat. n. 26.* Armilla *V. eod. n. 61.* Rosella *n. 39.* affirmant

mant, & ajunt, si excommunicatio Silæ Venetiis probari potest, in publico vitandum esse, secùs si probari non possit.

Alii, ídque probabiliùs, cum Innoc. *in cap. inquisitioni, de sentent. excomm.* n. 2. Panormit. *in cap. cùm non ad homines de sentent. excommun.* Covarr. *cap. Alma mater de sentent. excommun. l. 5. p. 2. §. 3.* Navar. in *cap. inter verba 11. q. 3.* Comitol. aliisque censent, non solùm à privata, sed etiam à publica congressione, & communione omninò abstinendum esse. Rationem dant 1. Quia Lex Ecclesiæ excommunicatum non toleratum universaliter, & ubique à fidelibus vitari præcipit: ergo in omni loco, & tam privatim, quàm publicè. 2. Quia quinque tantùm casus excipiuntur, qui cum excommunicato consuetudinem, & communicationem permittunt, hoc versu comprehensi, videlicet *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Atqui nullus ex his suffragatur Cyro, ut cum Sila excommunicato communicare possit. Si enim aliquis suffragaretur, esset necessitas tuendæ famæ Silæ excommunicati; sed hæc non est, tum quia Cyrus mercator multas causas, & modos non congrediendi palam cum Sila, aut ab eo digrediendi invenire potest sine ulla Silæ offensione, & ignominia; tum quia Silæ publicè per sententiam condemnato, & denunciato nullum suppetit jus aut famæ defendendæ, aut infamiæ propulsandæ contra justam Ecclesiæ sententiam, quæ in excommunicatum, qualis est Sila, acerbiore pœna, quàm infamia sit, animadvertit, & deteriore conditione esse decernit, quàm reliquos infames, quorum crimina per Judicis condemnatoriam sententiam publicata aliis etiam locis sine injuria evulgari possunt, prout docent Major *in 4. dist. 19. q. 2.* Suarez *to. 5. dist. 48. S. 1. n 9.* Molin. *disp. 33. concl. 2.* Navar. *in man. c. 18. n. 26.* Valent. *t. 3. D. 5. q. 17. p. 2.* Sotus, Tolet. aliique. Quia sicut Magistratus in criminis vindictam Reum corporis, & fortunarum bonis, ita & famâ spoliandi jus habet: idque re ipsa efficere decernit, quando eum publicâ sententiâ publicè, & coram populo de crimine condemnat, & potestatem concedit criminis divulgandi.

Ad 2. Q. sciendum est excommunicatum præter divina, & sacra, usúmque activum, & passivum sacramentorum privari quoque fidelium communicatione in Civilibus, scilicet 1. communicatione forensi, & omni actu pertinente ad Judicium; unde excommunicatus non toleratus nequit esse Judex, Actor, Advocatus, Tabellio, Procurator &c. 2. Privatur usu quocumque officii politici, publici. 3. Quacunque obligatione civili, & contractu, hoc ipso, 364

quòd

quòd contrahendo communicaret cum fidelibus: Unde dubium, & controversum est, an, si nihilominus talis excommunicatus contraheret cum non excommunicato, talis contractus sit validus, & utrinque obligatorius? Ubi

Non nulli cum Hostiensi distinguunt, & siquidem contractus initi sint in favorem aliorum contrahentium non excommunicatorum, censent hosce contractus validos esse; secùs si facti sint in favorem excommunicati. Horum ratio est; quia si excommunicatus petat in Judicio executioni mandari contractus in excommunicatione initos, repellitur, & non auditur; contrà verò si petat non excommunicatus, qui cum excommunicato contraxit, auditur, potéstque contra eum agere juxta *C. piæ 1. de Except. in 6.* ergo signum est contractum initum in favorem excommunicati infirmum esse, benè autem valere, si in aliorum non excommunicatorum favorem, & commodum factus sit. 2. Quia excommunicati Legibus contrahere prohibentur: atqui quod contra Leges fit, Legum assistentiam non habet, sed pro infecto habetur, ut patet *ex l. non dubium 5. C. de LL.* ubi Imperatores generaliter decernunt, *ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.* Nihilominus

Probabiliùs, veriúsque contractus ab excommunicato tempore excommunicationis initos utrinque validos esse; docent DD. cum Abb. *in c. ad probandum n. 8. de sent. & re judic.* Covar. *in c. almæ, p. 1. §. 1. n. 9.* Valq. *de excomm. dub. 8.* Palao *tr. 29. de 2. p. 16. n. 3.* Coninck. *D. 14. dub. 12. n. 119.* Krim. n. 2002. aliíque communiter. Ratio est, quia etsi tales contractus prohibeantur, nullus tamen ostendi potest textus, qui eos irritet, & annullet; multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent: atque adeò valida est venditio, emptio, locatio &c. ab excommunicato facta, prout colligitur ex *can. quoniam multos 103. cas. 11. q. 3.* & *C. si verè 34. h. tit.* Validum quoque est testamentum ab excommunicato conditum; nam quamvis illicitè testetur, vocando testes & Notarium, & cum illis communicando, testamentum tamen ita conditum nullo jure irritatum reperitur. Valet etiam donatio tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato facta, ut patet ex *C. inter dilectos 8. de donat.* Valetitem matrimonium, quod contrahitur ab excommunicato vitando, ut cum aliis citt. docent Castrop. citt. *p. 16.* & Dicastill. n. 822. quia Excommunicatio non impedit conjugalem convictum, postquam matrimonium est contractum: ergo. Atque adeò etsi excommunicatus stante excommunicatione peccet contrahendo, contractus tamen

men matrimonialis validus erit. Dein esto contrahentes ad cohabitationem se obligare nequeant stante excommunicatione, possunt tamen absolutè se obligare ad mutuam cohabitationem, quod sufficit, ut matrimonium subsistat. Unde

Ad argumenta in contrarium allata.

R. ad 1. excommunicatum non ideò repelli, quòd contractus ab eo initus sit invalidus, sed quia privatur omni actu pertinenti ad Judicium, ut suprà insinuatum est, donec ab excomunicatione absolvatur, à qua proin absolutus potest personam standi in Judicio habere, & agere pro obligatione sibi excommunicato facta, ut notat Palao cum aliis l. c.

366 Ad 2. Lex illa, ut notant citt. DD. intelligenda est de iis, quæ fiunt contra Legem irritantem & annullantem; non verò de iis, quæ fiunt contra Legem duntaxat prohibentem; multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Ad 3. Q. an extra quinque tempora jure permissa non vitare eos, quos suâ sententiâ Ecclesia à fidelium cœtu semovit, peccatum sit mortale, an potiùs culpa levis, satis convenit inter DD. peccatum esse lethale in aliquibus saltem casibus, quos alii plures, alii pauciores numerant. S. Thom. in *4. sentent. dist. 18. q. 2. a. 4. ad quæstione. 3. Et quodlib. 11. q. 8. a. 9.* tres tantùm enumerat. Primus est, quando communicatur cum excommunicato in crimine, seu in causa excommunicationis. Secundus, quando in divinis. Tertius, quando in Ecclesiæ, vel clavium contemptum. Sotus in *4. dist. 22. q. 1. a. 4. concl. 4.* tres pariter assignat, qui excommunicatione majore afficiunt communicantem cum excommunicato. Primus, quando communicat in crimine, propter quod Ecclesia anathematis gladio excommunicatum ferit. Secundus, cùm communicat cum eo, quem nominatim excommunicavit Romanus Pontifex. Tertius, quando pronunciata est sententia in omnes participantes. Ex his

Alii communiter hos quatuor desumunt, & assignant. Primus est, quando quis cum excommunicato communicat in crimine criminoso, *C. nuper 29. si concubinæ 55. h. t. c. statuimus 3.* id est, in crimine, ob cujus causam aliquis excommunicatur, dando illi v. g. consilium, præstando auxilium &c. qui proin præter peccatum mortale, incurrit etiam excommunicationem majorem. Secundus. Si communicet cum excommunicato post latam sententiam contra participantes, qui pariter præter peccatum lethale incurrit etiam excommunicationem majorem ex C. *quod in dubiis 30.*

V. secus autem h. tit. Si quidem specialim, & ter fuerit monitus, *C. statuimus citt.* Tertius, si quis communicet cum excommunicato à summo Pontifice, ut colligitur ex *C. significavit 18. h. t.* ubi Clemens III. excommunicat omnes Clericos, qui participant scienter, & sponte cum iis, qui sunt excommunicati à Papa, & eos ad officia recipiunt; estque hæc censura majoris excommunicationis, quæ tamen ut incurratur, quinque requiruntur, ut notant Ostiens. Joan. Andr. Panormitan. Primò, ut participantes sint Clerici. 2. Ut scienter. 3. Ut sponte. 4. Ut in divinis participent. 5. Ut cum excommunicato à Papa. Unde Laici, si cùm hujusmodi excommunicatis participaverint, excommunicationem incurrunt tantùm minorem; majorem verò, si fuerint Clerici; quam interpretationem, & opinionem esse communem DD. affirmant Panormitan. & Sylvestr. *V. excommunicatio, 5. n. 6. §. sciendum est tertio.*

Quartus, si communicet in rebus divinis, & Officio Divino, saltem publicè dicto, ut vult Palao l. c. n. 2. cum Covar. & Valq. Quia hæc communicatio, utpote maxima, ex vi ipsius excommunicationis directè prohibetur, & mortale censetur ob gravitatem materiæ.

367 Extra hos casus, & tempora jure permissa, communicare in Civilibus cum excommunicato regulariter esse tantùm culpam venialem, secluso contemptu, incurríque duntaxat excommunicationem minorem, docent communiter DD. cum S. Th. l. c. Durand. *q. 5. n. 8.* Adrian. *in 3. q. de clavib. except. 8.* Paludan. *in 4. dist. 18. q. 6. a. 3.* Navarr. *Man. c. 27. n. 29.* Panormitan. in C. *sacris, de iis, quæ metûs causa.* Covar. C. *Alma mater p. 2. §. 3. n. 7.* Soto *in 4. dist. 22. q. 1. a. 4. concl. 1.* affirmante, assentiri omnes Theologos, & sapientiores Canonistas. Rationes hujus Theologicæ sententiæ plures afferunt citt DD. inter quas illa etiam est S. Th. l. c. *quæstiunc. 3.* Quòd, si propter verba, quæ cum excommunicatis fiunt, & salutationes, crimina flammis sempiternis digna contraherent homines christiani, excommunicantes multis, ut ille ait, laqueum damnationis iniicerent, qui in ipsos retorqueretur. 2. Quia, ut inquit Gabriel *in 4. dist. 18. q. 3. a. 1.* Ecclesia nec vult, nec solita est pro unius flagitiosi, & contumacis salute insontes quamplurimos æternæ damnationis, & mortiferæ noxæ periculo exponere; id enim nec communis boni ratio, nec lex charitatis permittit: ergo cùm tam proclives sint homines ad colloquendum, & inter se consalutandum, nulla ratione credendum est, ob isthæc humanitatis, civilísque communionis officia,

officia, divina amicitia, æternáque felicitate eos privare velle. Accedit, quod idem Gabriel advertit, modica aliâ vel nulla esset differentia inter excommunicationem majorem, & minorem, quantum ad damnum animæ; nam utraque haberet eundem effectum, quantum ad damnum illatum animæ; quia utraque induceret extremum malum, scilicet separationem à corpore Christi mystico, privationem gratiæ & gloriæ, & damnationem mortis sempiternæ: non est autem hoc præsumendum, quòd Ecclesia pia mater tantum malum filiis suis inferre velit pro levi actu comunionis cum excommunicato sine pertinacia, & contemptu. Sed Dices 1. criminosum est violare Ecclesiæ legem; lex autem Ecclesiæ prohibet fidelibus congressum, collocutionem, & consuetudinem cum excommunicato: ergo. 2. Juxta Can. *excommunicatos 17. caus. 11. q. 3.* communicans cum excommunicato innodatur *simili excommunicatione*: ergo majore, & conseq. graviter delinquit.

Rdet ad 1. Gabriel ex S. Th. non omnem legem Ecclesiæ, eam præsertim, quæ pœnâ afficit, culpâ mortiferâ contaminare eos, qui non parent. & Adrianus l. c. tanquam rem minimè dubiam habet, non omnes leges Ecclesiæ obligare ad mortale peccatum, sicut nec omnia præcepta Divina, ut est præceptum de non mentiendo, de non decipiendo, de non dicendo verbo otioso, & in hoc genere præceptorum locat præceptum de vitanda communione cum excommunicato in humanis, & Civilibus.

R. ad 2. n. c. nam ut cum aliis advertit Covar. in citt. *c. alma p. 1. §. 3. n. 3.* textus ille non est intelligendus de similitudine omnimoda, & æquali, sed proportionaliter, seu secundùm proportionem, ut sensus sit, utrumque incurrere censuram, ita ut sicut ille excommunicatus est excommunicatione majore, sic communicans cum illo excommunicetur excommunicatione minore.

Ad primum 4. Q. membr. ne- 368
gativam sententiam tenent Paludan. *in 4. dist. 17. q. 6. a. 3.* D. Antonin. *in 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. casu 5. de iterand. Confess.* Sotus in 6. dist. 22. q. 1. a. 1. Sylvest. *V. Confessio, §. 5.* Armill. & alii.

Affirmativam sententiam, idque longè veriùs, ac probabiliùs, tuentur Richard. *in 4. dist. 18. a. 1. q. 4.* Cajetan. *in summa, V. absolutionis impedimentum, & V. Confessionis iteratio &c.* Na-

var. c. 9. Covar. *in Comentar. cap. alma mater p.* 1. §. *6.* Petr. Sotus in *inſtitut. Sacerd. ſect. 4. de excomm.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 21. n. 7.* Henriq. *l. 13. de excom. c. 3. n. 3.* Bonac. *D. 2. q. 3. n. 3.* aliíque complures contendentes valere hoc ſacramentum excommunicato collatum, cùm bona fide illud ſuſcipit, v. g. ſi hîc, & nunc non cogitet de cenſura contracta, vel petat priùs ab ea abſolvi, ſed ſacerdos ex malitia, vel ex ignorantia id non præſtet.

Ratio eſt, quia ut notat Cajetan. cum aliis, nullo jure cautum eſt, abſolutionem ſacramentalem, de quâ hîc ſermo eſt, irritam, & nullam eſſe. 2. Quia Eccleſia talem excommunicatum ſolùm removet à ſacramentis Eccleſiæ, illorum perceptionem prohibendo, non tamen irritando; Nec expediens fuit, hanc irritationem facere, eò quòd ſacramentum hoc ſit fidelibus maximè neceſſarium, éſtque difficile creditu, ſolùm ſacramentum pœnitentiæ collatum excommunicato caſſum, & nullum eſſe, cùm reliqua non ſint irrita.

369 Ad ſecundum 4. Q. membr. cenſent non nulli cum Navar. *Man. c. 27. n. 25. & 39.* Tolet. *l. 1. ſumm. cap. 17. num. 7.* Vivald. *Candel. p. 2. tract. de excomm. n. 12.* Vallenſ. *hîc §. 7. n. 1.* poſſe quemlibet ſacerdotem, etiam ſimplicem, abſolvere ab hac excommunicatione.

Rationem dant; quia excommunicatio minor regulariter contrahitur ob culpam venialem: ergo qui poteſt abſolvere à venialibus, hoc ipſo abſolvere poteſt ab hac excommunicatione, utpote quæ abſolutioni peccatorum præmitti debet. Nihilominus

Non poſſe ſimplicem ſacerdotem ab hac excommunicatione abſolvere probabiliùs negant alii cum Cajetan. *V. abſolutio fin.* & *V. Excommunicatio minor.* Covar. *in citt. C. Alma.* Suarez. *D. 7. de cenſur. S. 4. n. 17.* Coninck. *D. 14. dub. 17.* Palao *p. 21. citt. n. 23.* Bonac. *D. 2. de excomm. q. 3. n. 15.* Filliuc. *tr. 13. c. 7. q. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3.* Sot. Henriq. Sayr. Avil. aliíſque compluribus. Ratio deſumitur ex *c. nuper 29.* ubi Pontifex interrogatus, an ſimplex ſacerdos ab hac excommunicatione abſolvere poſſit, reſpondit abſolvere poſſe proprium Epiſcopum, vel ſacerdotem proprium; ſi autem etiam ſimplex ſacerdos id poſſet, non expreſſiſſet proprium Epiſcopum, vel ſacerdotem proprium. 2. Quia abſo-

absolutio sacramentalis à peccatis, & absolutio à censuris sunt valdè diversæ, prior enim ad forum internum pœnitentiæ pertinet; posterior ad forum externum contentiosum; quæ proin nemini competere potest, nisi vel in externo foro jurisdictionem obtineat, vel ipsi à jure, aut ab homine talis potestas sit commissa: atqui in jure non habetur, quòd ea potestas commissa sit etiam simplici sacerdoti, sed solùm proprio sacerdoti, quo nomine in hac materia intelligitur non tantùm, qui ordinariam jurisdictionem habet ad absolvendum à mortalibus, sed etiam qui delegatam habet, juxta *c. omnis utriúsque de pœnit. & remiss.* Unde

Ad argumentum in contrarium, n. consl. quia absolutio à peccatis venialibus, & absolutio à censura latè inter se differunt, ut modò dictum est. Accedit, quòd hodie non liceat cuilibet sacerdoti etiam simplici absolvere à venialibus peccatis, ut patet, ex Decreto Innoc. XI. de communion. quotidiana, à me citato in libello de Confessione, & Communione p. 1. num. 111. quod emanavit 12. Febr. ann. 1679.

CASUS LXV.

De Clerico, Religioso, & Sæculari personatis, seu larvatis.

LIbertus Clericus, Onufrius Religiosus Professus veste Sæculari induti, & Lepidius Sæcularis amictus veste Religiosa diebus Bacchanalibus per Urbem larvati incedunt, & post varios jocos exercitos aliis se jungunt personatis Lajcis, inter quos rixa excitata Onufrius à Lepidio Sæculari insigniter vapulavit, detracta etiam larva, quâ tegebatur.

QUÆR. I. An Liberius Clericus, & Onufrius Religiosus graviter peccaverint ita larvati per Urbem incedendo?

QUÆR. II. An Onufrius Religiosus aliquam censuram incurrerit per habitûs Religiosi depositionem, vel ejusdem retenti occultationem?

QUÆR. III. An Lepidius Sæcularis veste Religiosa indutus graviter deliquerit ita per Urbem incedendo, & an Excommunicationem incurrerit Onifrium Religiosum larvatum percutiendo?

370 AD 1. Q. R. Cum Hieronym. Garcia in *Summ. Theolog. moral. tr. 1. difficult. 2. dub. 2.* Barbos. *in Collectan. Juris Eccles. l. 1. c. 40. n. 64.* Panormitan. *in cap. cùm decorem de vita, & honest. Cleric.* Sylvest. *V. Ludus n. 2.* Angel. aliisque, Libertum, & Onufrium, per se loquendo, lethaliter peccâsse ita indecorè, & immodestè per Urbem incedendo. Prob. 1. ex *cap. cùm ad decorem 2.* & *cap. Clerici, 15. de vit. & honest. Cleric.* Ubi ejusmodi incessus Clericorum turpitudo vocatur, & corruptella, præcipitúrque, ut extirpetur, ne per eum Ecclesiæ honestas inquinetur. Unde

Prob. 2. gravi injuria, & dedecore afficere Ordinem tum Ecclesiasticum, tum Religiosum, iisque turpem notam inurere, pec-

peccatum est lethale: hoc faciunt omnes, quicúmque caput suum sacrum, sacrámque personam, & Ordinem sacrum tali infami larva, turpi vestitu, & incessu indecoro dedecorant: ergo.

P. 3. Ecclesia tanti semper fecit externam Clericorum modestiam, & compositionem, ut indecorum, & immodestum ejusmodi incessum pluribus monitis, & decretis cavere voluerit: imò Si ad conservandum decorem Clericalem sub gravibus pœnis prohibuit gestationem vestium Clericali Statui minùs congruentium, quantò magis prohibere, & improbare censenda erit ejusmodi tam indecorum vestitum, incessum tam immodestum, & actiones tam ineptas, lepidas, & turpes?

Confirmatur. Prohibitum est Clericis interesse spectaculis, quæ aut obscœnitatem, aut turpitudinem, aut deformitatem habent, oportétque eos recedere ab iis mensis, ad quas mimi, & parasiti accedunt, ex *Can. non oportet, de Consecrat. distin. 5.* & *C. Clerici citt.* ergo multò minùs licebit ita larvatos incedere; quorum enim fas non est audire voces, intueri gestus &c. multò minùs fas erit sub tali vestitu eorum imitari dicta, actiones, & mores.

R. Ad 2. Q. Onufrium Religiosum non solùm graviter deliquisse, sed etiam Excommunicationem incurrisse ita habitum Religiosum dimittendo, & commutando. Ita Cajetan. V. *Excommunicatio*, Sylvest. Navarr. Angel. D. Antoninus cum aliis communiter *in 3. part. tit. 24. c. 53.* ubi Excommunicationem hanc examinat, & evolvit. Patet id ex Bonfacii VIII. Decretali, *ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi, l. 6.* ubi ita loquitur: Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne de cætero aliquis quamcúmque Religionem tacitè, vel expressè professus, in Scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat, &c. -- -- -- -- si quis autem horum temerarius violator extiterit, Excommunicationis incurrat sententiam ipso facto; Onufrium autem in posito casu temerè egisse habitum Religiosum dimittendo, & cum profano personatorum commutando, quis non videt? Sola enim causa justa, & rationabilis dimissionem habitûs Religiosi licitam facit secundùm explanationem Glossæ in verbo *temerè* à Cajetan. Sylvest. cunctísque aliis receptæ: Unde D. Antoninus l. c. si dimittat, inquit, Navarr, cunctísque vel transformet habitum, ut faciat aliquod malum, ut scilicet fornicetur, vel hujusmodi, non est 371

est dubium, quòd est excommunicatus, secundùm Petrum de Palude in 4. habitum autem dimittere propter larvam Clericis interdictam, & actiones tam turpes, lepidas, & indecoras, vel etiam scandolosas, causam esse malam,& flagitiosam per se liquet, & constat ex rationibus suprà adductis.

Cæterùm ex causa justa, & rationabili posse habitum Religiosum dimitti, quin censura incurratur, communiter admittunt DD. cum Glossa *V. temerè*, & *c. 11. h. tit. V. professi.* Ut si habitum dimittas, aut commutes ob probabile aliquod periculum, ad vitandum scandalum, ad majorem animarum fructum ferendum, ad lavandum corpus, ad necandas bestiolas corpori molestas, & ut verbo dicam, quoties vel necessaria vitæ causa, vel alienæ salutis, & charitatis Christianæ suadet habitûs depositionem, extra culpam, & Excommunicationem habitus dimittitur. Paludanus *in 4. distin. 18. q. 3. a. 3. cas. 12.* ab incursione Excommunicationis liberum pronuntiat eum, qui Religiosum habitum ex jocosa levitate deponit, ut ad horam currat ad certum terminum, vel ut lapides projiciat, approbantibus id D. Antonino, Navarro, & aliis, sed Rosella improbante, *V. Excommunicatio.*

Ad 2. Q. Memb. 2. An, si Onufrius retenta Religiosa veste mimicam, & personatam corpori injecerit, & Religiosam sic occultaverit, censuram incurrerit? Respondet negativè Panormitanus *in cap. Deus, qui de vita, & honest. Clericor.* ubi Innoc. III. & Canonicis, & Monachis,qui Evangelium Livoniensibus enuntiabant, præcipit, ut omnes uno habitu exteriore utantur,quemadmodum unum Evangelium prædicabant. 372

Verùm Onufrium Religiosum in eo etiam casu innodari censurâ,rectè, ac meliùs affirmant Glossa in *Clement. 2.de vit. & honest. Cleric.* Navarr. in Summ. cap. 27. n. 132 Cajetan.V. *Excommunicatio cap. 61.* Sylvest. V. *excommunicatio*, Comitol. Armill. Mayor. Jo. Andr. aliique. Ratio sumitur ex mente Pontificis, ex fructu, & ædificatione per habitûs gestationem procurandis, ac promovendis, & ex evitatione inconvenientium, & incommodorum ex illius non gestatione emergentium, quibus Pontifex per totam illam Decretalem *ut periculosa* obviare voluit: atqui, si Religiosis occultandi habitûs facultas daretur,nec legis utilitas, quæ intenditur,nec incommoda, & inconvenientia,quæ Pontifex præcavere intendit,evitarentur; quid enim interest, ut loquitur Cajetanus,ad suscipienda flagitia,ad evagandum&c. inter eum,qui habitum Religiosum non gestat,& inter eum,qui perinde illum occultat, quasi non gestaret?

Unde

Unde voluit Pontifex, ut suæ Religionis habitum unusquisque deferret, ut sic ille certa esset nota cernentibus, hunc, illumve, qui habitum gestat, & Religiosum esse, & hujus, illiusve Ordinis sacri Religiosum esse.

Ratio Panormitani suprà in contrarium adducta non urget; nam ex paraphrasi illius Decretalis constat, mandati Pontificii eam extitisse causam, quòd populi illi Livonienses, quibus recenter prædicabatur Evangelium, diversitate habitûs fuerint offensi, quam offensionem unius habitûs formâ removendam esse censuit Innocentius, prout colligitur ex dictæ paraphrasis hisce verbis: Ex hoc Decretali nota, quòd propter Scandalum receditur à Jure, & ab habitu regulari. Cæterùm ex justa causa, posse Religiosos habitum suæ Religionis exuere, vel eundem aliis vestibus superinductis occultare, res est minimè controversa.

373 Ad 3. Q. Membr. 1. R. cum Sylvest. Angelo, Armilla, *V. habitus*, Comitol. aliisque, ejusmodi homines profanos, & Sæculares, qui Religioso habitu amicti, & personati ita prodeunt, per se peccatum committere mortiferum; uti colligitur ex *Authent. de SS. Episcopis*, §. *postrèmo*, juxta quam ejusmodi genus hominum etiam exiliô mulctatur. Ratio ulterior est; quia, ut inquit Sylvest. magna est irrisio Dei in sanctis suis, magnáque injuria irrogatur sacro Ordini, cujus Religiosus habitus hoc modo profanatur: & hinc, ut Glossa observat in citt. Authent. actione injuriarum agi potest adversus eos, qui Religiosi habitûs dignitatem larvarum indignitate labefactant.

Ad 2. Membr. de percussione, R. sub distinctione; vel enim Lepidius Onufrium adhuc percussit postquam cognovit esse Religiosum, vel Clericum post abreptam larvam, & tunc incurrit Excommunicationem, *Canone si quis suadente*, & *cap. nuper de sententia Excommunic.* vel post detractam larvam non fuit ampliùs percussus, nec ante percussionem fuit cognitus; & tunc percutiens non incurrit Excommunicationem; quia hæc non contrahitur ab eo, qui percussit Clericum, ignorans esse Clericum, ut docent Barbosa in *Collect. Juris Pontificii ad cap. si quis suadente*, Palao *D. 3. p. 23. §. 3.* Tambur. *l. 1. c. 2. §. 10.* Suarez, Rodriq. aliique communiter, & colligitur manifestè *ex cap. si verò de sentent. Excommunc.* ubi excusatur ab Excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis, quia probabiliter existimare poterat percussor Clericum non esse, ut multis relatis docet Sanch. *l. 9. de matrim. D. 32. n. 41.* Rationem reddit Tambur. l. c. quia talis non delinquit voluntariè contra Ecclesiasticam hanc prohibitionem, utpote quam ex errore inculpabili

pabili nescit cadere in hanc percussionem; ad ejusmodi enim pœnas extraordinarias, ut vocat, id est, quæ dependent ex voluntate Legislatoris, incurrendas, requiritur, ut delinquens consenserit, saltem tacitè, in pœnam, quam subire debeat, nisi obediat; cùm injustum sit obligare quempiam ad solvendam pœnam, cui nullo modo se subjecit, aut subjicere potuit ob illius ignorantiam, loquendo scilicet de pœna extraordinaria, seu quæ ad libitum hominis imponitur; non verò de ordinaria, & naturali, seu quæ ex natura sua annexa est transgressioni legis, seu delicto: Unde etsi fortè quis ignoret pœnam inferni annexam esse peccato mortali, adhuc tamen illam incurrit, dummodo cognoscat peccatum suum mortale esse; quia in hanc, & in omnes alias, quæ ex natura sua annexæ sunt transgredientibus leges, tacitè, & interpretativè consentit is, qui delinquit; eo ipso enim, quòd sciat malum esse eas leges transgredi, scit pœnam illi malo, velut ex natura sua, annexam esse; omne quippe malum, seu culpam mereri suam pœnam, naturali lumine notum est.

Sed quid si percutiens sciviſſet quidem Religiosum, vel Clericum esse, sed non eum, quem verberavit, sed alium ab eo diversum?

R. eum nihilominus Excommu- 374
nicationis censurâ innodari. Ita Palao l. c. Sanch. Laym. Vega, alíque, quos refert, & sequitur Barbosa *l. 1. Jur. Eccles. univers. c. 39.* & ratio est; quia tam intentio, quàm opus externum injuriosum est Statui Clericali, propter cujus reverentiam imposita fuit Excommunicatio, & non propter hujus, vel alterius percussionem; nec ipsum ulla ignorantia excusat, hoc ipso, quòd & intentionem percutiendi Clericum habuerit, & re ipsa Clericum percusserit, quamvis alium Clericum esse putaverit. Contrarium tamen dicendum esset, si Clericum percussisset ex subita passione, aut vehementi ira, animô non plenè advertente, & sufficiente ad peccatum mortale, quia Excommunicatio, utpote pœna gravissima, non imponitur, nisi ob peccatum grave, uti communiter docent DD. cum Suarez. *D. 22. S. 1. n. 50.* Molina *tr. 3. D. 51.* Laym, *tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.* & habetur, *argum. c. 1. de sentent. Excomm.*

CASUS

CASUS LXVI.

De irregularitate Clerici furem suarum rerum Judici denuntiantis.

FAustinus Parochus ex cujusdam personæ ægrotantis visitatione sub noctem domum redux advertit duos fures in ipsius cubiculum irrepsisse, advocat proin excitato clamore domesticos in auxilium, qui illicò accurentes furem unum per murum descendentem plumbea sclopeti glande traijciunt, altero fuga dilapso, quem cùm Parochus de facie satis novisset, eum præmissa debita protestatione Judici denuntiat, & pro rebus sibi ablatis satisfactionem petit, qui furem paulò post captum, & ad se adductum, cùm eum plurium gravium furtorum reum inveniset, morti adjudicat.

QUÆR. I. An Parochus absque periculo irregularitatis possit furem, seu raptorem suarum rerum Judici denuntiare præmissa protestatione, etiamsi ex qualitate delicti sciat, aut prævideat, eum ad mortem condemnatum iri?

QUÆR. II. idque tam in causa propria, quàm aliena?

QUÆR. III. An Clericus excusetur ab irregularitate, si denuntians, aut accusans protestetur solùm oretenus, & externè, internè autem & in animo contrarium sentiat?

QUÆR. IV. An Clericus clamando, & alios in auxilium vocando incurrat irregularitatem, si fur cum rebus furtivis aufugiens ab accurrentibus, & supervenientibus occidatur?

375 AD 1. Q. R. Parochum, seu alium Clericum, aut Religiosum, qui in suis propriis, aut etiam Ecclesiæ suæ bonis grave damnum injuriosè passus est, non incurrere irregularitatem, si furem,

rem, seu malefactorem Judici denuntiet, dummodo expressè protestetur, se pœnam sanguinis non intendere, sed satisfactionem, quamvis ex qualitate criminis timeat, vel sciat, reum à Judice, causa examinata, morti fore adjudicandum. Ita docent Navar. *c. 27. nnm. 213.* Covar. *in Clement. p. 2. §. 5.* Cajetan. *2. 2. q. 33. a. 7.* Sotus *l. 5. de Just. q. 5. a. 1.* Molina *D. 8. n. 3.* Suarez *D. 47. S. 2.* Palao *de censur. D. 6. p. 14.* Bonac. *D. 7. q. 4. p. 2.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7.* aliique.

Ratio petitur *ex c. 2. de homicid. in 6.* ubi accusantes, seu denuntiantes in causa propria ab irregularitate excusantur, si protestentur expressè, se sanguinis vindictam non postulare, sed satisfactionem, cujus rationem reddens ait: *Alioquin, si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi.* Unde meritò hac de causa jus providit, qualiter absque periculo irregularitatis possent contra sic delinquentes insurgere, eósque accusare, seu denuntiare, etiam pro casu, quo prævident, vel sciunt, Judicem occasione hujus, ex Officio movendum ad mortis supplicium inferendum præmissa debita protestatione; aliàs væ Clericis, & Religiosis, eorúmque bonis, nisi ejusmodi media eis supperterent ad furium, ac malefactorum audaciam compescendam.

Notandum tamen hîc est cum Suarez, Palao, Laym. aliisque citt. prædictam protestationem locum habere in actione duntaxat civili, & non in criminali; nam si criminaliter accuses, vel denunties, hac ipsa accusatione protestaris punitionem, & vindictam quærere, ac proinde adjectam protestationem ipso facto destruis & elidis, nec excusaberis ab irregularitate, etsi vindictam petas citra deformationem, quia petitâ vindictâ non est in tua potestate limitare pœnam, sed Judex juxta delicti qualitatem infligere illam debet, & cùm sit ad tui instantiam, causa eris deformationis, nihilque tibi proderit protestatio tua, utpote facto contraria.

Quod dictum est de accusante, vel denuntiante dicendum etiam est de clamante, detinente, comprehendente & Judici tradente damnificatorem, ut notant citt. DD. quia hæ actiones sunt media ad præcavendum damnum, vel jam illatum compensandum: ergo qua ratione licet denuntiare, licet etiam has actiones ponere; nam cui finis permissus est, etiam media ad eum necessaria permissa censentur. Dixi suprà in causa propria; unde

Ad

376 Ad 2. Q. R. cum citt. DD. Navar. Covar. Molina, Bonac. Suarez, Palao, Laym. &c. Si accusatio, vel denuntiatio in causa non propria, sed aliena instituatur, irregularitatem non evitabis, etiamsi protesteris, te criminalem vindictam non intendere, siquidem mortis vel mutilationis supplicium, delicto ita exigente, Judex inflixerit.

Ratio est, quia jus in citt. c. 2. de homicid. speciatim illis succurrere voluit, qui injuriam ad se attinentem in judicio prosequuntur, ut nihil ipsis obesset, etiamsi sic occasionem Judici præbeant, sententiam mortis decernendi; hoc autem indultum in causa aliena jus non concessit, sed de aliis, qui in aliena causa accusationem instituunt, jus commune, imponens irregularitatem omnibus cooperantibus ad mortem, integrum mansit, sicut ex communi docent citt. DD. qui etiam propterea inde inferunt Advocato, & testibus nihil prodesse protestationem, si Judex ex eorum allegationibus ad ferendam mortis sententiam motus fuerit; quia nempe Advocatus & testis non propriam, sed alienam causam prosequuntur. Excipitur tamen casus, quo accusatio, vel denuntiatio alienæ causæ instituitur de crimine pernicioso in futurum pendente, seu ad præcavendum damnum Reipublicæ, vel alterius privatæ personæ, quod aliâ viâ averti nequit; tunc enim non solùm ad cavendum vel avertendum malum proprium, sed etiam alienum Reipublicæ, aut privatæ personæ cuivis sine irregularitatis periculo concessum est, damnificatorem accusare, vel denuntiare, ut tenet communis cum citt. DD. quia eo casu non te liberè immiscens causæ sanguinis, sicut se immiscet Judex Officium judicandi assumens, sed lege naturali, vel divina charitatis coactus; non est autem credibile Ecclesiam velle irregularitate afficere actionem jure naturali, vel divino charitatis, debitam: Unde neque tunc opus erit protestatione; cùm sit actio suapte natura ab irregularitate exempta, ut cum citatis docet Molina *tom. 1. tr. 2. D. 109. & D. citt. n. 9.*

Porrò accusatio, aut denuntiatio tunc censetur instituta in causa propria, quando est instituta in defensionem, seu reparationem tui honoris, famæ, vel rerum tuarum temporalium, vel parentum, filiorum, fratrum, vel alterius similis consanguinei, item Ecclesiæ tuæ, & domesticorum ita scilicet ut injuria talibus illata per consequens in ipsum etiam conquerentem, seu denuntiantem redundare censeatur, prout notant Covar. & Palao cum aliis citt.

Ad 3. Q. an ab irregularitate in- 377
currenda excusetur, qui oretenus quidem protestatur, se non postulare vindictam, seu pœnam

sanguinis, sed satisfactionem, seu compensationem damni dati, quæ tamen protestatio non procedit ex voluntate, ne accusatus occidatur, sed in animo potiùs contrarium sentit, & intendit?

R. ejusmodi accusantem, seu denuntiantem ab irregularitate excusatum iri modò oretenus, & in foro externo protestetur, adeóque non opus esse, ut protestatio ex animo procedat, sed sufficere, ut evitet irregularitatem, si coram Judice oretenus protestetur, etsi in animo occisionem intendat delicto ita exigente, dummodò exteriùs intentionem hanc animo conceptam non manifestet. Ita sentiunt Covar. *Clem. citt. si furiosus 2.p. §. 5. n. 2.* Felin. *in C. postulastis de homicid. in fin.* Suarez l. c. Bonac. l. c. Palao l. c. Henriq. *l. 14. cap. 11.* Avila *dub. 9. Conclus. 3.* Laym. l. c. & alii contra Navar. c. 27. n. 226. & Sylvestr. *V. homicidium 2. q. 8.* Ratio est; quia ex una parte in citt. cap. exigitur duntaxat protestatio, nec in eo textu cavetur, hanc protestationem debere ex animo fieri; ex altera parte in foro exteriori, & coram Judice ejusdem est rationis protestatio ficta, & protestatio vera; sicuti ex communiori sententia docet Covar. l. c. cum Suarez & aliis citt. qui *citt. §. 5. n. 1.* etiam notat cum aliis non esse necessarium, ut hæc protestatio simul fiat, cùm instituitur accusatio, seu denuntiatio, sed sufficere, si fiat in ipso judicio, antequam sententia feratur. Econtra verò irregularitatem non evitari, si quis protestationem intermittat, etiamsi interiori animo cupiat, mortem accusato non inferri. Ratio est, quia accusantes de crimine, ob quod accusatus morti adjudicatur, incurrunt excommunicationem, nisi per Canones excipiantur, & excusentur; Canones autem solùm excipiunt eum casum, quo quis suam vel suorum injuriam civili accusatione prosequitur, præmissa protestatione, quòd pœnam sanguinis non postulet, sed damni illati compensationem. Et hinc hæc protestatio non solùm Clericis, sed etiam Laicis necessaria est, ut notat Palao l. c. eò quòd accusatio per se ad defensionem non tendat, sed ad punitionem; ne tamen ipsa punitio accusatori adscribatur, & fiat irregularis, remedium protestationis est à jure inventum ob rationes suprà in citt. cap. 2. insinuatas, & licèt in dicto cap. fiat tantùm mentio de Clericis, id tamen ideò factum, quòd Clericos magis deceat accusatio, quàm Laicos, & quòd illi absque urgenti ratione causæ sanguinis se immiscere non possint, prout docent Suarez l. c. n. 6. Molina *D. 74. n. 9.* Navar. *cap. 27. n. 213. &* alii.

Ad 4. Q. R. Clericum ita cla- 378
mantem, alióque in auxilium vocantem probabiliùs eo in casu non incurrere irregularitatem, saltem

si

si periculum non prævidit homicidii à supervenientibus patrandi ejus clamore excitis. Ita Covar. l. c. vers. *octava.* Avila *D. 5. S. 2. dub. 15.* Palao l. c. §. 2. n. 10. Bonac. l. c. *p. 1. n. 18.* Laym. l. c. Ratio est; quia eo casu non incurritur irregularitas tanquam ex homicidio casuali culpabili, cùm talis Clericus clamando, & homines in auxilium advocando ad res suas liberandas, & defendendas nihil peccaverit, nec culpabilem causam illis dederit, nec ipsum homicidium impedire potuerit, uti ponitur. Neque irregularis esse potest ex defectu perfectæ lenitatis; tum quia fur à concurrentibus occisus est præter, imò contra clamantis intentionem, ac prævisionem, utpote qui res suas recuperare duntaxat voluit, adeóque occisio non est illi adscribenda tanquam causæ morali; tum quia ex defectu lenitatis solum homicidium authoritate publica factum inducit irregularitatem, ut tenet complurium sententia cum Tambur. *l. 10. c. 4. de Cens.* Palao *D. 6. p. 14.* La Croix *l. 7. n. 70. de irreg.* Diana *tr. 2. p. 11. R. 63.* ubi pro hac sententia affert plures, quàm 30. AA. qui docent, neminem ex homicidio fieri irregularem, nisi concurrat ut publicus Justitiæ Minister, sive ad causæ probationem sive ad sententiæ executionem, vel ut privatus injustè & cum peccato. Dixi suprà saltem si periculum non prævidit homicidii à concurrentibus committendi; nam si clamans periculum præviderat, licèt non ea intentione clamaverit, sed ut res suas recuperaret, eum tamen fore irregularem, docent complures cum Innoc. & Abb. in *C. significâsti 2. de homicid.* Navar. *c. 27. n. 236.* Sylvest. *V. homicidium 3. q. 7.* aliisque, de quorum tamen doctrina dubitat, & in contrarium inclinat Covar. l. c. cum Avila, & aliis citt.

CA-

CASUS LXVII.

De irregularitate in dubio facti, & juris.

EXortâ nuper nocturno tempore inter aliquot ſtudioſos rixâ, in ea unus graviter vulneratus eſt, & paulò pòſt mortuus. Alter leviter quidem, ſed ex incuria neglecti vulneris ſuperveniente ſpaſmo & ipſe intra aliquot dies extinctus eſt.

QUÆR. I. An, & quando in dubio judicandus quis ſit irregularis?

QUÆR. II. An quando plures quà graviter, quà leviter alterum vulnerant, ſint omnes irregulares?

QUÆR. III. An irregularis cenſendus ſit, qui alterum leviter vulnerat, ſed ex incurria neglecti vulneris paulò pòſt moritur?

379 ANte reſolutionem Q. 1. notandum eſt 1. Aliud eſſe poſſe dubium practicum, & aliud ſpeculativum. Dubium practicum dicitur, quando quis in ſingulari dubitat, an hîc, & nunc aliquid ſit licitum, vel illicitum; ſpeculativum verò, quando in communi dubitatur. Quando dubium, eſt duntaxat ſpeculativum, licitum eſt aliquando contrarium operari, quia poteſt adeſſe oppoſita cognitio practica propter aliquam circumſtantiam, ut v. g. dubitans ſpeculativè, an hæc res ſit ſua, poteſt practicè non dubitare, licere eam retinere, eò quòd ſit in poſſeſſione, & melior ſit conditio poſſidentis.

Quando verò dubium eſt practicum, id non licet; nam ut voluntas honeſtè operetur, oportet intellectum non eſſe practicè dubium, ſed judicare determinatè hîc, & nunc licere hanc operationem; quare qui dubitans practicè aliquid operatur, peccat, quia manifeſto ſe exponit periculo admittendi illud peccatum; qui enim amat periculum, peribit in illo. *Eccleſ. 3.* ſolaque invincibilis ignorantia excuſat à malitia actûs, cùm ſola illa cauſa ſit involuntarii, qui autem dubitat,

bitat, non dicitur invincibiliter ignorare, ut patet: ergo,

Notandum 2. aliud esse dubium juris, & aliud dubium facti. Dubium juris est, quod versatur circa ipsum jus; v.g. cùm dubius es, an in jure ob tale delictum imposita sit irregularitas. Dubium facti, quod circa ipsum factum versatur, e. g. cùm certus quidem es, tali facto annexam esse irregularitatem, sed dubitas, an illud commiseris; & siquidem ita dubites, ut intellectus omninò anceps hæreat, nullámque rationem probabilem habeat, per quam inclinet in aliquam partem, dubium nuncupatur negativum; secùs, probabilitas dicitur, vel juxta alios dubium positivum.

Porrò qualecumque dubium sit, sive juris, sive facti, tenetur dubitans competentem adhibere diligentiam ad indagandam rei veritatem, aliàs se exponeret manifesto periculo irregularitatis violandæ, ut cum Sanch. Palao aliisque notat Suarez *de censur. D. 40. sect. 5. n. 12.* Quod si præmissâ debitâ diligentiâ probabiles rationes suppetant, irregularitatem tali facto annexam non esse, vel te factum non commisisse, cui ipso jure imposita sit irregularitas, poteris te ab hac immunem, & liberum reputare, quia prudenter agis probabilem sequendo sententiam, nec æquum videtur, stante ea probabilitate, debere te pœnæ subiicere, ut notat Gasp. Hurtando *de irregul. diffic. 3. n. 10.*

Verùm difficultas non levis est, 380
& controversia, an in dubio negativo de irregularitate, quando scilicet adhibitâ debitâ diligentiâ nequis probabile formare judicium, quòd tali facto irregularitas imposita sit, vel quòd tale factum, cui illa annexa est, commiseris, debeas te tunc ut irregularem gerere, & reputare? Qua in re DD. varii variè opinantur; & Henriq. quidem *de irregul. c. 3. n. 3. & 4. & c. 14. ac 15.* Hostiens. Salas, Rebell. aliíque censent in dubio sive juris, sive facti neminem antea sententiam Judicis habendum esse pro irregulari. Navar. verò cum aliis c. 27. affirmat in dicto dubio quemlibet reputandum esse irregularem in foro interno, non item in foro externo, cùm Judex nequeat sine sufficienti ratione aliquem damnare. Alii autem id ipsum asserunt de utróque foro. Causa tantæ dissensionis ex diversis juribus ortum habet; nam Clemens III. *c. ad audientiam de homicid.* & Innoc. III. *C. significâsti eod.* Statuerunt in dubio unumquemque censendum esse irregularem, eò quòd in dubio tutior semper pars sit eligenda. Bonifacius verò VIII. *C. is, qui de sentent. excommun. in 6.* Statuit, vel tanquam indubitatum supponit, nullam irregularitatem incurri,

quæ expresso jure non fuerit inducta; in dubio autem facti, vel iuris irregularitas non est jure expresso inducta: ergo tunc non incurritur. Unde ad hæc Pontificia jura concilianda distinguunt DD. inter dubium juris, & facti, & inter dubium in casu homicidii, & dubium in aliis materiis extra homicidium, & pro ratione, & qualitate dubii discurrunt, & opinantur, ut alibi insinuatum est. His præmissis.

381 R. Ad Q. 1. In dubio juris, quo dubitas, an lata sit irregularitas, non es judicandus irregularis. Ita Suarez l. c. Sanch. *l. 1. cap. 16. n. 42.* Molina *tr. 3. de justit. D. 67. n. 5.* Palao *D. 6. p. 3.* Coninch *D. 18. dub. 2. n. 11.* Sayrus, Avila, Rebell. aliique. Ratio est, quia juxta *cap. is, qui citt.* irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa: atqui in dubio juris, quando post diligentem inquisitionem dubitas, an in jure tali facto imposita sit irregularitas, non est hæc comparatione illius in jure expressa, cùm ipsum jus sit dubium: ergo non incurritur.

Conf. 1. Nemo tenetur ad legis observantiam, nisi talis lex sit illi sufficienter promulgata: at tibi ita dubitanti lex irregularitatis non est sufficienter promulgata, hoc ipso quòd tibi non constet, eam esse jure expressam; imò qui post adhibitam sufficientem diligentiam ad rei veritatem indagendam, & ad dubium deponendum, nec illam invenire, nec dubium deponere potest, censetur ignorantia invincibili laborare: sed qui invincibiliter legem ignorat, non tenetur lege: ergo.

Conf. 2. Taliter dubitans in foro externo, si non constet de jure imponente irregularitatem, non damnatur tanquam irregularis, cùm Judex juxta jus sententiam proferre debeat: ergo neque in foro conscientiæ damnandus est tanquam irregularis; cùm mitiùs agatur in conscientiæ foro, quod est forum animæ, & misericordiæ, quàm in foro externo, quod ad solam delicti punitionem tendit.

R. 2. In dubio facti homicidii, 382
quando scilicet dubitas, an tua actione, consilio, vel auxilio homicidium perpetraveris, anne verus fueris homicida, habendus, & judicandus es irregularis. Ita cum citt. AA. docent Navar, Covar. Azor, Valent. Salas, & alii, constátque id ex citt. *cap. significâsti*, & *cap. ad audientiam*, ubi expresse deciditur in dubio facti homicidii abstinendum esse à celebratione, & sic dubitantem pro irregulari habendum esse; & quidem, ut cum aliis notat Sanch. pro utroque foro. Nec obstat,

quòd

quòd irregularitas Statuatur in pœnam, & sic indigeat Judicis sententia; nam etsi statuatur in pœnam; est tamen talis pœna, quæ suapte natura non indiget aliqua Judicis sententia; atque adeò jus eam inducens ita statuere censeatur, ut ex ipso facto oriatur in utroque foro, uti colligitur ex *cap. ad audientiam citt.* de utroque fero loquente.

An autem in dubio facti etiam in aliis materiis extra casum homicidii idem sit dicendum, discrepant DD. Non pauci cum Panormit. Sylvest. Tabien· Vasq. Sayro, Covar. Valent. affirmant, idem asserendum esse de alio quocunque dubio facti etiam in aliis materiis, eò quòd allata Pontificis ratio, quòd scilicet in dubio tutior pars sit eligenda, æquè procedat in aliis materiis, ac in homicidio.

383 Nihilominus complures cum Suarez *l. c. S. 6.* Palao. l. c. Bonac. l. c. Navar. *cap. si quis autem n. 41. dist. 7.* Coninch, Avila, Salas, Henriq. Filliuc. Sanch. aliisque docent probabiliùs extra dubium homicidii neminem esse irregularem censendum. Ratio est 1. quia juxta citt. cap. *Ad audientiam,* & cap. *significâsti*, non incurritur irregularitas, nisi in casibus à jure expressis; in jure autem, excepto homicidio, nullibi est expressum, in dubio facti contrahi irregularitatem: ergo hæc non contrahitur; imò utrum in aliis materiis præter homicidium inducta sit irregularitas, est dubium juris; in dubio autem juris non est quis censendus irregularis, si post adhibitam debitam diligentiam non eluceſcat veritas, ut dictum est suprà.

2. Quia omnia jura clamant in dubio delicto reum esse absolvendum, *regula favorabiliores 168. ff. de regul. juris*, & *regul. cùm sunt, eodem tit. in 6.* ubi, *cùm sunt jura partium obscura, reo favendum est potius, quàm actori*; actore enim non probante, absolvendus est reus, Gloss. *verb. cùm sunt.* quoties autem factum manet dubium, manet quoque delictum non probatum, atque adeò absolvendus est reus, quamvis altera pars sit æquè dubia; à qua proin regula non est recedendum absque juris textu expresso, qualis in solo dubio irregularitatis homicidii reperitur, non item in aliis materiis in ordine ad incurrendam irregularitatem.

Et hac ratione, ac distinctione inter hæc dubia putat Tambur. conciliari posse prædictos Pontifices, dicendo Clementem, & Innocentium novum jus condendo (antea enim non aderat aliud antiquum jus id decernens, teste Joan. Præpositо *q. 5. de irregul. dub. 8.*) decernere in dubio facti homicidii hominem esse irregularem in utroque foro; Bonifacium verò eorum Successorem as-

ferere hominem non esse in aliis dubiis irregularem, sed supponere esse irregularem in dubio facti homicidii; cùm enim dicat, nullam irregularitatem incurri, nisi sit in jure expressa; in jure autem non sit expressa pro aliis dubiis in aliis materiis, sed solùm per præfatos Pontifices pro dubio facti homicidii, idcirco supponit irregularitatem incurri in dubio facti homicidii, non autem in aliis dubiis in aliis materiis. Unde Principium illud in contrarium adductum, quòd in dubio tutior pars sit eligenda, respondent Sanch. & Palao cum aliis citatis, intelligendum esse de consilio & decentia, non autem, semper observandum esse de præcepto, ipsúmque Pontificem non eò niti tanquam principio necessariò obbligante in omnibus materiis, sed ei tanquam optimo consilio innixum id decrevisse in materia homicidii ob specialem indecentiam, quam habet ad Ordines. Præterea principium illud, quod in dubiis tutius sit eligendum, intelligi debet de dubio practico, ut notant S. Antonin. *1. p. t. 3. c. 10. §. 10.* Sylvest. Navar. Henriq. Sanch. & alii, & tunc esse de præcepto, ut si practicè dubites, an hîc, & nunc tenearis jejunare, teneris jejunare, dum id dubium non deponitur, aliàs actus fieret cum conscientia practicè dubia.

Ex dictis inferunt Sanch. Palao, Bonac. & alii, ob mutilationem dubiam te non debere irregularem reputare; quia mutilatio, esto disponat ad homicidium, non est tamen homicidium: cùm ergo jura in solo dubio facti homicidii hanc irregularitatem Statuerint, non est pœna adeò rigida extendenda ad dubium facti de mutilatione.

Ad 2. Q. Vel plures ex condicto, & consilio alterum graviter vulnerant, vel absque conspiratione, & consilio, sed in rixa repentina inter eos orta? Si plures ex condicto, & consilio lethaliter alterum vulnerent, etsi vulneratus ex unius tantùm vulnere moriatur, omnes sunt Rei homicidii, & consequenter irregulares; quia omnes proximè cooperati sunt ad homicidium se se concitando, illúdque consulendo, ex qua concitatione, auxilio, & consilio secutum est homicidium, ut docet communis *in cap. significásti de homicid.* 384

Si verò plures absque conspiratione, & consilio in rixa alterum aggrediantur, & unus tantùm lethale vulnus infligat, tunc si nullus cognoscatur, qui vulnus lethale inflixerit, omnes, qui de homicidio dubii sunt, irregulares efficiuntur juxta superiùs citt. jura. Quaproter Judex ignorans, quis illorum vulnus lethale inflixerit, omnes reputat homicidas, quia omnes rixando deliquerunt, esto non pœna ordinaria, sed arbitraria eos punire debeat, ut multis allegatis docet Covar. citt. Clement. *Si furiosus.* Si

verò

verò certò constet, quis vulnus lethale inflixerit, hunc tantùm esse reum homicidii, & irregularem, docent Sayrus *l. 7. cap. 4. n. 13.* Hostiens. *in C. significâsti*, Bonac. l. c. Covar. *in Clem. si furiosus 2. p. §. 2. n. 3.* Tambur, & alii, dummodo constet quisnam vulnus lethale inflixerit, & simul constet, alios illud non intulisse; quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & non alius; reliqui enim tenentur de percussione, ut advertit Covar. *ex textu in leg. cum Mela. §. sed etsi servum, ff. ad leg. Aquil.* & *in leg. si rixa, ff. de sicariis:* cùm ergo reliqui liberi sint ab homicidio, liberi etiam erunt ab irregularitate.

Contrarium tamen æquè probabiliter, vel probabilius defendunt, ac tenent Suarez *D. 45. S. 3. n. 9.* Palao l. c. Navarr. *cap. 27. n. 224.* Avila *7. p. D. 6. S. 3. dub. 3.* Coninch. *D. 17. dub. 8. n. 70.* aliique cum Gloss. *in Cap. si quatuor homines 23. q. 8.* existimantes hos cooperatores, etsi nullum vulnus inflixerint lethale, irregulares tamen fore, eò quòd & ipsi suâ præsentiâ auxilium, & favorem occisori tribuerint, & occisum impediverint, ne se defenderet, ac proinde omnes secundùm Canones judicandos esse reos homicidii, & irregulares; & licèt secundùm jus civile non puniantur tales, ut homicidæ; benè tamen secundùm Statuta Canonum quoad pœnam irregularitatis, uti colligitur ex citt. *cap. si quatuor homines.*

Ad 3. Q. si vulneratus vulnere 385
non lethali ex Medici, aut Chirurgi imperitia, seu negligentia, vel ex propria incuria moriatur; vulnerantem irregularem effici, censent D. Anton. *3. p. tit. 28. c. 2.* Navar. n. 223. Molina *tr. 3. D. 32.* Heniq. *l. 14. cap. 14 n. 4.* Avila *l. c. dub. 5. concl. 2.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 10.* aliique. Rationem dant, quia vulnus illud injustè illatum occasio fuit mortis alterius; quia si vulnus illatum non fuisset, mors non fuisset secuta; ideòque non sola chirurgi, aut vulnerati negligentia, sed simul etiam ipsa vulneratio mortis causa extitit.

Oppositam tamen sententiam rectiùs tuentur Suarez *D. 45. sect. 6.* Less. *l. 2. de justit. c. 9.* G. Hurtado *de irregul. diffic. 8. n. 31.* Coninch. *D. 18. n. 70. & 76.* Bonac. *l. c. pun. 7. n. 16.* Cajetan. Sotus, Sayrus, Reginald. Filliuc. Covar. & alii, quorum sententiam probabiliorem judicat Palao *de censur. D. 6. p. 15. §. 5.* Ratio est; quia tale vulnus leve non censetur causa proxima mortis, sed remota, & occasio tantùm, hæcque solùm remota: Ad incurrendam autem irregularitatem non sufficit quæcunque occasio mortis, sed oportet, eam proximam esse, ex qua mors sequatur; id,

quod colligitur ex *cap. exhibita de homicid.* & *cap. Studeat, 50. dist.* Ubi cùm Presbyter equitantem Diaconum percussisset, hicque ex equo cecidisset, & fracta cervice interiisset, mandatur, examen institui, an Diaconus fuerit percussus ad mortem, & ex illa percussione obierit? & in hoc casu deciditur, fore irregularem; si verò constet, Diaconum non fuisse ad mortem percussum, injungitur Presbytero pœnitentia ad tempus. Ex quibus satis appareret, ex vulnere non lethali, esto occasionem morti præbeat, non contrahi irregularitatem. Unde & Avila adversarius, Henriq. & Laym. ajunt, si vulnus ita leve fuisset, ut facilè, & exigua cura sanari potuisset, tunc vulneranti nullo modo, sed solùm medicamento, atque extrinsecæ causæ adscribi.

Aliud tamen dicendum, ac tenendum esset, ut tenet communis cum citt. DD. si ex illo vulnere non lethali febris excitaretur, quæ vulneratum extingueret, vel aliud vulnus superveniret, ex cujus conjunctione primum quoque vulnus ad mortem concurret, saltem ut citiùs succederet, vel si nemo adesset, qui curationem adhiberet, & ex vulnere aliàs non lethali lethale fieret; quia in his omnibus convincitur, primum vulnus causam esse mortis proximam, & ut cum aliis hîc notat Covar. causa causæ censetur etiam causa causati; Atque adeò in his casibus non evitari irregularitatem.

Quod si vulneratus vulnere non lethali semel convaluit, & postea in morbum recidit, quô extinctus est, non censebitur causâ, sive occasione vulneris mortuus, & vulnerans ab irregularitate, aliisque obligationibus immunis erit, ut constat ex *l. qui occidit §. ultim. ff. ad leg. Aquil.* & *ex c. 2. de homicid.* & notant citt. AA. qui rectè monent, discernere, an vulnus lethale sit, vel non, & an ad mortem concurrerit, anue morbus planè per accidens, atque extrinsecùs acciderit, hominemque extinxerit, ad Medicos pertinere, quorum judiciô standum est.

CA-

CASUS LXVIII.

De testamento pio imperfecto, & legatis profanis in eo relictis &c.

PImperlinus derepentè morbo correptus, cùm periculum mortis instare animadverteret, Vigilantium Parochum suum vocari jubet; adest illicò Vigilantius, & confitenti ægroto aures præbet, post peractam Confessionem, rogat Vigilantium, ut in Charta annotet ea, quæ post suam mortem de re sua fieri vellet: Cùm autem nullos habeat hæredes, quos instituere teneatur, ita de suis rebus disponit: Bonorum meorum hæredem relinquo animam meam. Ecclesiæ Parochiali relinquo 1000. fl. totidem volo, ut in pauperes post meam mortem erogentur. 1000. fl. relinquo Pomponio cognato meo, quem hujus meæ ultimæ dispositionis etiam executorem volo; Fideli verò famulo meo 100. fl. relinquo, & totidem Sybillæ ancillæ culinariæ. Confecta scriptura, paulò pòst moritur Pimperlinus, post cujus mortem Vigilantius Parochus schedam a se scriptam consignat Pomponio executioni mandandam.

QUÆR. I. An valeat testamentum, in quo propria testatoris anima hæres instituitur?

QUÆR. II. Quid sentiendum sit pro utroque foro de valore scripturæ à Vigilantio Parocho exaratæ?

QUÆR. III. An in testamento pio imperfecto valeant etiam legata profana in eo relicta?

386 AD 1. Q. videtur testamentum, quo quis animam suam hæredem instituit, invalidum esse, & nullum; quia testamentum nullum est, in quo nullus instituitur hæres, *l. proximè 3. ff. de his quæ*

in

testament, in posito autem casu nullus à testatore hæres instituitur: ergo. Ita de hoc casu visum fuit quibusdam jurisperitis apud Molin *D. 134.* Sed

Dicendum est, tale testamentum subsistere, & validum esse. Ita sentiunt Molin. citt. Jul. Clarus §. *test. q. 6. vers. penult.* Covar. *de test. c. cùm tibi 12.* aliique commuter. Ratio est, quia hoc testamentum non caret hæredis institutione; cùm enim factum sit in piam causam, ipsa pia causa hæres instituitur; dum enim testator dicit; instituo hæredem animam meam, satis indicat, se causam piam ita instituere, ut quod de suis bonis, persolutis persolvendis, remanet, id insummi velit in pia opera, & in suffragium animæ suæ.

Accedit, quòd ad valorem testamenti ad piam causam conditi, non sit necessaria hæredis institutio, ut cum communi docent Jul. Clarus citt. & Covar. quia in testamento in piam causam facto, ut valeat, non debent ea servari, quæ solo jure civili introducta sunt, ac requisita: Cùm ergo testamentum Pimperlini ad piam causam factum sit, ut valeat, non indiget solemnitate à jure civili requisita. Unde

In dispositionibus ad pias causas sufficiunt duo testes, sive masculi, sive fœminæ, nec aliqua alia solemnitas in eis requiritur, quàm quæ sufficit stando in solo naturali, ac gentium jure, prout statutum, ac definitum est in *C. relatum, 1. de testam.* & tenet communis DD. cum citt. AA.

Testamentum porrò in piam causam tunc fieri dicitur, quando pia causa hæres instituitur, vel substitutionis viâ ad causam piam devolvitur hæreditas; quando verò alius hæres instituitur, esto aliqua pia legata in testamento contenta relinquantur, non dicitur testamentum conditum in causam piam, ut cum aliis notant Covar. *C. relatum 1. n. 2.* Molin. l. c. & Gam. *decis. 46. n. 2.*

Ad 2. Q. R. si ipse Parochus 387
scripturam illam exaravit, nullo alio teste præsente, eum in foro externo non auditum iri; nam licèt ad causam piam non requiratur juris civilis solemnitas, juxta *c. relatum 11. h. t.* nec ad ejus valorem opus sit testibus juxta communiorem, & veriorem sententiam, quando sufficienter constet de testatoris voluntate; ad fidem tamen faciendam, & ad probandum, quando alia non habetur probatio, duo vel tres testes requiruntur, nec sufficit unicus ut patet ex *C. licèt universis de testib. C. veniens 10. & C. à nobis eod. tit.* ubi in C. *licèt* hæc habentur. *Licèt quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos exigant testes, nulla tamen est causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.*

Idque

ádque valdè conveniens erat, expediebátque bono communi ad prævcavendas, & impediendas hominum callidorum fraudes certam regulam statuere, quæ proin omnium gentium consensu ea recepta est, ut neque in judiciali, neque in conscientiæ foro quisquam cum suo, vel alterius præjudicio stare teneatur solo dicto sive asseveratione unius testis, ut notat Laym. quamvis omni exceptione majoris; unde ortum habet regula illa apud J. C. tos *Dictum unius, dictum nullius.* & *unus testis, nullus testis.* Id quod etiam patet ex *can. admonere 8. caus. 33. q. 2.* ubi Stephan. Papa V. ait: *Nec Evangelium, nec ulla Divina, humanáque lex unius testimonio ti m idoneo, quempiam condemnat, aut justificat.* Ut adeò ad legitimè testandum ad minimum duorum contestatione opus sit & sufficiat, ut patet etiam ex Decretali *cum esses*, Alex III. ubi improbat consuetudinem rescindendi testamenta sine subscriptione septem, vel quinque testium, tanquam à Divina lege, à SS. Patrum institutis, & à generali consuetudine Ecclesiæ alienam: & ideò contra legem civilem, & humanam standum esse jure naturali, & Divino, in quo scriptum est: In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum; *Deut. 17.* ubi etiam mandat Judicibus, ut pronuntient pro testamento pio, etsi illud trium solùm vel duorum testium subscriptione, vel assertione munitum sit.

Id, quod quoad causas pias observat & confirmat consuetudo, & praxis Curiarum universalis; & meritò; nam cùm testamenta, & ultimæ voluntates ad pias causas conditæ respiciant finem supernaturalem, scilicet cultum Divinum, venerationem sanctorum, & spiritualem animæ salutem, causæ sunt spirituales, & ecclesiasticæ; de quibus proin non sæcularis, sed Ecclesiasticæ potestatis est statuere, & judicare. Et hinc etsi testamentum ob defectum solennitatum à jure civili requisitarum invalidum sit & nullum, valent tamen pia legata in eo relicta. Item valent pia legata, etsi testamentum, in quo hæc relicta sunt, & expressa, sit solùm inchoatum, & nondum absolutum, adeóque invalidum. Molin. *n. 9.* Covar. *c. 11. n. 10. &c.*

388 Loquendo autem de foro interno ea ultima testatoris voluntas executioni tutò mandari potest, ac debet à Pomponio, siquidem authoritas, ac testimonium Parochi, & Confessarii, de cujus probitate constat, magnam fidem facit, ut cum aliis notat Octavius à S. Jos. *tit. 203. n. 1954.* & ut ait Raynald. *tom. 1. par. 41. n. 42.* Standum est testimonio, & dicto unius testis omni exceptione majoris, quando non agitur de præjudicio alterius, sed potiùs de bono, & commodo ipsius testatoris, & aliorum, ut fit in præsentiarum.

B. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Ob superiùs tamen dicta monendi sunt Parochi, & Confessarii, ut dispositiones ad causas pias non excipiant à suis Parochianis, nisi advocatis tribus, aut duobus testibus, masculis, aut fœminis, quia Parocho sine testibus non credetur in foro externo; quòd si duo præstò non sint, sufficiet Parochus cum uno teste, etsi legatum suæ Ecclesiæ relictum sit, ut notat Laym. *l. 3. sect. 5. tr. 5. cap. 2.* quia Rector aut Beneficiatus non prohibetur esse testis in causa Ecclesiæ suæ.

389 Ad 3. Q. R. affirmativè loquendo de testatore, qui liberè testari potest de omnibus suis Bonis. Ita communis DD. cum & apud apud Covar. *c. relatum 1. n. 2.* Molina *D. 134.* Tiraq. *privileg. 80.* Jul. Clarus §. *testamentum q. 6. vers. ult.* Laym. l. c. aliisque. Ratio est; quia valido, & subsistente principali, convenit etiam subsistere, ac valere accessorium: cùm ergo testamentum pium, ut ut imperfectum, nihilominus validum sit, & subsistat juxta superiùs dicta, valéntque quoque etiam legata profana, secundariò, & accessoriè inserta.

2. Quia cùm institutio hæredis sit valida, ipséque testator liberè disponere possit de omnibus suis bonis, ad quæcunque vult, si illa legata, ad non pias causas in tali pio testamento relicta, essent invalida, accrescere deberent piæ causæ in hæredem relictæ; æquitas autem non permittit, ut idem testamentum, cujus jure, ac valore se causa pia defendit, in ejusdem favorem oppugnetur, & infirmetur; sed ratio postulat, ut quæ solemnitas incommodum hæredis sufficit, ut validum sit testamentum, sufficiat quoque, ut valida sint legata in eo instituta, quando agitur solùm de commodo talis hæredis, neque jure est aliquid inparticulari statutum. Dixi suprà loquendo de testatore, qui liberè disponere potest de omnibus suis bonis; nam juxta communem opinionem, quam refert Jul. Clarus *l. c. q. 5.* quando ille, qui ad pias causas testatur, non habet facultatem testandi ad alia, si in testamento ad pias causas legata aliqua relinquat ad causas non pias, talia legata sunt omninò invalida, utpote facta absque facultate ad testandum concessa, atque adeò neque accrescunt aliis piis causis, sed pertinent ad hæredes ab intestato, ut cum aliis notat Molina l. c.

Sed quid si in testamento extent 390
legata aliqua profana, & aliqua pia, & bona testatoris non sufficiant ad satisfaciendum legatariis, erúntne tunc diminuenda legata profana, & pia pro rata, anne tota diminutio solùm facienda erit ex legatis profanis sufficientibus ad satisfaciendum, & legata pia integrè solvenda? Diminuenda esse duntaxat profana, & pia integrè persolvenda censet Tiraq. *privil. 72.* cum non nullis aliis apud Bonac.

D. 3.

D. 3. q. 17. p. 8. §. 2. Contraria tamen opinio, quòd diminutio facienda sit ex omnibus legatis, tam profanis, quàm piis, satis probabilis est, quam tenent Bonac. l. c. Bart. in *Auth. n. 4. C. ad leg. falcid.* Sylvest. Peregrin. & alii. Rationem danti tum quia de privilegio legati pii in hoc casu non satis constat; tum quia juxta *l. privilegia ff. de privil. credit.* in concursu Creditorum habentium actionem personalem circa satisfactionem, servanda est æqualitas inter omnes creditores, cùm par videatur ratio, & Jus. Id, quod teste Molfesio *tom. 1. de consuetud. post part. 7. consil. 13. num. 5.* usu receptum est in tribunalibus.

CASUS LXIX.

De testamento imperfecto, Legitima, & conferendis in eam à filio post mortem patris &c.

Cùm Titius tres filios ex Bertha uxore suscepisset, Petrum videlicet, Paulum, & Joannam, mortuâ Berthâ Uxore Petro mille fl. extradit pro patrimonio, & matrimonio contrahendo, & totidem filiæ Joannæ pro dote, præterito filio Paulo jam sacerdote, & Parocho; Residuum pecuniarum cum Molendino sibi reservat, pro commoda sua sustentatione. Post cursum 5. annorum moritur etiam Titius pater, post cujus mortem quam subitaneè oppetiit, scheda quædam ejus manu scripta, sed non subscripta, nec teste firmata, sine appositio die, & anno in quadam cista reperta est hujus tenoris: Quòd, cùm filio Petro, & filiæ Joannæ patrimonium jam extradiderit, pro filio verò Paulo sacerdote, in studiis versante, sumptus fecerit, ita de re sua statuat, ac disponat: ut ex pecunia post mortem residua expensæ funerales persolvantur, & centum sacra in suffragium animæ suæ legantur; Molendinum verò alteri elocetur, & ex constituta annua pensione Anniversarium quot annis celebretur; residuum verò annuæ pensionis in usum pauperum sui pagi erogetur. Ubi à Paulo quæsitum fuit.

QUÆR. I. An reperta hæc ſcheda pro valida habenda ſit, annue bona à patre poſt mortem relicta ad filios ab inteſtato devolvantur?

QUÆR. II. An filius Paulus ſacerdos non obſtante ea ſcheda legitimam ſibi vendicare poſſit, & an ſumptus in ſtudiis facti in legitimam ſint conferendi?

QUÆR. III. Quo jure debeatur Legitima, & quanta?

391 Ante caſûs reſolutionem ſciendum eſt, inter teſtamenta alia eſſe privilegiata, in quibus ſcilicet vel nulla omninò juris civilis ſolemnitas requiritur ad valorem, vel non tam plena, & perfecta, qualis in aliis non privilegiatis poſtulatur. Inter ea, quæ ſunt privilegiata, primum locum obtinent teſtamenta, & legata ad pias cauſas facta, prout ſtatuitur, ac definitur, *C. relatum 1. de teſtam.* & tenet communis DD. ſententia cum Panormitano *in citt. C. relatum, n. 7.* Covar. de *teſtam C. cum tibi, n. 12.* Bart. *in l. 1. C. de ſacros Eccl. & l. ſi quis Titio ff. de legat. 2.* Tiraq. *de privileg. cauſæ piæ privileg. 3. & 164.* Molin. *D. 134. &c.* Illud autem dicitur legari, & relinqui in cauſam piam, quando relinquitur in bonum propriæ animæ, ut quando aliquid relinquitur in captivorum redemptionem, in pauperum, vel Religioſorum, quamvis conſanguineorum, ſuſtentationem, in conveſſionem infidelium, & hæreticorum, in ſuffragia mortuorum, in commune bonum ſpirituale patriæ, vel quando aliquid relinquitur Eccleſiis, Monaſteriis, Confraternitatibus, aliísque piis, & ſacris locis, vel in cultum, & honorem ſanctorum &c.

Denique quidquid præcipuè, ac directè fit Dei, finisque ſpiritualis intuitu, ad gratiam, vel gloriam coram Deo promerendam, vel in ſatisfactionem pro propriis, vel alienis peccatis &c.

Ratio autem, cur in diſpoſitionibus ad pias cauſas nulla omninò civilis legis, aut conſuetudinis ſolemnitas requiratur, ſed ſolo naturali, divino, ac gentium omnium jure diſpoſitio ad pias cauſas facta ſecundùm jus Canonicum ſubſiſtat, eſt; quia jura ſæcularia cauſis Eccleſiaſticis, ſive ad ſpiritualem hominis finem, & ſpiritualem ſalutem directè ſpectantibus, nullum præjudicium afferre poſſunt, niſi à ſummo Pontifice ap-

pro-

probata, & recepta sint juxta *C. Ecclesia de Const.* siquidem Summus Pontifex plenissimam habet potestatem in Principes Sæculares, quantum finis supernaturalis, bonúmque animarum spirituale postulat; cùm ergo solennitates testamentorum jure civili sint introductæ, ac requisitæ; hæ in causis piis, & Ecclesiasticis locum non habent, sed in iis standum est jure naturali, & gentium in bonum animarum, prout statuit Alexander III. *C. relatum citt.* atque adeò quod attinet ad causas pias tam in testamento, quàm legato sufficit, quocunque signo externo voluntatem defuncti declaratam esse; quia jure naturali, ac gentium plus non requiritur. Ex quibus sequitur.

392 Ad 1. Q. Dicendum esse, dispositionem illam Titii in Scheda repertam, utpote factam in causas pias subsistere, & pro valida habendam esse, siquidem certò constet schedam illam Titii manu scriptam fuisse; prout in posito casu certò constabat, fatente etiam filio Paulo Sacerdote in illa Scheda præterito; validum quippe est testamentum, & quæcúnque ultima voluntas ad causas pias manu testatoris scripta, etsi nullus testis adhibitus fuerit, modò sufficienter constet, esse testatoris scripturam, prout docent Covar. l. c. Molin. l. c. Tiraq. *privil. 4. & 2.* Less. *l. 2. c. 19. dub. 2.* alique communiter, & constat ex dictis, siquidem in testamento, & legato ad causas 361
pias nulla requiritur juris civilis solennitas, sed solo naturali, divino, ac gentium omnium jure subsistit: Nec interventus testium requiritur ad substantiam, sive solemnitatem testamenti; licèt sæpè duo, vel tres requirantur, non quasi sine eis in se non sit validum, sed solùm ad faciendam fidem, & ad probandum in foro exteriori, ut in eo pronuntietur validum, de quo solo foro Sermo est in *C. relatum;* ubi Alex. III. Pontifex mandat Judicibus, *quatenus si causa talis (super relictis Ecclesiæ) ad eorum examen deducta sit, eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum Statuta tractent, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis: quoniam scriptum est* Deut. 17. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.*

Quare id, quod Standō in solo jure naturali sufficit, ut dispositio aliqua in se valida sit, sufficit, ut hujusmodi testamenta, & legata ad pias causas valida sint in foro conscientiæ. Quocirca quando hæredibus certò constat, voluntatem testatoris fuisse, ut aliquid in piam causam expenderetur, esto voce solùm id reliquerit, nec possit in foro externo sufficienter per testes probari; in foro tamen conscientiæ tenentur id solvere, ac satisfacere; non enim probatione opus est, quando de veritate constat. Ob eandem

hanc rationem, si aliquid alicui datum esset occultè à testatore, ut illud post testatoris mortem expenderet in aliquam piam causam, vel ut sibi tanquam pauperi applicaret, valida esset talis dispositio in foro conscientiæ, teneretúrque talis juxta mentem testatoris id expendere, esto nullus adfuerit testis, nulláque ea de re confecta fuerit scriptura. Idem DD. complures affirmant de casu, quo moriturus cœpit condere testamentum, aut codicillum, & morte præventus non potuit illud ad finem perducere; ubi licèt secundùm alia non pia irritum sit, valet tamen quoad pia legata, quæ in sua illa imperfecta dispositione jam expresserat, nec obest quòd voluntatem suam mutare potuerit; nam cùm nullam re ipsa mutationem significaverit, aut fecerit, naturali pariter, ac Canonico jure firma manere debet, ut docent Bartol. *l. in testam. ff. de fidei commis.* Covar. *l. c. n.* 14. Abb. *in c.* 1. *& penult. de succeſſ. ab inteſtato.* Tiraq. *privil.* 7. Molina *l. c.* Laym. *tr.* 5. *c.* 2. aliique.

393 Ad 2. Q. R. Affirmativè; pater enim debet legitimam filio *l. ſcimus* 36. §. *illud præterea* 2. *ibi ne filius fraudetur debito naturali, C. de in off. teſt.* quâ proin sine legitima causa eum privare non potest, adeò, ut si in minori quantitate sit institutus, quàm esset legitima ei debita, eidem concedatur actio ad supplementum usque ad integram legitimam portionem; non tamen actio inofficiosi adversus testamentum, uti post *l. omnimodo C. de inoffic. teſt.* expressè habetur in *Authent. ut cum de appell. cognoſ.* §. *hæc autem diſpoſuimus*, his verbis: *ſi qui hæredes fuerint nominati, etſi certis rebus juſſi fuerint eſſe contenti, hoc caſu teſtamentum quidem nullatenus ſolvi præcipimus: quid quid autem minus eis legitimæ portione relictum eſt, hoc ſecundùm noſtras alias leges ab hæredibus impleri.* Quod si tamen parens causam legitimam ingratitudinis addidit, cur velit, ut non plus accipiat, actio ad supplementum non conceditur juxta citt. *leg. omnimodo &c.* Dixi causam legitimam; nam ex præscripto *Novell.* 115. *c.* 3. ut filius possit à patre exhæreditari, tria requiruntur. 1. Ut fiat ex causa justa: 2. Ut illa causa distertè, & in specie in testamento exprimatur. 3. Ut causa exhæredtiationis ab hærede in testamento instituto probetur. &c. Porrò legitimæ debitæ descendentibus nullum gravamen, modus, conditio, dilatio apponi potest, quòd si apponatur, licèt filio non concedatur querela inofficiosi ad annullandum tale testamentum, attamen gravamen, modus, conditio, dilatio sunt ipso jure nulla, non secùs, ac si non essent appositа, ut tenet communis DD. apud, & cum Ant. Gomez 1. *tom. variar. reſolut. c.* 11. *n.* 24. & expressè habetur, *leg. quoniam*

in

in priorib. C. de inoffic. test. l. 17. tit. 1. & l. 11. tit. 4. part. 6. l. scimus 36. §. cùm autem 1. C. de inoffi. test. idque meritò; cùm enim Legitimæ portio legis dispositione potiùs, quàm judicio testatoris definita sit, conveniens non fuit, eam istius arbitrio gravaminis adjectione deteriorem reddi.

An autem Paulus Sacerdos sumptus tempore Studiorum à se factos computare debeat in suam legitimam, videtur negativè respondendum, eò quòd filius sumptus, quos ex voluntate patris studiis vacans fecit, non teneatur mortuo patre afferre ad partitionem cum aliis fratribus, sed solvendi sint ex communi massa bonorum paternorum, ut docent Navarr. in *Man. c. 17. n. 160.* Molina *D. 239.* Ant. Gom. *ad leg. 29. Taur. n. 16.* Sylvest. V. *pecul. 2. q. 2.* Bartol. *in tr. de duob. fratrib. n. 16. & l. 1. §. nec castrense n. 8. ff. de collat. bonor.* Lopez aliique, quibus consentit *l. ult. ff. de petit. hæredit.* Nisi filius, (ut limitat Bartol.) fortè habeat bona propria, ex quibus sustentetur.

Ratio est, (ut alibi à nobis insinuatum est) quia hi sumptus sunt loco alimentorum, seu expensæ ad patrem spectantes, qui filium in studiis ex ejus consensu versantem sustentare tenetur, quique potest, si velit, uni filiorum splendidiorem, meliorémque sustentationem suppeditare, quàm aliis: imò secundùm Molinam l. c. alimenta, quæ filiis in studiis versantibus præstantur, sunt privilegiata ut quasi castrensia bona ad eos pertinere videantur, eò quòd scientiæ in commune Reipublicæ bonum cedant.

Nihilominus (præscindendo interim ab aliis rationibus, quas pro se Paulus allegat) R. expensas à Paulo in studiis factas conferendas esse in legitimam portionem, saltem quoad majorem earum excessum, quem in studiis versans fecit, & domi manens non feciset; nam licèt hujusmodi expensæ non sint conferendæ juxta superiùs dicta, id tamen limitandum est, ut notat Gom. l. c. nisi pater contra protestetur, & expressè velit, ut conferantur in legitimam, prout liberè velle potest; cùm non teneatur pater filium mittere ad studia, præscindendo ab aliquo alio pacto; atqui ex circumstantiis casûs constat de contraria voluntate patris volentis eas conferri in sua ultima voluntate in illa scheda relicta id expresserit, dum dixit: Quòd, cùm filio petere, & filiæ Joannæ patrimonium jam extradiderit; pro filio verò paulo sacerdote sumptus pro studiis fecerit, cum re sua ita disponat &c. ubi in hac ultima sua voluntate sumptus illos pro legitima assignat, nulla ampliùs facta mentione de proposito, seu promissione prius ad protestationem 394

filii

filii præteriti facta, aliquid Paulo suppeditandi pro supellectile comparanda, si Parochiam obtinuerit. Aliud esset, si de iis sumptibus in illa sua ultima voluntate mentionem non feciisset, atque adeò non constaret de mente testatoris.

Dixi præscindendo ab aliis rationibus à Paulo adductis, nam si Paulus à potiori victum, & vestitum per suam industriam, & merita ex conditionibus & Alumnatu ipse sibi comparavit, ut ille asserit, & ratio allegata, cur ita pater disposuerit, nulla sit; hæc utique in considerationem, & computum venire poterunt.

Dixi 2. saltem quoad majorem earum excessum, quem domi manens non feciisset, eò quòd pater plus cum eo in studiis versante insumpserit, quàm domi aliàs fuisset insumpturus; nam pater gratis tenetur præstare filio ordinaria alimenta, quando ea aliunde non habet, ut notat cum aliis citt. Gomez quæ proin, utpote aliàs debita, in legitimam computari non poterunt.

395 Ad 3. Q. Quo jure debeatur legitima? R. Liberi, & parentibus, saltem quoad substantiam deberi juræ naturæ; filiis quidem à parentibus in alimenta, parentibus verò à filiis titulo pietatis, & gratitudinis, siquidem parentum hi filii sine propriis filiis deced nt. De filiis constat ex citt. *l. scimus 36.* De parentibus patet ex *C. si pater 1. h. t. in 6.* Et de utrisque ex *Novell. 1. princ. §. primum, 2.* ubi Imperator ait, filiis, nepotibus, patribus, & matribus Legitimam deberi secundùm naturam. Ad fratres quod attinet, non tenetur frater fratrem instituere, sed eum præterire impunè potest, excepto casu, quo frater, fratre germano præterito, hæredem instituit personam turpem, cujusmodi sunt meretrices, Concubinarii, Lenones, mimi, filii Presbyterorum, adulterini, incestuosi, & quocunque coitu à legibus damnato procreati. Quo in casu jure duntaxat civili legitima debetur, & proposità à fratre querelâ inofficiosi, ejusmodi testamentum rumpi potest, *leg. fratres 27. C. de inoffic. testam.* Dictũ est suprà Legitimam filiis & parentibus jure naturali, saltem quoad substantiam deberi; nam determinatio quantitatis à jure civili statuta est, & idcircò *Legitima* à legibus etiam appellatur. Jure autem antiquo Legitima erat quadrans, seu quarta pars substantiæ defuncti, *§. sed hæc 3. & §. fin. instit. de inoffic. testam.* Sed jure novo hæc portio aucta est, ita ut modò triens, & aliquando semis debeatur, *Auth. novissima C. de inoffic. testam. & Novell. 18. cap. 1.* Et filiis quidem ita, ut triens iisdem debeatur, si quatuor sint, vel pauciores; semis autem, si quinque

que sint, vel plures, citt. Auth. & Novel. Ubi tamen excipiuntur filii adoptivi, quorum portio legitima nullo jure aucta est, quibus proin plus non debetur, quàm quadrans juxta dispositionem juris antiqui ita statuentis.

CASUS LXX.

De filiorum expensis, & donationibus in portionem hæreditatis conferendis.

CElsus Juvenis post absoluta sua studia, & peragratas ex consensu patris varias peregrinas Regiones in patriam tandem revertitur, & ad lauream Doctoratûs Juridici publicè promovetur, quam adeptus apud patrem instat, ut pro se filio Officium, tunc fortè vacans, à Magistratu emat. Pater oportuna hac occasione usus Officium pro filio emit, & post sex mensium spatium è vita excedit, quo mortuo tres superstites fratres paternam hæreditatem inter se se dividunt.

QUÆR. I. An impensæ à filio ex consensu patris factæ in gradus Academicos, studia, & lustrationem peregrinarum Regionum post mortem patris conferendæ sint in Legitimam, seu hæreditatis portionem cum aliis fratribus?

QUÆR. II. An sumptus, quos pater ad comparandum filio aliquod Officium expendit, conferendi, ac computandi sint in portionem hæreditatis;

QUÆR. III. An, & quales donationes filio à patre factæ in portionem hæreditatis conferendæ sint, ac computandæ?

396 AD 1. Q. Prædictas expensas conferendas esse, (est autem collatio bonorum secundùm Treutlor. *vol. 2. d. 17. th. 1.* rei prope *R. P. Leonardelli Soc. Jesu.* priæ in commune illatio, ut hæreditati communi permixta inter omnes cohæredes æqualiter dividatur) colligi videtur *ex Nov. 18. cap.*

6. & Auth. ex teſtam. C. de Collationib. ubi habetur, quòd filii debeant conferre res, quas habent pro dote, *vel alio modo datas:* ergo pecunia, quæ filio graduum, ſtudiorum, atque peragrationis cauſâ conſummenda datur, conferenda erit, ſi de alia voluntate patris expreſsè non conſtet. Nihilominus

397 Contrarium tenet communis DD. ſententia cum Molin. *D. 239.* & Navar. *n. 160.* pro qua varias adducunt rationes. Ant. Gomez ex eo putat non eſſe conferendas, quòd hujusmodi expenſæ ſint loco alimentorum, ſed hanc rationem non approbat Valq. *dub. 7.* quia ejusmodi ſumptus multùm excedunt alimenta, atque adeò ſaltem quoad exceſſum eſſent conferendi, ſed contrarium meritò tenet Molina citt. cum aliis, quia fas eſt parentibus ſplendidiorem, majorémque ſuſtentationem in veſtitu, cibo, equitatu, famulis, & aliis ejusmodi rebus tradere uni filiorum, quàm aliis, modò id metam rationis, attentis circumſtantiis concurrentibus, non excedat.

Probant id alii ulteriùs ex LL. & primò quidem ex *l. 50. ff. fam. erciscund.* ubi dicitur: Quæ pater filio emancipato ſtudiorum cauſâ peregrè agenti ſubminiſtravit, ſi non credendi animo pater miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur. Nec obeſt, quòd textus loquatur de emancipato, id enim factum eſt à Jureconſulto, ut caſum decideret, de quo majus poterat eſſe dubium, quia videri poterat pater eos credendi animo miſiſſe; quæ ratio dubitandi in filium fam. non cadit, cùm inter hunc & patrem nulla obligatio, nullúmque creditum intercedere poſſit.

Prob. 2. ex *l. 5. C. ad S. C. Macedonianum*: ubi ſtudiorum expenſæ pietati paternæ adſcribuntur: atqui quæ ex pietate paterna præſtita cenſentur, illa non repetuntur, ſi non fiant ex neceſſitate, prout ex neceſſitate danda eſt legitima; cenſentur enim conceſſa ex affectu donandi, & ex quadam liberalitate ad filiorum utilitatem promovendam, atque adeò non repetuntur, *arg. l. 11. C. de negot. geſt.*

Conf. ex *l. 20. C. h. t.* ubi dicitur non omnia profectitia eſſe computanda, ſed ea duntaxat, quæ ſpecialibus legibus jubentur computari: atqui ſumptus ſtudiorum cauſâ facti, non ſolùm nulla lege jubentur computari, ſed potiùs contrarium ex citatis legibus colligitur. Id, quod Jure Bavarico *tit. 36. a. 10.* ita conſtitutum eſſe teſtatur Haunoldus, qui tamen rectè advertit, attendendam hîc potiùs eſſe locorum conſuetudinem, quàm *Jus commune.*

Idem

Idem juxta dicta censendum de impensis factis, ut filius visitet Provincias, addiscat peregrinas linguas, ad gradum Academicum promoveatur, videlicet ejusmodi sumptus, nisi de parentum contraria voluntate, aut protestatione constet, censeri, eos de suo insumpsisse absque animo gravandi filium, & obligandi ad collationem & computationem cum aliis filiis.

Ad rationem dubitandi in contrarium adductam ex citt. Nov. 18. & auth.

R. relata illa verba intelligenda esse de iis, quæ specialibus legibus non eximuntur à collatione, ut cum aliis notat citt. Haunold. *tr. 6. c. 8.* quia licèt citt. suprà leges eximentes à collatione impensas studiorum sint antiquiores, ex generali tamen regula, & *l. 80. ff. de reg. Jur.* leges posteriores generales non derogant prioribus specialibus; quia correctio est vitanda, & ideò priorum exceptio subintelligenda est in lege generali posteriore.

398 Ad 2. Q. R. sub distinctione facta inter Officia; nam aliqua Officia sunt ab emptoribus iterum vendibilia, & transmissibilia ad hæredes, aliqua non. Quòd priora sint conferenda, & computanda, non controvertitur inter DD. De posterioribus negant Manzius, Grassus, aliique plures, quibus suffragatur Molina *D. 241.* arbitratus non esse id computandum, quod pater expendit in obtinendo Beneficium filio, vel Doctoratum; quia hæc personalia sunt, nec vendi, aut transmitti possunt, censentúrque ex affectu paterno, & liberalitate quadam data fuisse, nisi expresse constet de contraria patris voluntate, vel nisi filius habeat bona adventitia, quorum administratio est penes patrem, qui proin ex propriis bonis filii potest submini-strare sumptus pro studiis, & tali gradu, vel Beneficio; tunc enim si Pater sumptus submini-stravit non declarando, utrum ex propriis filii bonis, an ex suis suppeditaverit, præsumendum esse, quòd tales sumptus facti sint ex bonis filii, censent Navar. in *summ. c. 17. n. 159.* Vasq. *n. 168.* Lug. Gomez cum aliis, atque adeò si filius post mortem consequatur sua bona adventitia integra, obligari eum ad sumptus virtualiter conferendos, hoc est, tantò minus sibi sumendo de patris hæreditate. Contrarium tamen satis probabiliter tenet citt. Haunol. cum Bartol. Hunnio, & aliis, præsumptionem scilicet esse, Patrem de propriis dare filio hujusmodi sumptus, si filium de hoc non moneat, quia Administrator debet bona ita administrare, ut quantum potest, caveat, ne reddantur obnoxia litibus; atque adeò cùm possit certum reddere debitum, & obligationem conferendi, expresse ea de re monendo filium, idque non fecerit, idcircò præsu-

mitur de suis dedisse, ne bona administrata litibus subijciantur. Et ita constitutum esse de jure Bavarico testatur citt. Haun. & de Jure Lusitano, & Castellano Molina.

399 Ad 3. Q. Notandum est donationem aliam esse merè gratuitam; aliam antidoralem, seu remuneratoriam. *Gratuita* est, quæ fit ex mera liberalitate donantis, & quidem non aliam ob causam, quàm ut munificentiam suam exerceat. *Remuneratoria* est, quæ fit ex debito non quidem justitiæ, sed gratitudinis, & ob merita Donatarij, quæ proin non est strictè, ac propriè dicta donatio, quia propriè dicta donatio pro causa solam habet liberalitatem, ut patet ex l. *Aquilius 27. ff. h. t.* & *l. donationes 1.* non item remuneratoria; de qua proin non sunt intelligendæ prohibitiones, quibus certæ personæ prohibentur donare, ut contra non paucos cum Gonzal. *in c. 3. h. t. n. 9.* probibiliùs docet Sanch. *l. 6. de matrim. D. 6.* cum communi DD. quia in odiosis termini & verba in sensu stricto, & proprio accipienda sunt; donatio autem remuneratoria non est propriè dicta donatio, ut colligitur ex modò dictis.

Porrò ut donatio aliqua remuneratoria censeatur, debet fieri ob merita vel Donatarij, vel illius, cujus intuitu donatur alteri, ut si dones filio intuitu Patris, aut si Pater donet filio intuitu matris, aut alterius benè meriti, debentque merita præcessisse, & donator exprimere debet, se ob merita donare, quia etiam benè meritis potest donari liberaliter. Quòd si tamen merita præcesserint, & contrarium non exprimatur in foro externo præsumitur esse donatio non gratuita, sed remuneratoria, ut notat Menoch. *l. 2. de arbitr. c. 88. n. 53.* cum Card. de Lug. & aliis. His notatis.

R. 1. Donationes simplices filio 400
à Patre factæ, quæ per Jura non improbantur, sed statim ab initio valent, non sunt conferendæ, vel computandæ in legitimam, prout satis conveniunt DD. & colligitur ex *l. 35. §. 2.* per argumentum à contrario, ut notat Haun. & ratio est, quia pater videtur hac intentione donâsse, ut Donatarius rem illam præcipuam haberet, non obstante, quòd per talem donationem aliqua inæqualitas inter filios induceretur, alioquin non esset liberalitas, si in naturale debitum legitimæ computandum esset, ut benè aduertit Manzius n. 11. Aliæ tamen donationes, quæ per Jura improbantur, & ab initio non valent, sed primùm morte donantis confirmantur, & habent vim legati, imputandæ sunt in legitimam, ut tenet communis DD. eò, quòd legata in legitimæ supplementum imputentur.

R. 2.

401 R. 2. Donationes antidorales, seu remuneratoriæ, filio à patre factæ ob merita indebita sibi, vel alteri personæ præstita, non sunt conferendæ. Ita communiter DD. quia tales donationes non cadunt sub prohibitiones, quibus certæ personæ donare prohibentur, ut suprà dictum est, sed valent statim ab initio, & computantur inter lucra aduentitia, censentúrque acquiri ex propriis bonis, hoc est, ex propriis actionibus, sicut eas consequeretur etiam alius extraneus. Limitant tamen DD. Doctrinam hanc, ut scilicet procedat duntaxat pro casu, quo donatio non excedit notabiliter merita, aliàs ratione excessûs esset conferenda. Insuper volunt, non sufficere, quòd pater asserat merita, sed insuper debere de illis constare; aliàs pro foro externo donationem pro remuneratoria non haberi utpote aliis filiis præjudicioſam, etsi donans expresserit, se donare ob merita, ut notat citt. Mnoch. *c. 134.* Qualia autem merita esse debeant, meliùs relinquitur arbitrio judicis, qui ut judicium de hoc ferre possit, in considerationem adducet conditionem donantis, donatarij, & causam, ob quam fit donatio. Notat tamen hîc Molina *D. 244.* cum Lug. l. c. *n. 222.* si singuli filii obsequia inbita, & extraordinaria patri præstitissent, & pater donationem remuneratoriam uni præ cæteris feciſſet cum præjudicio, & diminutione legitimæ aliis filiis debitæ, tunc talem donationem in communem massam esse conferendam; eò quòd tunc pater omnibus filiis suam legitimam debeat cum donatione quadam remuneratoria, & tamen eam uni soli cum præjudicio cæterorum fecerit, atque adeò injustè, sicut injusta esset solutio in casu, quo aliquis non potest omnibus creditoribus satisfacere, & tamen uni soli solvit cum cæterorum præjudicio; Si tamen facta donatione remuneratoria uni filiorum, in aliis bonis, salva legitima, tantum adhuc supereſſet patri, ut æqualem donationem remuneratoriam aliis etiam filiis benè meritis absolutè facere posset, & tamen id non faciat, non teneretur filius ita accepta conferre utpote accepta per donationem sine cæterorum liberorum præjudicio factam, ut notat Lugo, cùm salva legitima, ex bonis adhuc remanentibus æquales donationes aliis quoque filiis facere posset.

CASUS LXXI.

De Simonia circa ingressum Candidati in Religionem.

FLorindus multarum divitiarum, & egregiæ indolis juvenis, cùm à juventute de statu Religioso eligendo cogitâsset, & ad eum amplectendum ab Hilario Abbate variis muneribus alliceretur, petit in Religionem A. suscipi, quæ ei spondet susceptionem, si & ipse vicissim spondeat partem hæreditatis, quæ ipsum concernit. Præstito utrinque consensu, & inito pacto, suscipitur Florindus in eandem, qui absoluto cum laude Novitiatu, emissâque Professione, ita se gerit, ut cùm Monasterium B. Prælato careret, eum in Prælatum postulaverit, cui tamen postulationi annuere non vult Monasterium A. nisi facta sibi aliqua compensatione.

QUÆR. I. An & quando pro receptione Canditati in Religionem possit aliquid exigi & accipi absque Simonia?

QUÆR. II. An absque labe Simoniæ liceat offerre alicui munera, aliquid promittere, legare &c. sub conditione, ut Religionem ingrediatur?

QUÆR. III. An Monasterium B. potuerit absque Simonia aliquid exigere pro concessione Florindi in Prælatum eligendi?

QUÆR. IV. Quænam pœnæ juris incurrantur per Simoniam commissam circa ingressum in Religionem, & an Professio Simoniaca sit valida?

402 AD I. Q. R. non posse quidem absque Simoniæ labe aliquid peti vel accipi tanquam pretium pro ipso ingressu seu susceptione ad statum Religiosum; posse tamen licitè aliquid exigi, vel accipi ab ingressuris vel ingressis nudo titulo sustentationis, si Monasterium sit inops, & pauper, & regula ordinis id permittat.

Prior

Prior pars patet; nam cùm status Religionis spiritualis sit, daretur temporale pro spirituali tanquam pretium, quod utique simoniacum est, & adversus jus divinum.

Posteriòrem partem tenent S. Thom. *2. 2. q. 100. a. 3. ad* 4. Naver. *man. c. 23. n. 106.* Sylv. *V. Simonia q. 15. dict. 2.* Suarez. *l. 4. c. 17. n. 18.* Cajetan. *in sum. V. excommunicatio cap. 73.* Less. *l. 2. cap. 35. dub. 12.* Palao *D.* 3. *de Simon. punct. 9.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 6. q. 9.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8.* Gonzal. in c. 18. Wiestn. n. 48. Schmalzgr. n. 194. Barbos. Monacell. aliique complures. Ratio est, quia sicut in matrimonio carnali duo considerari possunt, scilicet ratio Sacramenti, & onus sustentandi conjugem, & familiam, cujus intuitu dos à puella exigitur, licèt pro ipso Sacramento aliquid accipere Simoniacum esset: ita etiam in Matrimonio spirituali, seu Religionis professione duo considerari possunt, scilicet status spiritualis, & onus alendi personam, quorum posterius temporale & pretio æstimabile est: ergo si ex hoc capite licet aliquid accipere in Matrimonio carnali, licebit etiam in spirituali, utpote quod cum priori pari passu ambulat.

Conf. ex Trident. *sess. 25. c. 16. de Regular.* ubi habetur, quòd liceat pro victu, & vestitu Novitii, tempore, quo in probatione moratur, aliquid ex ejusdem bonis dare, & accipere; & licèt ibi non exprimatur, an etiam de eo pacisci liceat, non tamen id ibidem prohibetur: atque adeò, si tempore probationis licitum est sustentationem exigere, id ipsum licitum quoque erit alio tempore post illam, si eadem sit ex parte Monasterij indigentia.

Nec obstat hîc c. *quoniam 40. de Simon.* ubi prohibet Pontifex Monasteriis Monialium, ne prætextu paupertatis aliquid exigant; nam uti notat Suarez. l. c. cum aliis citt. ibi sermo est duntaxat de casu, quo Monasterium revera pauper non est, & nihilominus illo titulo, & colore aliquid exigit. Porrò dixi suprà, si Monasterium inops, & pauper sit. Nam controversia major est de Monasterio opulento, & sufficienter dotato; an aliquid ab hoc peti, & accipi possit? Ubi

Affirmativam sententiam amplectuntur Sylv. V. *Simonia q. 15. si autem Monasterium*, Sotus *l. 9. de Just. q. 6. a. 2.* Tolet. *l. 5. c. 89.* Arragon. *q. 100. a. 3.* & alii, existimantes etiam in Monasteriis opulentis, & benè dotatis posse aliquid accipi, & exigi ab ingressuris, vel ingressis ex nudo titulo sustentationis. Rationem dant. 1. Quia id evincit recepta consuetudo præcipuè in Monasteri s Mo- 403

na-

nialium, in quibus videmus, neminem recipi nisi sufficientem pecuniam ad sui sustentationem afferat, vel alia ratione Monasterio proficua sit. Signum ergo est hoc non esse prohibitum jure Ecclesiastico, aut si prohibitum est, consuetudinem adversus prohibitionem jam invaluisse. 2. Quia hoc casu non exigitur temporale pro spirituali, tanquam pretium, sed solùm requiritur tanquam conditio, ut secum afferat necessaria ad sustentationem, ne Monasterium per novarum personarum susceptionem gravetur & ut plures sic suscipiantur, quæ aliàs recipi non possent.

404 Verùm negativam sententiam tenent alii, idque probabiliùs, ac veriùs, cum S. Th. *in 4. d. 25. q. 3. a. 2. ad 7.* dicente: *Si sine gravamine possit recipi Novitius, Simoniacum est aliquid exigere.* Cajetan. *2. 2. q. 100. a. 3.* Rosella V. *Simonia n. 1. p. 2. relect. de Simon. n. 12.* Suarez. *c. 17. n. 10. & D. 22. de censur. S. 5. n. 10.* Less. n. 68. Rodriq. *t. 2. q. 49. a. 2.* Marcant. *tom. 3. tr. 10. tit. 6. q. 10.* Schmier. *p. 2. de Delict. c. 1. n. 107.* P. Friderich. *tr. de Simon. c. 4. n. 133.* Schmalzgr. n. 201. aliisque. Prob. 1. ex citt. c. *quoniam 4. h. tit.* ubi tanquam simoniacum prohibetur, etiam sub prætextu paupertatis aliquid temporale exigere ab ingredientibus Religionem, ubi satis indicatur, illam quoque exactionem inhiberi, quando petitur aliquid pro sustentatione tunc, cùm Monasterium ad hanc præbendam sufficientia habet bona; tunc enim potiùs fingitur, quàm revera datur titulus necessariæ sustentationis.

Conf. ex *extravag. prim. de Simonia*, ubi Urbanus Papa sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibet, ne ab iis, qui Religionem ingrediuntur, aliquid exigatur directè, vel indirectè, præter id, quod ingredientes purè, & spontè, & plena libertate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre voluerint.

Prob. 2. ratione; quia cùm Monasteria sufficienter dotata, & Ecclesiæ authoritate ita instituta, & ordinata sint, ut Religiosi gratis recipiantur, & alantur, hoc ipso, quòd aliquis suscipiatur in Religionem jus habet ad sustentationem ex reditibus Monasterij capiendam, cessatque jus aliquid exigendi ratione ejusdem sustentationis, adeóque cùm alius titulus non adsit, videtur exactio fieri pro ipsa susceptione ad statum, & jus Religionis, quod est spirituale, & meritò Ecclesiastico saltem jure Simonicum censeri debet, ut colligitur ex citt. juribus.

Accedit quòd hac ratione eludi possit omnis simonia circa ingressum

sum Religionis, cùm Præpositi Monasteriorum; etiam opulentissimorum, dicere possint, se temporale non exigere pro ingressu, sed pro ingressi honesta sustentatione. Unde

Ad rationem 2. in contrarium allatam R. Id solùm probare, quòd in tali casu non committatur Simonia juris naturalis, & Divini, non autem juris Ecclesiastici, quod dum exactionem specialiter prohibet Monasterio diviti, & valenti Candidatum alere, non prohibet tantùm, ne quid exigatur, ut pretium pro ipso ingressu, cùm hoc prohibitum sit etiam Monasterio pauperi, sed etiam ne exigatur pro alimentis.

Ad 1. Rationem R. eam consuetudinem, quæ est unica ferè ratio sententiæ oppositæ, facere eam satis probabilem, siquidem pro nudo titulo sustentationis, & non pro ingressu aliquid accipiatur, vel exigatur, quàm consuetudinem non esse damnandam, censent etiam Suarez, Laym. Palao, Pirhing hîc n. 59. Wiestn. n. 48. & alii.

Et quidem in Monialium Monasteriis etiam opulentis posse aliquam pecuniæ Summam ab ingressuris, vel jam ingressis exigi titulo dotis, universalis totius propemodum Orbis consuetudo docet apud citt. AA. quam consuetudinem speciali indulto firmavit Innoc. VIII. apud Tambur. *de Jur. Abbatiss. D. 5. q. 2. & 3.* Et ratio est, quia quilibet maritus sive dives, sive pauper sit, Matrimonium contracturus dotem exigere potest à sponsa suo Statui convenientem, *l. fin. C. de dot. promiss.* ergo etiam in Matrimonio spirituali, quod cum carnali pari passu ambulat, rectè dos exigitur.

Limitant tamen 1. Ne pactum fiat pro aliquo dando pro ipso ingressu. 2. Ne dos exigatur ab omnibus sine discrimine, ne hoc modo pauperes sæpè magis dignæ, & idoneæ Statu Religionis excludantur. 3. Ne admittatur aliqua inhabilis ex sola spe aliquid temporale ab ea accipiendi; quia talis finis ab admittentibus intentus, isque principalis, foret aliquid temporale; dare autem aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, & ut principaliter intentum, Simoniacum est; quia malitia Simoniæ in eo consistit, quòd res sacra, & spiritualis indignè, & irreligiosè tractetur, eam in commutationem trahendo pro re temporali.

Ad 2. Q. R. Ex natura rei non 405
esse Simoniam aliquid promittere, legare, munera offerre sub conditione, ut Religionem ingrediaris, ut fidem Orthodoxam amplectaris, Sacramenta frequentes &c. Ita Gloss. *in C. debet, caus. 23. q. 4.* Navar. *C. inter verba 11. q. 3. concl. 5.* Suarez *de Simon. c. 16. n.*

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

12. Molina *t. 1. tr. 2. D. 93. concl. 4.* Sanch. *l. 1. de matr. D. 39.* Leſſ. *l. 2. cap. 35. dub. 12.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 11.* Palao *de Simon. D. 3. pun. 9.* Barboſ. *in c. 30. h. tit. n. 6. & 7.* Valen. *D. 6. q. 16. p. 3. ver. tertiò ſequitur &c.* aliíque complures contra non nullos cum S. Antonin. *p. 2. tit. 12. c. 2. §. 1.* Abb. *c. cùm in Eccleſ. n. 7. & c. dilectus 2. n. 7. de Simon.* & Sylveſt. *V. Religio 2. q. 2. & V. Simonia q. 8. dicto 3.* Ratio eſt 1. communis praxis ſatis clarè approbata à SS. Canonibus, *C. olim 12. de reſt. ſpoliat. C. fin. de teſtam. c. ex parte 31. C. verùm 4. de condit. appoſ. & Clement' dudum 2. de ſepult.* ubi generaliter admittitur facultas donandi, legandi Eccleſiis, & cauſis piis ſub conditione honeſta. Et *C. cùm ſit proprium, 2. de condit. appoſ.* ubi manu mittitur ſervus, eique libertas conceditur ea conditione, & modo, ut Monachus fiat, & non aliter, libertas autem pretio eſt æſtimabilis: adeòque conceditur aliquid pretio æſtimabile ſub conditione Religioſi Statûs ſuſcipiendi. Et ratio eſt; quia ex vi illius donationis non imponitur donatario aliqua obligatio, ſed ei datur optio, ut ſi velit libertatem adipiſci, eligat Religionem, ſin minùs ſervus maneat, ſicut, antea. Unde

Ratio R. ulterior eſt; quia in hujusmodi promiſſionibus, donationibus, & Legatis non intervenit contractus oneroſus, imponens obligationem abſolutam, ſed ſolùm ſi rem promiſſam accipere, vel rem donatam retinere velit, adeòque id, quod conditione impleta datur, adhuc gratuitò, & merè liberaliter datur, ſicut gratuitò, & liberaliter datur, quod te alicui donaturum promiſiſti ſub conditione, *ſi pax ſequatur, ſi navis ex India venerit, ſi pater tuus mortuus eſt.* &c.

Et hinc fundantur perſæpè Eccleſiæ, & Monaſteria ſub conditione operis pii exercendi, eriguntur ſeminaria, & adoleſcentibus ſumptus Studiorum miniſtrantur ſub conditione, ut Statum Eccleſiaſticum amplectantur, alioquin ſumptus ſuppeditatos refundant; quæ utique Simoniaca dici nequeunt; ſiquidem nullam propriam obligationem imponas, ſed declares duntaxat intentionem tuam limitatam eſſe, neque velle ſuſtentationem dare, niſi ſub conditione de Statu Eccleſiaſtico amplectendo; cùm enim dominus ſis rei tuæ, potes illam ſub hac, vel illa conditione donare, & non aliter, ut notat Suarez citt.

Conſ. licitum eſt contrahere Matrimonium cum infideli ea conditione, ut convertatur, *C. Non oportet 28.* cur ergo non liceat offerre munera ſub conditione,

tione, si v. g. Religionem ingrediatur &c.

In suprà dictis ergo promissionibus, donationibus &c. temporale, quod datur, non consideratur, nec datur tanquam pretium, aut motivum, vel finis rei spiritualis, sed potiùs tanquam liberalis remuneratio actûs spiritualis, exerciti in gratiam donantis, vel legantis, non imponendo obligationem absolutam, ut dictum est.

Nam si res temporalis ea ratione daretur, ut simpliciter imponeretur obligatio donatario vel promissario ad opus spirituale præstandum, non evitaretur Simonia, videretur enim tunc, ejusmodi opus spirituale, ad quod aliquis absolutè & simpliciter obligatur, pretio æstimari, & effici contractum onerosum, v. g. *do tibi centum, ea lege, ac obligatione, ut Religionem ingrediaris.*

Et in hoc sensu intelligi debet textus *can. quàm pio 2. caus. 1. q. 2.* ubi ad casum, quo Monasterium quoddam Prælato carens ex alio Monasterio Prælatum postulavit, cui petitioni annuere noluit, nisi facta sibi aliqua compensatione, respondit Bonifacius Papa, se anxium esse, & dubium non de dando responso, sed quibus verbis dandum esset, ne multùm eos Religiosos contristaret, ac tamen modestè, & prudenter respondit, nullo modo licere talem exactionem, argumento desumpto ex Apostolorum exemplo, de quibus dicit, nunquam provocâsse aliquem ad Dei cultum aliquo muneris interventu. Scilicet imponendo illi determinatam, & absolutam obligationem. Unde ita concludit: Cavete ergo, fratres, quàm sit ambiguum, quod petistis, consilium, quod quidem secundùm vestræ voluntatis propositum, nulla invenimus ratione confirmatum. Verumtamen si vestræ necessitati adeò est opportunus, quem reperistis, dummodo tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio, nullâque vestræ Ecclesiæ fiat distractio, accedat gratis, Deo servire incipiat, suique regiminis devotè gestet obsequium: Et postmodum vos quasi subsidii gratiâ, aliqua suæ Ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit Ecclesia. Hæc Pontifex. Ex quibus patet etiam responsio ad 3. Q.

Ad 4. Q. R. pœnas impositas 406
ob Simoniacum ingressum in Religionem haberi in *Extravag. 1. de Simon.* Ubi 1. Excommunicantur Excommunicatione majore Papæ reservata dantes ex pacto & recipientes pecuniam pro ipsa receptione in Religionem, & Capitulum, in talem receptionem consentiens, suspenditur ab omni actu jurisdictionem, vel administrationem requirente.

2. Incurrunt infamiam. *Extr. citt.* saltem si crimen sit notorium notorietate juris, vel facti.

3 Ita recipientes, & recepti, postquam de Simonia convicti, & condemnati fuerint, jubentur expelli ex Monasterio, & detrudi in aliud arctius, *citt. Extr. & C. de Regularibus 25.* Ex quo simul colligitur Professionem quoque ita factam validam esse, atque adeò ita professum ad sæculum ex hoc capite redire non posse, uti constat ex *cap. de Regular. C. quoniam de Monial. C. veniens eod.* & tenet communis cum Suarez c. 57. de Sim. Sanch. Less. Laym. Filliuc. &c. Et ratio ulterior est, quia peccatum simoniæ non reddit actum invalidum, sicut non reddunt alia peccata, nisi à jure, vel aliunde irritetur, sic valida est venditio Calicis sacri licèt, qui vendit, pretium augeat ratione benedictionis, & rei sacræ: atqui Professio Religionis Simoniaca non irritatur à jure, sed potiùs contrarium colligitur ex citt. textibus; sicut tamen expressè irritatur acquisitio Beneficiorum Ecclesiasticorum per Simoniam obtentorum in *Extravag. de sim.* & *Bulla Pii V.* & ex communi DD. docet Suarez n. 22.

Porrò ad incurrendas prædictas juris pœnas, requirunt citt. AA. ut actus sit consumatus, seu ut professio sequatur, antequam Simoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur; quia cùm talis pactio principaliter ordinetur ad suscipiendam Professionem, eâ non secutâ, non censetur perfectè consummata Simonia; & idcircò non incurritur Excommunicatio.

CA-

CASUS LXXII.

De sponsalibus, & matrimonio invitis parentibus à filio contractis.

TUrrillus nobilis luenis Susannæ amore captus sponsalia cum ea contrahit, inconsultis, & invitis parentibus, qui ut filii matrimonium impediant, Episcopum rogant, ut Parocho prohibeat, ne tali matrimonio assistat, qua prohibitione ab Episcopo facta, eáque non obstante, Parochus tamen eos matrimonio conjungit.

QUÆR. I. An tale matrimonium validum sit?

QUÆR. II. An filius absque iusta causa iniens matrimonium inconsultis, & invitis parentibus, peccet lethaliter?

QUÆR. III. Quomodo, & quando peccent parentes filiorum Matrimonia impedientes, & an Excommunicationem incurrant, latam à Trid. in impedientes injustè Matrimonia?

497 AD 1. Q. Videtur matrimonium contra eam Episcopi prohibitionem contractum non valere. Ratio est, 1. Quia contra superioris prohibitionem licentia inferioris prævalere nec potest, nec debet: ergo ex licentia aliàs sibi concessa non poterit Parochus contra prohibitionem Episcopi tali matrimonio validè assistere. Quod

Confirmatur; quia sicut si ipse Parochus daret licentiam assistendi privato Sacerdoti ab Episcopo non approbato, & Episcopus eam licentiam revocaret, & hoc non obstante matrimonio assisteret, non valeret matrimonium, sicut si Parochus eam revocaret; potentior est enim revocatio Episcopi tanquam superioris Parochō: ergo idem est, quando contra prohibitionem Episcopi Parochus dat licentiam assistendi, vel ipsemet assistit matrimonio.

Prob. 2. Quia potest Episcopus prohibere Parocho, ne validè absolvat ab aliquo peccato: ergo idem poterit etiam in casu posito; quia sicut Parochus habet à jure, ut possit assistere matrimonio contrahendo, ita etiam habet à jure potestatem absolvendi à peccatis: ergo, si hoc non obstante, potest Episcopus prohibere prius, poterit & posterius. Nihilominus.

Dicendum est, tale matrimo-
408 nium, cui Parochus contra prohibitionem Episcopi assistit, validum esse. Ita Henriq. *l.* 11. *cap. 3. n. 4.* Sanch. *de Matrim. l. 3. D. 32.* Filliuc. *tr. 10. cap. 6. q. 6. n. 215.* Reginald. *lib. 3. n. 179.* Petr. Ledesm. Gutier. aliique communiter, & ita declarâsse Sacram Congreg. Cardinalium refert cum aliis Salzedo *pract. cap. 73. §. Primum dubium.* Ratio est; quia per solam simplicem prohibitionem Episcopi nullatenus censetur sublata potestas Parochi à jure eidem concessa, ut colligitur ex *cap. 2. de Matrimonio contrahendo contra interdict. Eccles.* Ubi dicitur: *Licèt enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non tamen est conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii dissolvatur.* Per quem textum Dec. *c. 2. de testib. n. 17.* & Rota *in novissimis, decis. 750. n. 3.* docent, esse speciale in Matrimonio, illud minimè irritum reddi ex simplici prohibitione: ergo quamvis Episcopus simpliciter prohibeat, minimè irritabitur Matrimonium, saltem nisi decretum irritans addat. Quod

Conf. Licèt per Trident. *Sess. 24. c. 7. de matr.* prohibitum sit Parochis, ne assistant vagorum matrimoniis, nisi præmissa diligenti informatione, & petita Episcopi licentia, si tamen iis non præmissis assistant eorum Matrimoniis, valida hæc sunt, ut pluribus probat citt. Sanch. quia ad essentiam Matrimonii tantùm requiritur præsentia Parochi cum 2. testibus; Tridentinum verò ibi eam diligentiam exigit duntaxat ad eundem finem pro vagabundis, ad quem pro indigenis præmitti petit denuntiationes: quibus tamen omissis valet Matrimonium: ergo & omissa ea diligentia, & licentia. Si ergo non esset irritum Matrimonium, si Parochus contra eam Concilii prohibitionem aliquos Matrimonio conjungeret, à fortiori illud non reddet irritum simplex Episcopi prohibitio. Dixi suprà saltem nisi decretum irritans addat; nam si Episcopus non solùm interdiceret Parocho, ne tali matrimonio assistat, sed etiam adderet clausulam irritantantem ipso facto tale Matrimonium, si secùs factum fuerit, controversum, & dubium est inter DD. an validum foret tale matrimonium. Resolutio hujus dubii pendet ex eo, an Episcopus vi sui muneris impedimenta Matrimo-

trimonii inducere, & apponere possit? Ubi affirmant alii cum Sanch. l. c. Pontio, Turrian. Villalob. Hurtad. & alii, quos citat, & sequitur Leand. *tom. 2. de Sacramen. D. 9. tr. 9. q. 5.* Negant alii cum Suarez. *de Cens. tom. 5. D. 7. S. 4.* Diana *tr. 13. R. 23.* Coninck *D. 30. dub. 1.* aliisque.

Hodie tamen (quid quid sit de jure) satis certum est, teste Diana, Episcopos non posse impedimenta Matrimonii constituere, quia potestas apponendi impedimenta jam reservata est Summo Pontifici, uti fatetur ipsemet Leand. cum aliis citt. apud eundem Dian. Unde

Ad argumenta in contrarium allata R. Ad 1. Id verum esse, quando Superior potest, & per suum præceptum intendit annullare actum ab inferiore contra gestum, secùs si id non intendat, prout non intendere censetur Episcopus per simplicem suam prohibitionem, ut colligitur ex suprà dictis; multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, *C. Ad Apostol. de reg.*

Ad Conf. R. N. Consec. nam eo ipso quòd à Sacerdote privato, habente licentiam assistendi, Episcopus licentiam auferat, manifestè intendit, ut actus contra gestus irritus sit, cùm ille omninò maneat persona privata, nec eam licentiam habeat ex officio, & jure, prout tamen eam habet Parochus ex Officio, & tanquam persona publica, quæ proin per simplex præceptum ab eo non censetur auferri.

Ad 2. R. N. parit. disparitas est, quòd cùm Episcopus jure permittente possit sibi aliquos casus reservare, etiam respectu Parochorum, eo ipso, quòd prohibeat alicujus casûs absolutionem cum clausula irritante, censetur in actu exercito illum casum sibi reservare, & limitare in hoc Parochi jurisdictionem. Secùs est in casu Matrimonii posito, ubi per simplicem prohibitionem non censetur Episcopus potestatem à jure concessam Parocho auferre, nec ullo jure probatur, posse Episcopum Matrimonium irritum reddere, suppositò, quòd fiat cum omnibus solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis.

Ad 2. Q. An filius, invitis, & 409
inconsultis parentibus contrahens Matrimonium, delinquat lethaliter? Affirmativè respondent Sotus *2. d. 18. q. 1. a. 1. fin.* Navar. *3. Summ. c. 14. n. 15.* Bellarm. *l. 1. de matrim. c. 19. propos. 3.* Fagund. *l. 4. in Decalog. c. 4.* Salon. Lud. Lop. aliique complures cum Molin. *D. 176.* & Tolet. *l. 5. c. 1.* cum hac limitatione: si nempe filius indignam ducat contra parentis voluntatem.

Ratio-

Rationem dant. 1. Quia per eam inobedientiam infertur injuria parentibus in re gravi, & ob quam jure merito graviſſimè illi offendutur cum amicitiæ diſſolutione, omnino non, vel non niſi ægerrimè redintegranda, ut docet experiêntia: ergo.

2. Quia parentum cura, munus, ac poteſtas id poſtulat, ſuntque hæc relativa: ego teneor tui curam habere, & tibi circa hoc providere; & tu teneris in hoc mihi obedire, ut colligitur ex D. Paulo *ad Hæb. 13.* atqui parentes tenentur ſub mortali providere filio de nuptiis, cùm non filiorum, & maximè filiarum, ſed parentum munus ſit, quærere nuptias, & providere filiis, dum ſuæ curæ, & poteſtati ſubſunt, ut innuitur, *C. Aliter 30. q. 5. & C. Qualis 30. q. 5.* & multis ex S. Scriptura adductis exemplis probat Bellarm. l. c. ergo tenentur & filii ſub mortali obedire, non eligendo matrimonium invitis parentibus absque juſta cauſa; nam ſi juſta ſubſit cauſa ex parte filii, eum à culpa immunem eſſe ultrò fatentur omnes, uti ſi pater indigno Matrimonio collocare velit gratia amplioris dotis, vel ſi velit filium ducere uxorem ægram, imprudentem, aut talis conditionis, cum qua probabiliter credat filius fore, ut pacem non ſit habiturus &c. Sententia hæc valdè probabilis eſt. Nihilominus

Præplacet, & probabilior videtur ſententia complurium aliorum, qui cum S. Th. *22. q. 104. a. 5. in corp.* Sanch. *l. 4. de Matrim. D. 23.* Menoch. *conſ. 69.* Abb. *c. 1. n. 6. de ſponſ. impub.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 3. §. 8.* Laym. *l. 5. tr. 10. c. 1.* docent, teneri filium ſub culpa gravi conſilium parentum circa matrimonium exquirere, eósque conſulere, eorum tamen conſilium ſequi, non fore obligatum, ſed licitè poſſe, iis invitis, priùs tamen conſultis, inire Matrimonium, quod volunt. Ratio prioris partis elucet ex rationibus prioris ſententiæ; quia parentum cura, ac poteſtas poſtulat, ut ſine eorum conſilio nihil Statuatur in re tanti momenti, à qua totum vitæ inſtitutum pendet, ipſáque perpetuitatis ratio, & onera Matrimonii maturum in nuptiis celebrandis conſilium expoſcunt, quod parentes filiorum collocandorum curam, & obligationem habentes meliùs, utiliúsque dare poſſunt, & aliqua fortè aperire, ob quæ licitum ſit filio decepto ſponſalia diſſolvere, vel ſi illis aſtrictus non ſit, mutare voluntatem &c. 410

Ratio poſterioris partis eſt. 1. Quia in iis, quæ ad electionem Statûs,

statûs, ad proprii corporis sustentationem, & ad filiorum generationem spectant, omnes homines sunt pares, nec filii in iis subiiciuntur parentibus, ut advertit S. Th. l. c. ergo in iis non tenentur sequi consilium, & voluntatem parentum. Quod

Conf. quia recta ratio postulat, ut homo in matrimonio contrahendo, ubi perpetuæ se obligat servituti & onus gravissimum subit, omninò liber sit, & à nullius alterius voluntate pendeat. Id, quod colligitur ex *C. veniens; de sponsi. cùm vivum de regular.* ubi; quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem.

Prob. 2. Quia nemo obligatur ad id, quod est peccaminosum, & culpabile: sed filius promittens clam puellæ Matrimonium tenetur sub gravi obligatione ad implendâ factam, & acceptatam promissionem, nec inter caulas dissolvendi sponsalia numeratur resistentia parentum, nisi quando gravissima suborirentur scandala, aliáque gravia mala: ergo inire matrimonium absque consensu parentum non est culpabile, & peccaminosum, hoc ipso, quòd promittens datam sponsaliorum fidem servare teneatur, tametsi sponsæ imparis conditionis promisisset. Unde

Ad argumenta prioris sententiæ responderi potest, ad 1. esse quidem gravem injuriam, quando filius inconsulto patre Matrimonium contrahit; secùs si ea de re patrem consulat, quamvis dein pater non consentiat in tale Matrimonium, eóque non consentiente, Matrimonium tamen contrahat, tunc enim nulli irrogat injuriam, hoc ipso, quòd in hoc sit sui juris, utatúrque jure sibi concesso.

Ad 2. R. curam, & munus parentum, postulare, ut hi à filiis hac de re consulantur, essèque valdè honestum, & decens sequi etiam consensum parentum, non tamen esse præceptum, & obligationem in filiis, utpote qui in hoc sunt sui juris, & parentibus non subijciuntur.

Ad 3. Q. Quomodo, & quando peccent parentes filiorum Matrimonia impedientes? Suppono tanquam fide certum, Matrimonium initum à filiis absque parentum consensu validum esse, nec posse annullari, ut constat ex Trident. *Sess. 24. c. 1. de Matrim.* Nec posse Liberos à parentibus cogi ad contrahendum Matrimonium, neque ab eo contrahendo impediri, ut tenet unanimis DD. sententia cum S. Th. 4. *d. 29. unic. a. 4.* & sumitur ex citt. c. *veniens*, c. *cùm virum*, & c. *sufficiat*, 27. q. 1. quia cùm in Matrimonio sit quasi servitus quædam perpetua; homo verò sit liberæ conditionis, ideò nequit à patre ad servitutem hanc compel- 411

li. Unde Leges Civiles, quæ ad filiæ Matrimonium patris consensum tanquam necessarium exigunt, vel tantùm ad honestatem sunt referendæ, vel certè correctæ sunt à jure Canonico, ut notat Covar. *in epit. p. 2. c. 3. §. 8.* & patet ex citt. Tridentino. His præmissis

412 R. 1. peccant parentes absque justa causa impedientes filiorum Matrimonia; quia filius est sui juris circa statûs electionem; & quidem lethaliter, si filium à Matrimonio contrahendo, quod promisit, impediant, ut notat Laym. l. c. quia cùm talis promittens ad implendam promissionem gravi obligatione teneatur, & in omni foro compelli soleat, sicut testatur Ecclesiæ praxis, & ex communi docet Molina tom. 2. D. 271. inde sequitur, patrem mortaliter peccare, si filium impedire, vel ei dissuadere conetur id, ad quod ipse sub peccato mortali obligatur.

R. 2. si filius nondum se Matrimonio obstrinxit, adeóque non teneatur ratione fidei præstitæ, non peccat pater, si mediis suavibus absque vi, & metu Matrimonium ex justa causa v. g. quia est indignum, impediat, ut probat cum aliis Sanch. l. c. quia hoc non est cogere ad Matrimonium, hoc ipso, quod metus gravis non inferatur, nec filius impediatur, quin aliud Matrimonium dignum contrahat.

Dixi suprà absque justa causa; nam si ex Matrimonio, quod filius inire cogitat, ob disparitatem sponsorum, aliove ex capite timeantur gravia scandala, dedecus familiæ, discordiæ &c. Parentes tale Matrimonium, tanquam charitati, & pietati repugnans, impedire tunc possunt, ac debent, ut notant citt. DD. implorata etiam illius Judicis auctoritate, ad quem pertinet similia mala, & scandala impedire.

Ad secundum Q. membrum, 413 censent non nulli parentes injustè impedientes filiorum Matrimonia, incurrere Excommunicationem latam à Trident. l. c. c. 9. contra injustè impedientes Matrimonia, quia Concilium generaliter loquitur. Sed oppositum tenet communis DD. apud Sanch. D. 22. quia decretum illud loquitur ibi de Dominis temporalibus, & magistratibus, & aliis jurisdictionem in foro externo habentibus, ut constat ex præfatione; ergo non debet pœna ibi statuta extendi ad alias personas ibi non numeratas, juxta l. Interpret. ff. de pœnis.

CA-

CASUS LXXIII.

De sponsalium dissolutione.

FAustina Virgo valdè opulenta contrahit sponsalia de futuro cum Fausto; Post aliquot menses inaudit Faustus maximam pecuniæ summam fuisse Faustinæ furto sublatam, sicque ex valdè divite pauperem effectam esse: Quare sponsalia dissolvit cum Faustina, & alia init cum Barbara, quam cùm postea ab alio corruptam fuisse intelligeret, ab his quoque sponsalibus resilit, non obstante, quòd & ipse fornicationem cum alia commiserit.

QUÆR. I. An Faustus ob paupertatem Faustinæ supervenientem à sponsalibus licitè resilire potuerit?

QUÆR. II. An sponsus sponsalibus renuntiare possit ob insperatas divitias sibi post illa contracta supervenientes?

QUÆR. III. An utrique sponso, vel cuinam à sponsalibus resilire liceat, quando post ea contracta uterque fornicationem commisit?

414 AD 1. Q. satis convenit inter DD. posse sponsum à sponsalibus resilire, si dos fuit eidem promissa; quia tunc promissio dotis est conditio, sub qua sponsalia celebrantur; qua proin conditione deficiente, etiam citra culpam sponsæ, hoc ipso cessat obligatio sponsalium.

Sed dubium, ac controversum est inter DD. casu, quo nulla dotis promissio præcessit: Ubi non non pauci cum Covar. *4. decr. 1. p. c. 5. n. 5.* Barbos. *in Rub. ff. soluto matrim. p. 4. n. 3.* Palud. *4. d. 27. q. 1. a. 2.* Lud. Lop. Manuel. aliisque apud Sanch. *l. 1. de sponsal. D. 59. n. 3.* censent, sponsalia non dissolvi per paupertatem sponsæ supervenientem; quia dote non promissâ non est cēsenda sponsa omnia sua bona in dotem offerre, nisi id exprimat: ergo promittens sponsalia,

salia, sive matrimonium sponsæ diviti obligatur stare suis promissis, ac si sponsa nulla bona haberet; si enim sponsus sub conditione bonorum, quæ de præsenti sponsa habet, intelligi voluisset obligationem sponsalium, debuisset id exprimere, & in pactum deducere, atque adeò sibi imputare debet, quòd nullum de dote pactum inierit.

415 Nihilominus sponsalia eo in casu dissolvi, idque probabiliùs ac veriùs, docent alii cum Abb. in *cap. quemadmodum de jurejur. n. 10.* Navarr. *c. 22. n. 27.* Sylvest. *V. sponsalia, 9. 10. cas. 9.* Henriq. *l. 11. c. 14. n. 6.* Sanch. *l. 1. D. 59. n. 4.* Coninch. *D. 23. dub. 8. n. 69.* Palao *D. 1. p. 28. n. 3.* Laym. *l. 5. tr. 10. 1. p. c. 2.* aliique. Prob. 1. argumento oppositio contrariæ sententiæ fundamento, quia sponsa dives censetur tacitè omnia bona sua in dotem promittere, ut cum aliis tradit Bart. *l. si constante, n. 78. ff. soluto matrim.* Ergo si habitas facultates amittat, cùm tacitè promissam dotem solvere nequeat, deficiente conditione, cessabit sponsalium obligatio. Verùm cùm utraque pars argumentum hoc sibi vendicet, esto id verum non sit; Prob. tamen 2. ex eo, quia negari non potest, eam esse notabilissimam, & gravem mutationem, quæ si à principio existeret, sponsalia contrahi impediret, & quemlibet prudentem à matrimonio contrahendo averteret: ergo etiam superveniens dissolvit sponsalia; rebus enim notabiliter mutatis promissio non obligat juxta *C. quemadmodum de jurejur.* Et ratio ulterior est, quia in matrimonio contrahendo vel maximè attenditur patrimonium contrahentis, an amplum sit, an exiguum, ut onera matrimonii sustentari possint, & in hujusmodi casibus persæpè magis arrident divitiæ, quàm sponsa, quæ præcipuum vel unicum non rarò sunt motivum cum tali sponsa contrahendi: Quare promissio illa matrimonii contrahendi subintelligitur sub illo divitiarum statu; unde si illo excidat sponsa, cessabit obligatio, & Faustus à sponsalibus resilire poterit.

Ad 2. Q. An, si post sponsalia, 416
uno sponso in eodem statu manente, alteri superveniant insperatæ divitiæ, possit iste ea de causa à sponsalibus resilire? Respondent non nulli cum P. Schmier *p. 1. de sponsal. c. 5. n. 149.* affirmativè, eo quòd in tali casu sponsalium executio illi fiat notabiliter durior, ita ut meritò præsumi possit, sponsum à principio non fuisse in sponsalia consensurum, si se ita divitem videret, aut tot divitiis augendum.

Verùm contrarium probabiliùs tenent alii, obligantes sponsum divitiis auctum ad standum suis promissis. Ita Sanch. l. c. n. 6.

Co-

Coninck. l. c. n. 5. Gutier *c. 33. de matrim* König. *hic n. 78.* Pirh. n. 64. Schmalzgr. n. 192. & alii. Rationem dant; quia sponsa, seu pars, cum qua contraxit, per divitias sponsi non est deterior facta: ergo non debet suo jure privari per divitias alteri parti supervenientes, quæ non præstant sufficiens resiliendi fundamentum; non enim per hoc potest dici deceptus sponsus in sponsæ conditione, cùm ex hujus parte nihil immutetur, nec per errorem in eam consensisse, nam si quis error est, circa propriam sponsi conditionem est, circa, quam consensus non fertur; non verò circa conditionem sponsæ. Nec obstat, quòd executio sponsalium illi durior fiat, quia non fit durior per se, sed ex eo, quòd impediatur ab aliis nuptiis ditioribus contrahendis, quod ad resiliendum à jam contractis sponsalibus non sufficit, aliàs quoties offerentur sponsalia ditiora, minùs ditia possent solvi, ut notat Palao l. c. quod utique dicendum non est. Unde patet responsio ad argumentum sententiæ oppositæ.

417 Ad 3. Q. An utróque sponso fornicante liceat utríque, vel cuinam à sponsalibus resilire? Respondet Baludan. *4. d. 27. p. 1. a. 3. n. 17.* neutri licere in eo casu à sponsalibus resilire; quia si uterque post sponsalia fornicetur compensatur delictum delictò, eò quòd in causa matrimonii uterque sit æqualis, & mutua fornicatio compensetur, & quamvis fornicatio fœminæ gravior sit, ac fœdior, non tamen permittitur divortium viro fornicanti, sed si uterque committat adulterium, neuter agere potest ad divortium. *C. intelleximus, 6. Adulter:* ergo etiam neuter sponsorum resilire à sponsalibus poterit, casu, quo utérque fornicationem commisit.

Alii cum Sanch. *D. 55. num. 9.* Henriq. *l. 11. de matrim. c. 14. n. 6.* Coninck. *D. 23. dub. 7. concl. 6.* Gutier. *c. 31. n. 4.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 12.* & aliis docent in eo casu non compensari delicta, sed solum sponsum posse repudiare sponsam fornicariam, & à sponsalibus resilire; quia ubi delicta sunt imparia, non admittitur compensatio: in posito autem casu delicta sunt imparia, quia longè fœdior est fornicatio sponsæ, quàm sponsi, longéque vilior, & sponso detestabilior, *argum. leg. etsi crimine, Cod. ad leg. Jul. de adulter. leg. palam ff. de ritu nuptiar.* Ergo non admittitur compensatio; siquidem iniquè fieret compensatio, ubi detrimentum ex altera parte est longè gravius, uti est detrimentum viri ob fornicationem sponsæ, utpote quæ multò turpior est in fœmina, ut dictum est, & pluribus probat Tiraquel. *l. 1. connub. n. 45.* ob quam causam patri concubinario, seu luxuriosè viventi permittitur filiam luxuriosè viventem ex-

hæredare, non tamen id matri luxuriosè viventi concessum est, *C. Raynutius, pr. n. 15. de testam.* & notat Molina *tr. 2. de J. & J. D. 176.* Unde

Ad argumentum primæ sententiæ respondent, illud non benè deduci à matrimonio ad sponsalia; quia obligatio matrimonii quoad thorum, & cohabitationem longè difficiliùs solvitur, quàm obligatio sponsalium; hæc enim ob quamlibet notabilem mutationem, aliísque modis dissolvi possunt; matrimonium verò ex causis tantùm gravissimis.

418 Sententia hæc secunda licèt valdè probabilis sit, magis tamen arridet, & in praxi tenenda videtur tertia sententia Palai *tr. 28. D. 1. p. 25. n. 10.* docentis, hoc casu non solùm sponsum fornicantem resilire posse ob sponsæ fornicationem, sed ipsam quoque sponsam ob fornicationem sponsi posse sponsalibus renuntiare, quem sequuntur P. Wiestn. hîc n. 106. & P. Schmalzgr. n. 167. Ratio est 1. quia esto fornicatio sponsæ fœdior sit, & sponso detestabilior, sponsus tamen sua fornicatione fidem datam violat, præstátque sponsæ sufficientem causam diffidendi de observatione fidei conjugalis imposterum servandæ, quæ causa potissima est, quòd sponsis liceat à sponsalibus resilire casu, quo unus tantùm fornicatur. 2. Quia ponamus sponsum priùs fornicatum esse; posita hac fornicatione sponsa potest statim velle à sponsalibus resilire, quia jus resiliendi absolutum jam ei quæsitum est; hac ergo voluntate posita ob fornicationem ipsius postmodum supervenientem nequit ampliùs obligari ad sponsalia, utpote quæ jam soluta sunt, & extincta obligatio standi promissis per jus jam quæsitum, quod per fornicationem sponsæ subsequentem non tollitur, nec extincta obligatio standi sponsalibus reviviscit. Idem viciſſim dic, si sponsæ fornicatio præcessit, & sponsus ab obligatione sponsalium jam recessit.

3. Quia quando uterque sponsus in executione sponsalium culpabilis est, utríque sponso permissum est resilire, nec unius delictum alterius delicto compensatur, ut habet communis sententia cum Sanch. *D. 53. n. 6.* Ergo etiam non compensantur delicta in causa fornicationis, sed utérque sponsus à sponsalibus resilire potest, quando utérque fornicatus est. Unde

Ad argumentum pro secunda sententia in contrarium adductum R. illud nimium probare; probaret enim quòd neque in casu adulterii detur compensatio, quando uterque adulterium commisit, cùm adulterium uxoris longè turpius sit, quàm adulterium mariti; quemadmodum ergo in adulterio non consideratur major fœditas, sed fides viola-

violata, ita & in sponsalibus spectari debet ratio præcipua, scilicet fides violata, ob quam licentia resiliendi concessa est. In citt. C. *Raynutius* attenditur major turpitudo delicti, ut expressè ibi insinuatur; in sponsalibus verò ad resiliendum spectatur suspecta fides, quæ meritò suspecta manet, etsi uterque fornicatus sit.

CASUS LXXIV.

De matrimonio sub conditione servandæ castitatis contracto ab habente votum simplex castitatis perpetuæ.

PAtronilla Virgo ab Anselmo viduo interrogata, an non vellet sibi nubere? Respondet, se non posse. Anselmus suspicatus, quod res erat, subjungit, nonne voto castitatis obstricta es? affirmat illa, tunc Anselmus, si hoc est, inquit, ne sis de hoc solicita, ego à te nunquam debitum petam, vivemus in perpetua continentia, poterísque etiam in matrimonio illæsam servare castitatem; quo audito Patronilla sub ea conditione consentit, & condicit in matrimonium, quod paulò post coram Parocho contrahunt in facie Ecclesiæ. Patronilla postea scrupulis agitata quæsivit ex Confessario.

QUÆR. I. Quid ipse de valore talis matrimonii sentiret?

QUÆR. IV. An liceat sibi marito cohabitare, annue in lecto separato cubare debeat?

QUÆR. III. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat?

419 AD 1. Q. valere tale matrimonium, respondent Palud *in 4. dist. 30. q. 2. a. 1.* Pont. *l. 3. c. 11. n. 5.* Rebell. *l. 2. de oblig. just. q. 10. sect. 2.* Abulens. *in c. 30. n. q. 32.* Bosco *de matr. D. 11. S. 8. concl. 9.*

concl. 9. Krimer *in l. 4. n. 798.* P. Schmier *p. 2. de matr. c. 2. n. 118.* P. Pichler hîc n. 79. aliíque plures, cenſentes conditiones contrarias bonis matrimonii, ſi honeſtæ ſint, non vitiare matrimonium, cujusmodi ſunt: accipio te, ſi mecum vivas in perpetua caſtitate, vel ea lege, ut in pepetua continentia vivamus, vel ut nunquam à me conjugii debitum petas, aut tibi petenti reddere tenear, &c. Rationem dant. 1. Quia conditiones honeſtæ, licèt contrariæ ſint bonis matrimonii, non recenſentur inter illas, quæ de jure irritant matrimonium; nam *cap. fin. de cond. appoſ.* annullans conditiones contrarias bonis matrimonii, loquitur duntaxat de conditionibus turpibus, ut conſtat ex exemplis ibidem ſubjunctis. Ergo. 2. Quia ſi uterque ante initum matrimonium voto caſtitatis ſe obſtrinxiſſet, valeret matrimonium, non obſtante ea conditione, vi cujus neuter debitum exigere valeat: ergo etiam idem erit, quamvis ea conditio de debito non reddendo, & petendo apponatur ipſi contractui. 3. Poſſunt ſponſi contrahere matrimonium cum intentione ſervandi caſtitatem, vel Religionem profitendi juxta *c. commiſſum, 16. h. tit.* ergo poſſunt hoc etiam deducere in pactum, & talem conditionem adjicere matrimonio. 4. Poſſunt conjuges inito jam matrimonio communi conſenſu poſtea vovere caſtitatem, vel ingredi Religionem: ergo ſalva eſſentia matrimonii poteſt adjecta tali conditione tolli jus petendi, vel reddendi debitum. 5. Ad eſſentiam matrimonii ſufficit dominium mutuum corporum, & poteſtas in actu primo: atqui dominium hoc & poteſtatem, ſeu jus non impediunt dictæ conditiones, ſed tantumodo impediunt uſum hujus dominii; uſus enim poteſt ſeparari à dominio, & concedi dominium, ſeu jus, & reſervari uſus, & viciſſim, ut conſtat à pari cum aliis contractibus. 6. Quia, ſi talis conditio non poſſet adjici, non conſtitiſſet matrimonium inter B. V. & S. Joſephum, utpote qui ſub tali conditione videntur contraxiſſe; Sequela non poteſt, admitti, utpete contraria Evangelio *Matth. 1. v. 18. & Luc. 1. v. 27.* &c.

Secunda ſententia negat matri- 420
monium contractum ſub tali conditione validum eſſe. Ita cum S. Th. & S. Bonavent. Sotus *4. diſt. 29. q. 2. a. 3.* Richard. *a. 2. q. 4. ad 3.* Covar. *p. 2. de ſponſal. c. 3. §. 1.* Navar. *l. 3. Conſil. 11. de voto, edit. 2.* Adrian. *4. q. 3. de matr. dub. 9.* Abb. *c. commiſſum, c. 2. de Sponſ.* Henriq. *l. 11. de matr. c. 4. & l. 12. c. 2.* Barboſ. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Gonzal ibid. Sanch. *l. 5. de matr. D. 10. n. 2. & 3.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 9.*

König

König *tit. de sponsa. n. 102.* Engl. *n. 10.* Pirh. *n. 13.* Wiestn. *n. 52.* Schmalzgr. *n. 120.* Guttier. Filliuc. Lud. Lop. Vivald. Petr. Ledesm. aliique plures.

Moventur 1. Auctoritate citt. *cap. fin. de cond. appos.* ubi Pontifex Gregor. IX. simpliciter asserit, matrimonium vitiari, & effectu carere, contractum sub conditione contraria bono prolis, nulla facta distinctione inter conditionem honestam, & turpem; nec vim ibi ponit in turpitudine conditionis, sed in contrarietate cum substantia matrimonii, uti patet ex illis verbis: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur &c.* ubi Pontifex loquitur generaliter, adeóque intelligendus de omnibus conditionibus, substantiæ matrimonii adversantibus, sive honestæ illæ sint, sive turpes. Est autem in citt. c. fin. Sermo de conditionibus veris & propriè dictis, ut notant citt. DD. quales non sunt conditiones de *præsenti*, vel *præterito*. Utpote, quæ non suspendunt negotium, vel actum, sed absolutè statim obligant, si subsunt, vel non obligant, nec unquàm obligabunt, si illæ non subsint.

Prob. 2. Ratione. Quia quamvis de substantia matrimonii non sit copula, nec intentio illius exigendæ, vel reddendæ; est tamen de substantia matrimonii mutua corporum traditio, vi cujus contrahentes in se mutuò transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde saltem implicitè se se obligant ad eos reddendos: atqui contrahentes matrimonium sub conditione servandæ perpetuæ castitatis tale jus, & implicitum consensum ad actus conjugales reddendos excludunt per ipsam appositionem talis conditionis, hoc ipso, quòd vi illius ad copulam non exigendam, & non reddendam obligentur: ergo &c. Atque adeò quando in ipso contractu matrimoniali apponitur conditio, ut uterque conjux maneat in perpetua castitate, non solùm tollitur copula carnalis, sed etiam jus, & potestas ad talem copulam; nam obligatio hæc, quâ obligantur ad non petendum, nec reddendum debitum, efficaciter impedit, quantum est ex sua parte, ne ullum tale jus, & potestas sequatur, adeóque neque jus radicale, nec potestas remota, utpote quæ stante eo pacto, & vi illius conditionis nunquam potest licitè redigi in actum secundum. Nec sufficit, quòd hoc jus, & potestas remota posset habere alios usus, & utilitates; nisi simul finis principalis, & substantia matrimonii simul obtineatur; aliàs si ex hoc capite valeret tale matrimonium, valeret etiam matrimonium contractum sub conditione, si generationem prolis evites, utpote

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

quod eosdem usus, & fines habere posset; quod tamen annullatur in *citt. cap. fin.* eò quòd illa conditio inseratur contra substantiam matrimonii.

421 Sed dices, prædictas conditiones non esse contra substantiam matrimonii; quia possunt meritoriè adjici post matrimonium contractum, potéstque intendi matrimonium ut præcisè ratum.

R. N. parit. quia quando semel est initum matrimonium, & contractûs substantia legitimè jam posita fuit, per actum postea illi contrarium supervenientem non vitiatur contractus, prout patet *ex l. empti 9. C. de contr. empt.* ubi dicitur, si post contractum emptionis initum, ex post facto venditor emptori remittat pretium, contractum subsistere; & qui emit, dicitur rem illam emptionis titulo possidere, *l. pretii 9. C. de rescind. vendit.*

In matrimonio verò rato, verè traditur jus, & potestas corporum, ita ut si conjuges nolint uti tempore à jure sibi concesso, possint statim eam potestatem redigere in actum secundum, & uti matrimonio; intentio autem illô non utendi, non est de ejusdem substantia.

422 Secunda hæc sententia spectatâ ratione, & auctoritate probabilior videtur oppositâ, quæ tamen etiam valdè probabilis est. Unde

Ad argumenta in contrarium R. ad 1. conditiones ibi in *citt. cap. fin.* expressas poni duntaxat exempli causâ, ut patet ex verbo: *puta*, si alter dicat alteri, si generationem prolis evites &c. reliquas verò etsi honestas contra substantiam conjugii appositas implicitè contineri & intelligi, cùm Pontifex generaliter sine distinctione loquatur, & eadem utrinque pugnet ratio, ut dictum est suprà.

Ad 2. N. Conseq. & parit; nam si votum continentiæ præcessit contractum matrimonialem; tunc per ejusmodi votum non tollitur translatio corporum mutua ad actus conjugales, sed tantùm res, scilicet corpus ad continentiam promissum Deo, per contractum matrimonialem traditur alteri, quod licèt fiat illicitè, fit tamen validè, uti patet in venditione aliarum rerum v. g. domûs, prædii, equi &c. qui, si tibi sit promissus, & venditus, non tamen traditus, & postea vendatur, & simul tradatur alteri, transit equus in hujus dominium, & venditio hæc valida est, licèt illicita. Et ratio ulterior est, quia votum simplex non est traditio, sed solùm promissio: unde sicut quod uni promisi, possum alteri tradere, & efficietur suum, quamvis ego peccem

cem: ita homo corpus per votum Deo promissum potest per matrimonium fœminæ tradere, ita ut verum dominium acquirat: at verò quando in ipso contractu ponitur talis conditio, efficaciter impedit corporis translationem, & consequenter matrimonium irritat.

Ad 3. n. c. nam etsi valeat matrimonium contractum cum intentione servandi castitatem, seu illò nunquam utendi; non tamen valet, si conditio, sive pactum adjiciatur, quo jus, seu potestas matrimonii impeditur; nam cum intentione servandi castitatem, vel Religionem ingrediendi, potest subsistere consensus in obligationem mutuam, & jus exigendi debitum; secùs si in ipso contractu adjiciatur talis conditio, sive pactum, cùm vi talis pacti ille, à quo petitur debitum, jus acquirat repellendi petentem obtentu contractûs sub tali conditione initi, qui non aliter obligat, quàm quo modo, & forma est celebratus.

Ad 4. n. c. & parit. disparitas patet ex suprà dictis; quando enim id ab initio deducitur in pactum, impeditur plenè translatio potestatis corporum; secùs quando jam est initum matrimonium; est enim id commune contractui, ut apponi non possit in ipso contractu aliquid ejus substantiæ repugnans; licèt postea apponi possit per modum novi contractûs priori ex parte repugnantis. Unde

Ad 5. R. dictas conditiones, si ponantur à principio, & in ipso contractu, impedire translationem omnis mutui juris, & potestatis in corpora; hoc ipso quòd repugnent substantiæ matrimonii, illúdque irritum, & nullum reddant juxta rationem suprà relatam; ex matrimonio autem nullo nullum sequitur jus ac potestas in corpora, neque in actu primo, neque in actu secundo. Et licèt possit dominium separari ab usu, seu jure utendi in aliis rebus; quando tamen contractus ex vi suæ essentiæ ordinatur ad finem usûs, uti fit in matrimonio, dominium directum sine dominio utili consistere non potest, ipsúmque jus reale, quod per matrimonii contractum acquiritur, aliud non est, quàm jus utendi corpore conjugis ad usum generationis. Nec obstat, quòd usus matrimonii possit separari à jure, quod sibi invicem tradunt conjuges in sua corpora per votum emissum post initum matrimonium; nam tale votum non tollit obligationem consumandi matrimonium, sed tantùm eam jam contractam suspendit quoad executionem. Econtra si in ipso contractu matrimoniali ea separatio juris ab usu deducatur in pactum, nullum

omninò ponitur jus, nec obligatio ad usum matrimonii, quæ tamen est essentialis matrimonio.

423 Ad 6. R. B. V. & S. Josephus matrimonium non sub ea conditione, sed absolutè contraxerunt, consentientes verè in jus, & potestatem suorum corporum, quamvis uterque haberet propositum servandi castitatem, id quod B. V. non obstante voto castitatis, quod habuit, licitè facere poterat, quia ex Divina revelatione illi certum erat, quòd debitum conjugale ab ipsa nunquam esset petendum, ut docent S. Th. & S. August. relatus *in can. Beata 3. caus. 27. q. 2.* Ubi sic ait: Beata Maria... subjecit se Divinæ dispositioni, dum proposuit, se perseveraturam Virginem, nisi Deus aliter ei revelaret: committens ergo virginitatem suam Divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed Divinæ inspirationi in utroque obediendo; postea verò filium genuit, & quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit; consensus ergo cohabitandi, & individuam vitæ consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges fecit. Hæc ille.

Porrò, licèt sententia posterior negativa probabilior utique videatur; cùm tamen sententia affirmativa valdè probabilis sit, & in dubio præsumendum sit potiùs pro valore, quàm pro nullitate actûs, poterit Confessarius interroganti Patronillæ respondere, ut depositio scrupulo maneat in eo matrimonio secundùm valdè probabilem sententiam validè contracto, & marito cohabitet, præsertim cùm, ut ipsa asseverat, à tempore initi matrimonii jam per aliquot menses nihil à marito fuerit petitum, contrarium castitati, nec contra eam quidquam hactenus peccatum sit; Consultiùs tamen est, ut ipsa, si commodè possit, cubet in lecto separato ad præcavendum omne periculum, quod cum tempore oriri posset, vel si quod periculum foret, ut petatur dispensatio è legitimo Superiore concedenda. Unde

Patet responsio ad secundum Q.

Ad 3. Q. An valeat matrimo- 424
nium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat? Respondet Sylvest. *V. matrimonium 4. 9. 7.* non vitiari matrimonium, etsi id ab initio in pactum deducatur. Rationem dat, quia nunquam petere non derogat fidei conjugali, utpote quam sufficienter conjux servat reddendo, neque est contra bonum prolis, utpote quæ reddendo generari potest. Nihilominus rectiùs, meliùsque affirmant alii per ejusmodi pactum, seu conditio-

ditionem matrimonio appositam vitiari matrimonium. Ita Adrian. *in 4. q. 3. de matr. dub. 9.* Sanch. l. c. n. 4. Laym. l. c. uterque Ledesm. Henriq. aliique suprà citt. Ratio est, quia de ratione matrimonii est totalis corporum traditio, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus in utróque in corpus alterius: atqui in hoc casu hæc totalis traditio non fieret, hoc ipso, quòd non traderetur jus petendi, nec esset æquale jus in utroque ad corpus; cùm alter jus petendi simul, & reddendi acquirat, alter verò solum jus reddendi.

Atque adeò non esset par utriusque condito, & totalis corporum traditio, prout tamen ad contractum matrimonialem requiritur. Unde

Patet responsio ad rationem in contrarium allatam. Præterea, licèt nunquam petere, ait Laym. l. c. non sit contra fidem matrimonii, & bonum prolis, id tamen esse, se à principio obligare ad nunquam petendum.

CASUS LXXV.

De matrimonio dubio, & sponsalibus, ac sententia à Judice ferenda?

Titius sub ficta hac matrimonii promissione, *deinceps mea uxor eris, volo tecum contrahere*, &c. extorsit copulam à Bertha, cui postea factam promissionem urgenti respondet Titius, se non modò mentem suam mutâsse, sed etiam nunquam serium animum habuisse, eam ducendi in uxorem, quo audito Bertha Titium in jus vocat, qui à Judice de facta promissione interrogatus eam rotundè negat, quam cùm Bertha nec testibus, nec aliunde sufficienter probare posset, Titius ab omni obligatione liber à Judice pronuntiatur.

QUÆR. I. An Titius fictè promittens, interrogatus à Judice negare possit, se promisisse, & an si fateretur promissionem, deberet Judex eum compellere ad ineundum matrimonium cum Bertha?

QUÆR. II. An in dubio de valore matrimonii ferenda sit à Judice sententia potiùs pro valore, quàm pro libertate sponsorum; idque procedat etiam in foro conscientiæ?

QUÆR. III. An verba hæc: Deinceps mea uxor eris & hæc: volo tecum contrahere, volo te ducere in uxorem, &c. matrimonium constituant, anne sponsalia?

QUÆR. IV. Quales, & quot testes sufficiant ad impediendum matrimonium, & ad sponsalia dissolvenda?

425 AD 1. Q. 1. Membrum R. fictè promittentem ab obligatione matrimonii immunem posse interrogatum à Judice respondere se non promisisse, ne, si promissionem fateatur, cùm suam intentionem probare nequeat, à Judice compellatur ad eam servandam, & ad matrimonium ineundum. Ita Nav. *C. humanæ aures 22. q. 5.* Covar. *5. var. c. 2. n. 4.* Sylvest. *V. mendacium, q. ult.* Sanch. *l. 1. de spons. D. 10.* aliique. Ratio est; quia cùm Judex interroget, ut promittentem ad debitum matrimonium compellat, ejus interrogatio intelligenda est de promissione obligatoria, seu ut ejus sensus sit, promisistine matrimonium, ita ut tenearis? ergo interrogatus verè respondet, non promisi, subintelligendo, ita ut tenear; hoc ipso, quod vi fictæ promissionis per se non teneatur. Ex quo capite Nav. l. c. ait, interrogatum à Judice, num hæc verba protulerit, *accipio te in meam*, posse juramento negare se dixisse, si fictè ea protulit.

Idem affirmat Sylvest. l. c. de Clerico à Custodibus interrogato num aliqua portet, ut gebellam solvere compellatur, ubi ait, posse eum juramento negare, intelligendo se nihil portare, ex quo gabellam solvere teneatur. Quod Sanch. l. c. extendit etiam ad eum, qui verè quidem matrimonium promisit, sed fidem servare non tenetur ob aliquam rationabilem causam, v. g. quia sponsa fornicationem commisit &c.

Ad

426 Ad secundum Q. 1. membrum major est difficultas & DD. dissensio, pendétque resolutio ex ea quæstione, an promittens per Judicem cogendus sit fidem sponsalium, vel matrimonii servare; quam citra legitimam causam implere recusat. Ubi tres invenio DD. sententias.

Prima aliquorum cum Ang. *verb. sponsalia, n. 42.* & Armil. n. 7. ait, non esse cogendum, sed monendum, & si monitis non acquiescat, ulteriùs non urgendum, cui favet S. Th. *4. d. 27. q. 2. a. 1.* si desit juramentum. Probant id tum ex *C. requisivit de sponsal.* ubi potiùs monendum, quàm cogendum esse deciditur: tum quia cùm excommunicationis metus cadat in virum constantem, coactus excommunicationis metu contrahere, invitus, & invalidè contrahet, quod est contra citt. C. *requisivit*, ubi sic ait: *Cùm libera esse debeant matrimonia, monenda est potiùs, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus habere.*

Secunda sententia cum Gloss. *C. de illis. 1. de desponsimpub.* verb. *judicio.* & *c. 2. verb. inducendi, de desponsi.* Soto *4. d. 27. q. 2. a. 3.* Ledesm. *de matr. dub. 8. & dub. 10.* Vega *l. 2. Sum. cas. 513.* aliisque, affirmat, tunc tantùm cogendum esse, quando sponsalia juramento confirmavit. Id, quod probant ex *C. ex litteris, & 2. de sponsal.* ubi hæc habentur: *Quia contra juramentum venire periculosum est, mandamus, ut eum maneas, & si monitis non acquieverit, censura compellas, ut in uxorem recipiat.*

Tertia sententia, quam tenent Abb. n. 4. Alex. de Neve n. 13. Fel. n. 14. Host. citt. *C. de illis &c.* Sanch. *l. c. D. 29. n. 4.* Menoch. *cons. 386. n. 1.* & plerique alii, censet, priùs monendum esse, & si monitus renuat, per censuram cogendum esse, nisi tamen attentis circumstantiis Judex prudenter arbitretur, ex invitis ejusmodi nuptiis gravia mala, & scandala timeri & oriri posse, v. g. perpetuas dissensiones, & jurgia inter conjuges, uxorem à viro, arreptâ fugâ, deserendam, &c.

Ratio, cur à Judice sit cogendus, est tum quia Judex tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique, quod suum est, & ex justitia debitum; contrahens autem sponsalia tenetur ex justitia datam fidem servare: tum quia Ecclesia non tantùm jurantem, sed etiam simpliciter promittentem compellit, *c. 12. & 3. de pactis.* & decidit *C. ex litteris citt.*

Non esse verò cogendum, quando gravia mala, & scandala timentur, probatur inde, tum quòd Judicis sit tunc compellere, quando compulsio fini matrimonii expedit, quia ex fine desumenda est necessi-

tas

tas mediorum; atqui in eo casu compulsio non expediret fini matrimonii, sed potiùs impediretur, & perturbaretur hic finis, qui est mutuum conjugum obsequium, & vita socialis: Tum quia Judex denegando tunc coactionem favet ipsi actori, cùm ipsius grave damnum sic impediat, sicut si Judex petenti proprium gladium ad se occidendum illum denegaret: Tum denique quia expedit, ut Ecclesia minus damnum permittat, ut majus evitet, cujusmodi sunt scandala, & perpetuæ inimicitiæ, respectu fidei sponsalium non servatæ.

Et hæc ultima sententia magis utique placet, utpote & à ratione, & ab auctoritate potior, ac probabilior, præsertim cùm hæc conciliet duos textus citt. in speciem contrarios, scilicet *cap. ex litteris*, quod innuit esse cogendum, intellige, nisi rationabilis causa obstiterit. Et *cap. requisivit*, quod affirmat, non esse cogendum, intellige, quando rationabilis causa obstiterit. Notat tamen hîc Sanch. l. c. vi citt. *C. requisivit*, debere Judicem prudenter procedere absque strictissima coactione, ne consensus ad matrimonium requisitus deficiat: quare si sponsum ita obstinatum esse videat, ut liberè matrimonio consentire repugnet, monitione potiùs, quàm exactissima coactione utatur juxta verba citt. *C. monenda est potiùs, quàm cogenda &c.*

Ad 2. Q. R. in dubio de matrimonii valore, sententia à Judice potiùs ferenda est pro valore matrimonii, quàm pro ejus invaliditate, & sponsorum libertate; ideóque etiam singularis opinio unius Doctoris, si verè probabili ratione nitatur, præferri debet sententiæ plurium valorem oppugnantium, nisi textui aperto initantur. Ita Sanch. *l. 1. D. 18. n. 5. & 7.* Delben. *c. 8. d. 20. S. 1. à n. 16.* Jo. And. *c. ex parte de spons. n. 3.* Host. ibi Menoch. *de præs. l. 3. præs. 3. num. 6.* Gob. *in Quin. tr. 1. n. 195.* Sperell. Ang. de Nevo, Henr. aliique. Ratio est; quia matrimonium est causa favorabilis, pro qua standum est, ut constat ex *cap. ex litteris de probat.* ubi deciditur, existentibus probationibus paribus Judicem absolvere debere reum præterquam in liberali causa, seu juxta Gloss. *Verb. in liberali*, in matrimonio. Et *C. fin. de sent. & re judic.* statuitur, duobus Judicibus Ordinariis diversas sententias proferentibus, præferri sententiam in favorem rei, nisi in causa favorabili matrimonii. Et universim, *actus in dubio debet interpretari validus*, *L. quoties de rebus dubiis*; quia præsumitur pro validitate actûs, donec de invaliditate constiterit. 427

Id,

Id, quod procedit etiam in foro interno, ut notat cum aliis citt. Sanch. quia inter utrumque favorem non est discrimen; quod enim in foro conscientiæ non est matrimonium, neque est in foro externo, & è contra; Ecclesia enim non potest facere, ut sit matrimonium, quod invalidum est, sed in modo duntaxat cognoscendi versatur differentia, eò quòd in foro interno stetur confessioni propriæ; in externo autem allegatis, & probatis; cùm ergò Judex in foro externo, non ex falsa præsumptione, sed ex cognita veritate dubii valoris pro matrimonio pronuntiare debeat; idem erit sentiendum de foro interno; præsertim cùm utrúmque forum judicet idem, ubi externum non nititur falsa præsumptione, ut probat Sanch. *D. 5. n. 20.* Quòd si verò dubium duntaxat sit, an per verba significentur sponsalia, an matrimonium, si omnia sint adhuc integra, standum esse pro libertate, & dicendo, esse sponsalia, censet La Croix *l. 6. p. 3. n. 123.* & Gobat. *n. 86.* Pari modo qui dubitat, an promiserit, non tenetur juxta communem, quia libertas est in possessione. Quod idem putat Spor. *n. 139.* pro casu, quo quis scit se promisisse, sed nescit, an seriò, an fictè, eò, quòd nondum certum sit promissionem obligatoriam possedisse; Verùm contrarium meliùs, ac probabiliùs asserit Sanch. *l. 1. D. 9. n. 13.* cum aliis docentibus, eum tunc teneri; quia verba promissoria sunt in possessione, cum quibus præsumi debet fuisse animum se obligandi, prout verba sonant, cùm unusquisque præsumatur loqui secundùm mentem, & verborum tenorem.

Ad 3. Q. R. quando verba sonant de futuro, sed significant de præsenti ratione adjuncti, quando scilicet junguntur particulæ illæ adjunctæ verbis importantibus executionem, v. g. ex nunc, semper, deinceps, ab hoc tempore, habebo te in uxorem, tractabo te, sicut uxorem &c. matrimonium per illa constitui, constat tum ex *C. ex parte de sponsa.* ubi id deciditur; tum ex *cap. si quis divinis 30. q. 5.* quia tunc illa verba re vera important consensum de præsenti, si enim ex nunc, ac deinceps, seu semper est habenda fœmina in uxorem; ergo modò est uxor. An autem, quando verbis futuri temporis importantibus executionem nulla additur particula faciens significare de præsenti, v. g. habebo te, aut tractabo te, ut uxorem &c. matrimonium constituant, an verò sponsalia, controversum est inter DD. Ubi multi cum Gloss. *C S. 1. quis divinis citt. verb. Habiturum,* Menoch. *de præsumpt. l. 3. præs 3.* Præpos. n. 6. Host. *sum tit. de matr. §. qualiter contrahatur.* Rosell. Ang. censent satis probabiliter matrimonium esse, tum quia hæc verba significant executionem actûs con- 428

ſummati, adeóque contrahentes videntur tacitè præſentem conſenſum indicare; quia obligant ſe ad matrimonii executionem, nec poteſt aliquis habere quamdam in uxorem, niſi priùs cum ea contrahat, & qui vult conſequens, ſcilicet habere eam in uxorem, vult etiam neceſſariò antecedens, ſcilicet cum ea contrahere: tum quia ſi adderetur *ex nunc*, eſſet matrimonium: ergo etiamſi non addatur, quia ſubintelligitur, nam quando in obligatione non deſtinatur dies, incontinenti contrahitur obligatio, *l. in omnib. ff. de reg. jur.*

Alii verò cum Jo. And. *C. ex part. n. 3. de ſponſ.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 4. §. 1.* Gutier *qq. canon. q. 1. c. 21.* Sanch. *l. 1. de ſponſ. D. 18.* Adrian. Ledeſm. Palud. Lop. æquè probabiliter, vel probabiliùs arbitrantur, conſtitui duntaxat ſponsalia; quia ea verba, habebo te in uxorem &c. intelligi poſſunt omninò vera, quamvis modò non habeam, ſed tempore futuro, ut patet: ergo non ſignificant conſenſum de præſenti; hæ enim locutiones ſunt æquivalentes, pro aliquo tempore futuro, habebo te in uxorem, & habebo te in uxorem: atqui priores non conſtituunt matrimonium: ergo nec poſteriores. Unde ad 1. rationem in contrarium reſponderi poteſt, neceſſariò velle antecedens pro eo tempore, quo vult conſequens; conſequens autem, ſcilicet habere ut uxorem, non velle ſtatim, ſed pro tempore, quo contrahit matrimonium, Ad 2. ſequi inde teneri ſtatim contrahere, non tamen contraxiſſe.

An autem hæc verba: volo tecum contrahere, volo te ducere in uxorem &c., ſignificent matrimonium, an ſponsalia, vel quid? variant DD. aliqui ajunt, nec matrimonium, nec ſponsalia per illa verba conſtitui: alii putant, conſtitui matrimonium. Alii cum Covar. *4. decret. 2. p. c. 4. §. 1.* Menoch. *de arbitr. l. 2. cent. 4. caſ. 496.* Sanch. *l. c. n. 25.* probabiliùs contendunt eſſe duntaxat ſponſalia; quia ea verba verificantur, licèt proferens modò nolit eſſe ſuam uxorem, ſed tempore futuro; & colligitur ex *C. ex litteris, el. 1. n. 9. de ſponſ.* ubi tantùm concedit eſſe matrimonium, quando dicuntur ad alterius interrogationem, aut quando præceſſit tractatus de contrahendo matrimonio de præſenti; tunc enim hæc verba mutuò dicta ſufficiens eſſet conjectura animi matrimonium contrahendi: uti etiam juxta Averſ. *q. 8. S. 3. §. poſt*, tunc, quando quis diceret: *Ex nunc volo te eſſe meam conjugem.*

Ad 4. Q. R. 1. Quando agitur de valore matrimonii, ſufficiunt quicumque teſtes; contrà verò quando agitur pro invaliditate illius, quantumvis rati tantùm, ad illud diſſolvendum requiruntur teſtes omni 429

mni exceptione majores, saltem duo, ut expressè habetur, *C. 1. de consangu.* & tenet communis DD. cum Covar. *4. decret. 2. p. c. 8. §. 12.* Sanch. *D. 45. n. 3.* Sperel. *decis. 75.* ubi etiam notat, etiamsi agatur de matrimonio dissolvendo, domesticos, & familiares, si reliqua habeant, non posse ideò repelli: imò quando agitur de causa dissolvendi matrimonium intra domesticos parietes illata, ait, domesticos, & familiares haberi tanquam omni exceptione majores, tum quia præsumuntur meliùs scire parentelam, quàm extranei; tum etiam quia sæpè tales causæ, v. g. metus injectus, verberationes, minæ, non fiunt coram extraneis.

R. 2. Impedimentum ad dissolvenda sponsalia, etiam jurata, seu ne matrimonium contrahatur, plenè probatur unico teste fide digno, deponente, & jurante se illud scire, uti expressè habetur *C. super eo, el. 2. de test. & attest, & C. Præterea, el. 2. de spons.* & tenet unanimis DD. sensus; quia hic agitur de vitando peccato, ne impediti contra Ecclesiæ prohibitionem contrahendo, peccent, & deciditur etiam *l. 18. t. 9. p. 4.* Idem dicendum ajunt casu, quo testis non fuit citatus, sed per partem producentem Judici oblatus, eò quòd non præsumatur ex hoc se ingerere; argumento *C. Constitutus de testib.* Secùs tamen dicendum, si se ipsum ingereret, tunc enim tanquam suspectus esset repellendus: argumento *l. Uxor. §. 1. ff. de fal.* Abb. *c. cùm in tua, n. 2. de spons.*

Imò Pal. *4. d. 27. q. 1. a. 3.* ex c. *super eo citt.* arbitratur, non tantùm satis esse unum testem ad impediendum, ne sponsalia compleantur, & ad plenè probandum tunc, quando allegatur impedimentum impediens matrimonium, sed etiam tunc, quándo allegatur alia causa, qua existente nullum esset peccatum contrahere, ut si ad dissolvenda sponsalia alleget sponsus fornicationem sponsæ.

Verùm contrarium omninò tenendum est cum Panorm. *c. Præterea citt.* Sanch. *l. 1. de spons. D. 71.* & aliis; quia quando agitur de alterius præjudicio, non satis est unius testimonium, *c. licèt ex quadam, c. veniens, c. in omni negotio de test. & l. ult. jurisjur. C. de test.* atqui hìc agitur de præjudicio juris alteri acquisiti, ne sibi fides data impleatur, à qua generali regula excipitur solùm casus, quo opponitur impedimentum matrimonii ratione peccati vitandi. Ergo extendi non debet ad casum, ubi non agitur de peccato vitando, sed de solo tertii præjudicio. Citt. *C. super eo*, loquitur expressè de casu, quo allegatur consanguinitas matrimonium dirimens.

Unde ad hoc, ut Judex possit delinquentem punire, non sufficit u-

nus testis, etiam de visu, & omni exceptione major, ut patet ex citt. CC. & C. *licet universis de test.* Vox enim unius, vox nullius; & solùm in ore duorum, vel trium stat omne verbum, excepto casu speciali prædicto.

CASUS LXXVI.

De Causis dissolvendi contracta sponsalia.

Dismus juratò contraxit sponsalia cum Rosa, putans esse Virginem, sed rescions postea vi ab alio defloratam fuisse, & videns sibi affulgere spem connubii cum Rosalia ditiore, & pulchriore, petit à Rosa sponsalium contractorum dissolutionem, quæ cùm inaudiverit eum familiariùs agere cum Rosalia, etiam ab alio proco occultè corrupta, in dissolutionem non invita consentit: Quare sponsalia init cum Rosalia, existimans esse Virginem, sed postea intelligit esse viduam.

QUÆR. I. An inita sponsalia mutuo consensu dissolvi possint sine Judicis authoritate, etiam quando sunt juramentô firmata?

QUÆR. II. An sponsus resilire possit à sponsalibus juratis ob defloration em sponsæ vi ab alio corruptæ?

QUÆR. III. An ob fornicationem sponsæ sponsalia præcedentem possit sponsus, qui eam ignorabat, putans esse Virginem, contracta sponsalia dissolvere, aut quando contraxit cum Vidua existimans esse Virginem?

QUÆR. VI. An si unus sponsorum laboret vitio occulto, cujus si alter conscius esset, haberet justam causam resiliendi, vel non contrahendi, possit suum vitium tacere, & contrahere sponsalia, vel post illa contracta alterum coram Judice cogere ad ea implenda?

Ad

430 AD 1. Q. R. quamquam non nulli, cum Jo. Andr. *c. de illis n. 1. fin. de spons.* docuerint ad dissolvenda sponsalia valida prærequiri Judicis Ecclesiastici sententiam, excepto casu ingressûs Religionis, & matrimonii alterius contracti.

Nihilominus dicendum est cum Antonin. *p. 3. t. 1. cap. 18. §. 1. casu 5.* Host. *c. 2. de spons. fi.* Inn. *c. sicut eod. tit. un.* Sylvest. verb. *sponsalia n. 10.* Emm. Sà *eod. verbo n. 12.* Sanch. *l. 1. de spons. D. 52.* & *D. 69.* Mastr. *num. 86.* Bonac. *de matr. D. 1. pun. 10. n. 15.* Aversa. Ledesm. utróque, aliisque, quando causa est manifesta, aut de causa sufficienti constat, non requiri Judicis sententiam, sed posse per se, & ex natura rei propria authoritate, & mutuo consensu puberum sponsalia dissolvi.

Ratio est; quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *C. 1. de reg. jur.* Ergo cùm sponsalia ex mutuo consensu consurgant, eôdem per se dissolvuntur; sicque habet praxis teste LaCroix *l. 6. p. 3. num. 213.* Dixi per se & ex natura rei, quia per accidens, v. g. ratione scandali vitandi, fieri potest, ut necessaria sit Judicis authoritas, ut rectè advertit Sanch. l. c. uti etiam tunc, quando causa est certa de jure, vel de facto, sed occulta, & sponsalia publica; si tamen causa certa sit occulta, & etiam sponsalia sint occulta, posse propria authoritate dissolvi; quia cessat tunc scandalum: imò si culpa sit ita occulta, ut probari nequeat coram Judice, vacabit culpâ sponsalia publica propria authoritate dissolvere; ut docet citt. Sanch. cum Palud. & aliis; quia ex una parte petita licentia negabitur ob probationis defectum; ex altera parte recuperat innocens rem sibi debitam, quam juxta omnes fas est propria authoritate capere, quando in judicio recuperari nequit.

Idem affirmant citt. DD. de sponsalibus juramentô firmatis, casu, quo causa dissolutionis est certa, & juramentum in partis favorem præstitum est; quia juramentum dirigitur in Deum, tanquam in testem promissionis homini factæ: unde homine remittente, & condonante, etiam ipse Deus remittit: imò omni juramento, quod in favorem, & utilitatem hominis præstitum est, inest tacita hæc conditio, *nisi ab isto remittatur.* Ut notat Sanch. cum aliis. Ut tamen contracta sponsalia licitè sic dissolvantur, tria requiruntur juxta citt. Sanch, l. c. *D. 52.* Palud. *tr. 28. d. 1. p. 17.* & alios. Primùm est, ut consensus in dissolutionem ex utráque parte sit liber, non metu, fraude, aut precibus importunis extortus; nam remissio, quæ ab invito extorquetur, ab obligatione non liberat; est enim

quædam ſpecies donationis, quæ debet eſſe liberalis, & libera. 2. ut remiſſio ſit mutua; aliàs illa duntaxat pars ab obligatione libera erit, cui facta eſt remiſſio, non autem illa remiſit jus ſibi quæſitum. 3. Ut remiſſio ſit partibus ſufficienter nota, & utrínque acceptata. Cæterùm ſi unus absque juſta causa petat relaxationem ſponsalium, poteſt exigere compenſationem pecuniariam; ſecùs ſi ex juſta causa petat; quia tunc jus habet ad diſſolvendum, nec æquum eſt, ut quis emat rem ſuam. Gob. n. 265.

431 Ad 2. Q. R. ſponsalia etiam jurata diſſolvi per ſubſequentem fornicationem, deciſum eſt, *C. Quemadmodum de iurejur.* ubi duplex redditur ratio, 1. quia fornicatio matrimonio ſuperveniens, ipſum diſſolvit quoad thorum: ergo à fortiori dirimet ſponsalia, per quæ ſponsi obligantur ad matrimonium contrahendum. 2. Quia tali juramento ineſt tacita conditio, niſi alter peccet & fidem frangat; frangenti enim fidem, fides ſervanda non eſt, & quia ob hoc fornicans fit ſuſpectus de fide in futurum ſervanda.

Ubi tamen notandum eſt, hanc ſponsalium diſſolutionem eſſe in ſolius innocentis favorem, adeóque fornicantem obligatum manere, innocentem verò ab obligatione liberum eſſe, ita ut ſi ipse velit, nocens obligatus ſit ad eorum impletionem. *citt. C. quemadmodum de jurejur.* & DD. communiter cum Sanch. *D. 55. n. 6.* Sot. Sylv. Covar. Laym. Wieſt. Schmalzgr. quia proprium delictum non debet immunitatem præſtare fornicanti, & absolutionem à contractu, & insuper quia quod favore alicujus introductum eſt, non debet in ejus damnum retorqueri, *l. quod favore, C. de legibus.* & DD. communiter.

An autem, ſi ſponsa illatâ vi ab altero cognita ſit, ſufficiens, & juſta causa ſit diſſolvendi sponsalia, dubium eſt, & controversum. Non nulli cum Tabien. *V. ſponsalia, q. 9. n. 10. caſ. 6.* & Armill. *eod. n. 12.* arbitrantur, ſponsalia per vim ab alio ſponsæ illatam, ſeu ſtuprum non diſſolvi, nec eſſe causam ſufficientem reſiliendi. Rationem dant; quia oppreſſio violenta in conjugibus non eſt cauſa ſufficiens faciendi divortii: ergo neque in ſponſis dat causam reſiliendi à ſponsalibus: 2. Quia per hoc quòd violenter fornicationem patiatur, non violat fidem; nec ideò præſumi poteſt periculum ejus poſtea in matrimonio violandæ. Nihilominus,

Oppoſitum tenet communis, ac probabilior ſententia cum Gloſſ. in *C. quemadmodum 25. V. oculo de jurejur.* Abb. ibid. n. 12. Covar. *p. 1. de ſponſ. c. 5. n. 2.* Sylveſt. *V. ſponſalia n. 10. caſ. 7.* Sanch. l. c. *D. 55.*

D. 55. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2.* aliisque. Colligitur id ex *can. raptor 33. caus. 27. q. 2.* ubi raptus violentus sponsæ non consentientis agnoscitur pro causa sufficiente, ut à sponsalibus possit sponsus recedere. Et ratio ulterior est; quia sponsa per hoc reddita est notabiliter vilior, & sponsus maxima infamiæ notâ afficeretur; rari enim credent, eam omninò invitam corruptam esse, & etsi crederent, homines tamen abhorrent contrahere cum taliter corrupta, fors etiam cum periculo alienæ prolis alendæ. Unde.

Patet responsio ad 2. rationem in contrarium adductam, nam cur possit sponsus à sponsalibus resilire non est fides sponsalitia violata, sed est valdè notabilis mutatio, antecedenter non prævisa. Ad primam rationem negatur conseq. & parit, nam cùm matrimonium arctius inducat vinculum, quàm sponsalia, mirum non est, graviores etiam requiri causas ad illud quoad thorum, & cohabitationem dissolvendum, quàm ad sponsalia dirimenda.

432 Ad 3. Q. 1. membrum, an ob fornicationem præcedentem possit sponsus, qui eam ignorabat, putans esse Virginem, à sponsalibus resilire, negativam sententiam tenent aliqui cum Paludan. *in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. n.* 16. quam probant tum ex c. quemadmodum 5. citt. ubi dicitur, quòd sponsus non possit obiicere fornicationem præcedentem, sed tantùm subsequentem; non enim videtur esse paritas inter utramque; nam ob fornicationem subsequentem licitum est à sponsalibus resilire; quia verisimile non est, quòd sponsa etiam in matrimonio sit fidem servatura, quæ fregit sponsalitiam: hæc autem ratio non militat pro fornicatione præcedente, cùm multi ante sponsalia incontinentes inveniantur, qui iis initis, & in matrimonio se continent, & fidem servant.

Verùm posse sponsum in eo casu renuntiare sponsalibus, & ab eis recedere, docet longè probabilior aliorum DD. sententia, quam tenet Hugo *c. raptor 27. q. 2.* Molina *tr. 2. D. 272. num. 4.* Gutier *c. 34. de matr. num. 3.* Perez *sect. 14. num. 3.* Sanch. *l. 1. D. 63. num. 3.* Sylvest. *q. 10. Cas. 6.* Rosell. *V. sponsalia, n. 9.* Navar. *sum. c. 22.* Sotus *Cas. 7.* Wiestn. hîc. n. 108. Schmalzgr. hîc *de spons. n. 177.* & alii. Ratio est; quia causa hæc de novò cognita notabilem fecit mutationem, cùm ignominiosum sit viro fœminâ ab alio corruptam ducere: Quare sponsus graviter decipitur, & tantùm consentit per errorem dantem causam contractui, atque adeò is à decepto rescindi potest; præterea sponsus notabile damnum incurrit, cùm bigamus fiat, ac 433

proin

proin ad ordines, si hos eligeret, promoveri non posset. Imò regulariter causa, vel defectus, qui, si fuisset cognitus, impediviſſet sponsalia, quamvis antecesserit, si fuit ignoratus, & postea innotescat, adhuc dat jus ea dissolvendi; quia sicut, si quis vendat occultando vitium: causam sufficientem præbet ad venditionem dissolvendam, ita à fortiori vitium occultum est causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia contracta, cùm nullus contractus tantam libertatem exigat, quantam sponsalia. Præterea paria censentur non esse, & non apparere, *L. de Leg. ff. de contrah. exempt.* & ideò etiam paria sunt aliquid supervenire, & præcedere ignoranter, res enim dicitur fieri, quando primùm innotescit *cap. pastoralis de except.* Sanch. l. c. n. 2. Less. *l. 2. c. 42. dub. 9.* Laym. l. c. c. 1. Quod etiam valere ait Sanch. n. 7. quamvis adjectum sit juramentum, eò quòd consensus fuerit præstitus cum tacito, & implicito quasi pacto, si mutatio non superveniat.

Unde ad rationem in contrarium allatam ex *c. quemadmodum citt.*

R. id intelligendum esse de fornicatione præcedente à sponso non ignorata, sed cognita ante sponsalia, ut Gloss. & DD. ibi notant, Ad rationem additam R. eam esse aliquam rationem, sed non adæquatam; nam præterquam, quòd fornicatio subsequens suspicionem faciat fidelitate in matrimonio observanda, insuper inducit notabilem mutationem, & circumstantiam, quæ si tempore contractûs sponsalitii fuisset cognita, merito potuisset sponsum absterrere ab ineundo tali contractu, quæ ratio pugnat etiam in casu, quo fornicatio, vel alius notabilis defectus præcessit, sed à sponso fuit ignoratus.

An autem idem vicissim sentiendum sit de sponsa respectu fornicationis sponsi ignoratæ, non æquè liquidum est, sed controversum. Navar. *summ. c. 22.* putat, sponsam posse à sponsalibus resilire, sicut potest sponsus, si innotescat, eum ante sponsalia fornicatum esse; quia sponsalia possunt dissolvi ob fornicationem viri subsequentem: etgo etiam ob præcedentem; paria enim sunt in jure nunc sciri, & nunc esse, & aliquid supervenire, & præcedere ignoranter, ut suprà insinuatum est, res enim fieri dicitur, quando primùm innotescit, *C. pastoralis*, citt. Verùm, 434

Oppositum probabiliùs tenent Sanch. l. c. *D. 63.* Conink. *D. 23. dub. 7.* Aversa. *q. 8. S. 15.* Bonac. *de matr. q. 1. p. 8. n. 1.* Castrop. Schmalzgr. aliique. Ratio est; quia sponsus per hoc non fit notabiliter vilior, prout tamen sit sponsa; vitium enim illud minoris æsti-

ma-

mationis est in sponso, quàm in sponsa, quæ per hoc longè fit vilior; nec gravi ignominiæ notâ afficitur fœmina, si viro nubat, qui aliam cognovit.

Limitandum tamen id est, nisi fornicatio sponsi sit frequentata, ut adeò meritò suspectus habeatur sponsus de fide in matrimonio servanda, vel nisi prolem habeat ex præcedente fornicatione susceptam; quia tunc matrimonium rederetur notabiliter difficilius, tum propter obligationem alendæ illius prolis, tum quia id dat causam discordiarum, ubi sponsa id resciens posset resilire; vel denique nisi sponsa sponsaliorum tempore non consensisset in sponsalia, si sciviſſet, sponsum fornicatum esse, præsertim si esset Virgo valde honesta, quæ non æquè intendit nubere viro impudico, quàm pudico; nam tunc deficeret consensus.

Ad rationem in contrarium suprà allatam R. non parit; quia non est idem inconveniens, quando fornicatio præcedit, & quando subsequitur; nam quando subsequitur, dat jus dissolvendi sponsalia, eò quòd eorum fides frangatur, & insuper suspicio oriatur de non servanda matrimonii fide; quæ ratio cessat, quando fornicatio præcessit; fornicatio verò fœminæ præter hanc rationem concedit jus resiliendi ob viri infamiam, & notabilem differentiam inter sponsum, & sponsam, ut suprà dictum est, quæ ratio æquè procedit in fornicatione præsenti, quàm præcedente ignorata; unde paria, nunc esse, & nunc cognosci, tunc solùm sunt, quando est eadem ratio impedimenti, & idem inconveniens, sive illud præcedat, sive sequatur, ut contingit in lepra, morbo gallico, & similibus defectibus notabilibus; tunc enim quando erat ignotum vitium, perinde involuntaria est promissio, sive illud præcedat, sive sequatur.

Porrò expedit hîc generalem hanc regulam ob oculos ponere, quæ à DD. communiter traditur ad dissolvenda sponsalia, videlicet, quando post contracta sponsalia incorveniens aliquod notabile, aut nova causa supervenit, quæ, si à principio extitisset, vel cognita fuisset, judiciô prudentum à sponsalium promissione meritò absterruisset, & impedivisset sponsalia contrahi, præbet justam causam resiliendi; quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem, éstque virtualis intentio promittentium, non se obligare in hoc casu indissolubiliter, & quacunque causa superveniente. Accedit, quod rebus notabiliter mutatis promissio non obliget, *C. quemadmodum de jurejur.* Nec obest, quòd sponsalia non sint liberalis promissio, sed quidam contractus; ad rescindendos autem alios 435

contractus hæc causa non sufficiat; nam ratio diversa est in sponsalibus, utpote quæ majorem, quàm alii contractus postulant libertatem; cùm ad mutuum amorem ordinentur, & ad contrahendum vinculum matrimonii consumati omninò indissolubile, quod non contingit in aliis contractibus, aut votis. Idem affirmat Sanch. l. c. D. 62. quamvis sponsalia juramentô stabilita sint, quia juramentum includit omnes conditiones contractûs, cui adjicitur, *l. fi. C. non num. pecun.* & intelligitur, rebus in eodem Statu permanentibus, *C. quemadmodum citt.* ac proinde non est necesse in tali casu relaxationem juramenti petere, ut notat citt. Sanch. l. 1. D. 67.

436 Porrò in particulari notabiles mutationes & causæ, quæ justam causam præbent ad dissolvenda sponsalia contracta, ad tria capita reduci possunt.

Primum concernit defectus corporis, quales sunt deformitas magna alteri superveniens, v. g. amissio unius, vel utriusque oculi, obtruncatio narium, aurium &c. *C. quemadmodum citt.* vel gravis corporis infirmitas, v. g. lepra, morbus gallicus, paralysis, aliúsve morbus incurabilis, & contagiosus &c. quibus Sanch. cum aliis annumerat fœtentem halitum incurabilem; quia valde onerosum est, illum perpetuò tolerare debere. Imò idem Sanch. D. 57. n. 4. Kugl. p. 3. n. 101. Spor. n. 271. Pont. Castropl. De Nevo, Navar. & alii contra Covar. Gutt. censent sufficientem esse resiliendi causam, si sponsa ex pulcherrima fiat notabiliter deformis, quia est notabilissima mutatio, & in materia matrimonii multùm æstimatur pulchritudo; hinc *Conink* putat etiam sponsam posse resilire, si sponsus fiat horribiliter deformis.

Secundum spectat ad animi defectus, quales sunt, si unus ex sponsis passus interim sit gravem famæ jacturam, ex hæresi, furto, latrocinio, veneficio &c. ortam. Item morum asperitas, & sævitia primùm cognita, graves, & capitales inimicitiæ inter ipsos sponsos, aut eorum parentes ortæ, vel certò timendæ, ne scilicet matrimonium infelices exitus habeat &c.

Tertium pertinet ad bona fortunæ. Ubi justam resiliendi causam præbet valde notabilis amissio bonorum: Unde si sponsus tempore sponsalium esset ditissimus, non teneretur sponsa ei notabiliter pauperi facto nubere; quia est notabilissima mutatio, quæ à principio contractum impediret. Sanch. D. 59. Palao tr. 28. D. 1. p. 28. & alii. Quòd si uterque sponsus in æqualem paupertatem incidat, Rebell.

bell. & alii putant, tenere sponsalia, quia manent, uti fuerunt, omnia æqualia. Alii tamen cum Palao l. c. & Schmalzgr. hîc n. 191. probabiliùs censent, utrumque justam resiliendi causam habere; quia est notabilis mutatio, nec dari potest compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius; cùm neutra aliquid afferat, ut meritò alteruter sponsorum posset jam nolle matrimonium, utpote, minus aptus, aut omninò inidoneus ad onera matrimonii ob præsentem paupertatem sustinenda.

Quòd è contrà si unus sponsorum repentè fiat multò ditior, vel honoratior, Amic. Hurtad. Illis. Schmier *p. 1. de sponsc. 5. n. 149.* & alii apud Gob. n. 340. affirmant eum, cui insperatæ divitiæ, aut dignitas superveniunt, posse resilire; quia illa mutatio causat inæqualitatem, & reddit duriorem executionem sponsalium, qualis si fuisset initio, non contraxisset.

Contrarium, idque probabiliùs, tenent Sanch l. c. Palao l. c. Gutier *c. 33. de matr. n. 4.* Conink *D. 23. dub. 8. n. 69.* Kugl. *p. 3. n.* 107. König n. 78. Schmalzgr. n. 192. Busenb. Krim. & alii; arbitrantes, non ideò posse sponsum sic divitiis, nobilitate, vel dignitate auctum recedere à sponsa manente in pristino suo Statu, sed stare debere promissis, quia sponsa per hoc non est facta deterior, sed mansit, qualis erat; neque per hoc potest dici sponsus in sponsæ conditione deceptus, nec per errorem in eam consensisse, sed circa propriam suam conditionem, circa quam consensus non fertur.

Nec allata in contrarium ratio evincit intentum; quia inæqualitas illa, & durior sponsalium executio non per se, sed ex eo duntaxat provenit, quòd sponsus impediatur ab aliis sponsalibus ditioribus contrahendis, quod non sufficit ad dissolvenda contracta sponsalia; aliàs quoties offerretur sponso alia ditior, possent dissolvi sponsalia cum minùs divite priùs contracta, quod minimè dicendum est. 2. Justa resiliendi causa juxta Palaum l. c. Pont. Ricc. & complures alios, est justus, & probabilis timor exhæredationis; quia est timor cadendi à Statu tempore sponsalium habito. Item si sponsa, aut ejus parentes vel non possint, vel non velint dare promissam dotem, quia sub illius conditione censentur sponsalia contracta, *C. de illis 3. de condit. appos.* conditione autem deficiente non obligant.

Id, quod Sanch. l. c. Palao l. c. Sylvest. *q. 10. Cas. 9.* Nav. *Sum. c. 22.* Gob. n. 339. Laym. & alii contra alios probabiliùs extendunt etiam ad casum, quo sponsalia inita sunt sine dotis mentione,

tione, & promissione præcedente; tum quia sponsalia censentur sub dotis conditione contrahi, nisi constet, sponsam esse pauperem; receptum enim est mulierem nubentem omnia bona sua in dotem promittere, quamvis hoc non exprimat: tum quia in tali casu novum onus subiret sponsus, si indotatam ducere deberet, & solus onera matrimonii ex propriis bonis sustinere.

437 Ad secundum Q. 3. Membrum respondent Sanch. l. c. Palao p. 20. n. 6. Avers. q. 8. S. 15. Lacroix l. 6. p. 3. n. 185. Contra Coninck dub. 1. n. 58. causam sufficientem resiliendi esse, si sponsus contraxit cum vidua, quam Virginem esse putavit. Rationem dant; quia Vidua censetur longè vilior, quàm Virgo; & insuper quia sponsus ducendo viduam, fieret bigamus, & dissoluto conjugio non posset absque dispensatione promoveri ad Ordines, quod videtur esse notabile incommodum. Idem probabiliùs affirmant citt. DD. cum Navar Man. c. 22. n. 17. König hîc n. 72. Schmalzgr. n. 177. pro casu, quo sponsus contraxit cum Vidua, quam Viduam quidem esse sciebat, sed ignorabat, eam commisisse fornicationem.

Ratio est; quia est notabilis mutatio, & causa noviter cognita, quæ Virum prudentem meritò retraheret in principio à sponsalibus contrahendis; probrosum enim est Viro ducere inhonestam, & impudicam, quam tamen ipse putabat viduam esse honestam.

Quod si sponsus conscius hujusmodi causæ præcedentis ignoratæ, vel subsecutæ, sufficientis ad dissolvenda sponsalia postea sponsam carnaliter cognoscat; non potest à sponsalibus antea validis resilire, ut docent S. Th. in 4. dist. 35. q. un. a. 1. Sanch. D. 66. n. 2. Tambur §. 19. n. 4. Guttier c. 34. n. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. Wiest. n. 113. Schmalzgr. n. 193. Spor. & alii; quia juri suo renuntiâsse censetur, & alteri restituisse jus suum pristinum, ferè, sicut qui accedit voluntariè ad conjugem suam post compertum ipsius adulterium, injuriam illi censetur remittere, ut ad divortium petendum ampliùs non admittatur. Aliud esset, juxta Gobat n. 384. Tambur, Spor. & alios, si nesciverit causam resiliendi; aut si tale quid faciens expressè ratificare noluisset sponsalia.

Ad 4. Q. An si unus sponso- 438
rum laboret vitio occulto, cujus si alter conscius esset, justam haberet causam resiliendi vel non contrahendi, possit suum vitium tacere, & sponsalia contrahere,

vel

vel post illa contracta alterum cogere ad ea implenda, censent satis probabiliter Sanch. l. 1. citt. D. 68. ubi quæstionem hanc ait frequentissimam, & valde necessariam esse, & apud neminem à se inventam, Aversa. S. 19. Burgh. *cent. 2. Cas. 2.* Dian. *R. 287.* Lacroix l. c. n. 182. Dicast. Perez si unus sponsorum vitiô occultô laboret, non afferente, speciale incommodum, uti si sponsa ante, vel post sponsalia occultè fornicata sit, ordinariè posse suum vitium occultum tacere, sponsalia contrahere, vel post contracta alterum coram Judice cogere ad matrimonium. Ratio est; quia, quamvis alter posset ob ejusmodi vitium, aut in pœnam fractæ fidei eidem fidem non servare, talem tamen pœnam non tenetur vitio occultô laborans in se exequi, uti probat praxis, teste Lacroix, nec Confessarii ad id obligant; esset enim nimis durum obligare ad se ita diffamandum, vel à matrimonio abstinendum; Quod

Confirmat citt. Sanch. à pari cum adultero occulto, qui dum adulterium manet occultum, potest tacere, & debitum petere, ut tenet probabilior sententia DD. nam adulterum non posse exigere debitum, est in pœnam sui delicti, dignus est enim, ut fidem frangenti fides non servetur: sed reus non tenetur prodere suum delictum, ut à Judice, vel ab uxore in pœnam illius privetur jure petendi: ergo quamdiu delictum non constat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non privatur jure exigendi debitum, nec ipse adulter tenetur suæ pœnæ esse executor; ut alibi fusiùs dictum est ergo idem sentiendum de sponsalibus validis, cùm hic casus videatur omninò priori similis; sicut enim per adulterium unius eximitur alter ab obligatione reddendi, & si illud sciret, posset excipere; sic per fornicationem unius, vel aliam justam causam eximitur alter ab obligatione implendi sponsalia, & si illam nosset, posset objicere, & excipere; éstque eadem utrobique dissolvendi ratio, scilicet quia frangenti fidem fides servanda non est. Nec obstat quòd ementi fiat injuria, si reticeatur vitium mercis, quo cognito, alter non emeret, nam non est opus tale vitium tunc manifestare, quando non obstat fini ementis, ut probat Lacroix l. 3. p. 2. n. 927. & n. 948. nec usus habet, ut in sponsalibus altera pars ejusmodi defectus suos detegat; sed relinquitur sponso, ut ipsemet in hujusmodi vitia inquirat. *Dixi* 1. cum sponsalibus validis, nam si hæc essent omninò nulla, quia dolus contractui causam dedit, patet, sponsum doli conscium non posse alterum cogere; cùm nullo vinculo alter sit obstrictus, & ipse potiùs teneretur injuriam resarcire, desi-

stendo à contractu. *Dixi 2.* Ordinariè; nam aliud esset, si periculum esset, ne vitium erumperet, sicque causaret graves rixas, inimicitias, aliáque gravia incommoda, & inconvenientia; vel si defectus esset valde noxius, & matrimoninm alteri parti notabiliter difficiliùs redderet, alioquin fieret illi injuria, dum imponeretur onus, in quod alter non consentiret, cujusmodi defectus esset juxta Gobat, n. 374. & Spor. n. 219. si sponsa ab alio imprægnata fuisset.

CASUS LXXVII.

De matrimoniis Catholicos inter, & Acatholicos.

PErengarius Acatholicus multarum divitiarum hæres cupit matrimonium inire cum Catharina Catholica raræ pulchritudinis, & divite puella, quæ cùm diceret, nolle se cum Acatholico contrahere, spondet Perengarius, se fidem Catholicam amplexurum, si ipsa in matrimonium consentiat, quo audito Catharina appositis certis conditionibus consentit, & à Perengario emissa fidei professione, matrimonio copulantur, sed vix elapso anno Perengarius ad vomitum redit, & ad castra Acatholica transit, reclamante, sed nihil efficiente Catharina, quam ob rem ab eo divertit, nec amplius vult eidem cohabitare.

QUÆR. I. An matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica validum sit & licitum? & quid de earum sponsalibus?

QUÆR. II. An ad hoc, ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere possit, opus sit consensu Ordinarii speciali, vel dispensatione Pontificia?

QUÆR. III. An licita sint pacta inter conjugem Catholicum, & hæreticum inita, ut liberorum alii v. g. masculi, patrem Catholicum sequantur, fœminæ verò matrem hæreticam, aut vicissim?

QUÆR.

QUÆR. IV. An Catharina ob hæresim Perengarii conjugis divertere ab eo possit?

439 AD 1. Q. Putârunt non nulli cum Gloss. *C. final. verb. contra substantiam de condit. appos.* & Hostiens. *c. 2. n. 1. de conjug. serv.* matrimonia Catholicorum cum hæreticis, vel apostatis, irrita esse, & nulla, id quod expressè habetur *Can. 72. sextæ Synod. gener.* ubi dicitur: *non licere Orthodoxum cum hæretica conjungi, nec orthodoxam cum hæretico: sed si quid ejusmodi factum apparuerit irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.*

2. Quia ejusmodi matrimonia sunt contra interdictum Ecclesiæ, *Can. cave 15.* & *Can. non oportet 16. Caus. 28. q. 1.* ergo nec rata, nec valida habenda sunt. 3. Matrimonium infidelis cum fideli est irritum, & nullum, & quidem, ut aliqui volunt, jure divino: ergo etiam matrimonium fidelis cum hæretico, cùm eædem rationes in utroque casu militent. Nihilominus

440 Tenendum utique est cum S. Th. *in 4. dist. 39. q. un. a. 1. ad 5.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 6. not. 2.* Cajetan. *V. Matrimonium* c. 1. Durand. *q. 1. ad 2.* Palud. *q. un. a. 1. n. 7.* Abb. *in c. fin. de condit. appos. n. 5.* Navar. *man. c. 22. n. 49.* Covar. *p. 2. desponsal. c. 6. §. 11.* Azor. *l. 8. c. 81. q. 5.* Card. de Lug. *de virt. fid. D. 22. S. 2. n. 13.* Sanch. *l. 7. D. 72.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 11. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14.* aliísque Theol. & Canonist. communiter, matrimonium Catholici cum hæretico validum quidem esse, sed illicitum. Posterior pars sumitur ex diversis Conciliis, Chalcedon. *can. 13.* Leodicen. *Can. 10.* & *31.* Carthag. *3. c. 12.* Agathens. *c. 16.* ubi id interdicitur propter periculum fidei imminens conjugi Catholico, & proli, & quidem sub peccato mortali, nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit nullum fore periculum scandali, perversionis, aliorúmque incommodorum, ut plerique ex citt. docent cum Sot. *in 4. dist. 39. q. un. a. 2. ad ult.*

Prior pars colligitur ex *C. decrevit de hæretic. in 6.* ubi decernitur, uxores, quæ scienter hæreticis nupsêre, privandas esse dote in pœeam delicti, non tamen præcipitur earum separatio, adeóque supponitur matrimonium esse validum. 2. Colligitur id ex Decreto Urbani VIII. expedito *14. Mart.* 1630. & ex Responsione S. Congreg. de propag. fid. 1638. 3. Ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ, quæ ejusmodi matrimonia quidem prohibet, sed contracta sustinet, & tolerat. 4. Ex ratione; quia cùm matrimonium sit Sacramentum, quoad Sacramenti necessitatem solùm

lùm petit paritatem Baptiſmi ſuſcepti, atque adeò cùm uterque ſit baptizatus, atque adeò capax Sacramenti matrimonii, non decuit, illud infirmari,& irritum reddi, ſicut irritum reddidit Eccleſia matrimonium contractum cum infideli non baptizato. Unde patet reſponſio ad 3. rationem in contrarium allatam; cùm non militent eædem rationes pro conjugio fidelis cum infideli ; quia inter hos nequit eſſe Sacramentum; benè autem inter Catholicum, & hæreticum utrinque baptizatum.

Ad 1. Rationem ex Can ſextæ Synod. deſumptam R. eos canones non eſſe authenticos , ut notat Sanch. l. c. utpote à quibusdem editos Synodo illa jam diſſoluta, & deſtitutos auctoritate Conciliorum; imò, etſi authentici forent, eorum tamen irritationem per conſuetudinem , & praxim contrariam jam eſſe ſublatam.

Ad 2. R. iis canonibus prohiberi quidem conjugia perſonæ hæreticæ cum Catholica; ſed ea non reddi irrita , cùm plura ſint prohibita, quæ tamen acta valent.

441 Ad 2. Q. 1. Memb. R. cum Navar *l. 4. tit. ſponſal. 1. edit. conſ. 38. n. 6.* Corrad. *Prax Diſpenſ. l. 7. c. 2. n. 99.* Sanch. l. c. n. 4. aliisque ſponſalia inter perſonam Catholicam, & hæreticam, vel Apoſtatam,irrita,& nulla eſſe, nullámque ſponſalium obligationem inducere, ſi eò tendant, ut matrimonium contrahatur , altero in hæreſi perſeverante; quia tales promiſſiones ſunt de re turpi, & omninò illicita, atque adeò nullam poſſunt inducere ſponſalium obligationem.

Ad 2. Q. R. cum Hurtad *de fid. D. 76.* Diana *p. 8. tr. 1. R. 74.* Gobat *tr. 9. n. 225.* aliisque citt. ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere valeat, opus eſſe diſpenſatione Apoſtolica, vel ſpeciali Ordinarii conſenſu, ſaltem extra Germaniam, & alias Provincias ſeptentrionales, ubi Catholici mixti cùm hæreticis communi jure vivunt. Ratio patet ex dictis; quia cùm ejusmodi matrimonia ob graves rationes ſint prohibita, ad licitè contrahendum opus erit licentiâ, & conſenſu ſpeciali Ordinarii, aut S. Sedis dispensatione, quæ tamen S. Sedes nunquam, vel non niſi ex graviſſimis cauſis diſpenſat, niſi priùs habito teſtimonio de abjuratione hæreſis, teſte Petra *tom. 4. comment. fol. 76. n. 14.* Caſum referente de quodem Heterodoxo volente contrahere cum muliere Catholica à ſe deflorata, de quo requiſitus Summus Pontifex Clemens XI. reſcripſit ad Nuntium in Belgio commorantem, juſſitque, ut Archiepiſcopo Mechlinienſi ſignificet,non expedire diſpenſationem petitam concedere, nec poſſe , niſi abju- 442

rata

rata priùs hæresi, laudátque Archiepiscopum, quòd benè se gesserit in ea deneganda, & reprehendit quosdam Theologos Religiosos, qui super dicta dispensatione votum pro sententia affirmativa dederant. Plura hujusmodi exempla extant apud citt. AA. quibus & illud Urbani VIII. annumeratur, qui perægrè, & illibenter Breve Dispensationis indulsit Sorori Regi Galliarum ad matrimonium contrahendum cum filio Regis Angliæ, idque ob grande veræ fidei, & animarum plurimarum bonum, ut ait, quod sperabatur ex pluribus appositis conditionibus.

Nec mirum Pontifices se difficiles præbere in concedenda hac dispensatione; cùm prohibitio horum matrimoniorum non tantùm sit juris Ecclesiastici, sed etiam naturalis, tum ob scandali, & perversionis periculum, cui exponitur conjux Catholicus, & liberi ex tali matrimonio suscepti, tum ob alia incommoda, quæ ex talibus matrimoniis plerumque oriri solent. Unde circa hujus dispensationis necessitatem DD. communiter distinguunt cum Palao *tr. 28. D. 4. p. 11. n. 11.* inter loca, & Provincias, in quibus Catholici permittuntur securè suam Religionem profiteri absque perversionis periculo; & inter illas, in quibus hanc securitatem Catholici non habent, & perversionis periculum non cessat. Et in primo casu, ubi non adest periculum aut perversionis, aut malæ prolium educationis, censent absque dispensatione posse Catholicum licitè matrimonium inire cum Acatholica; quia tunc cessat obligatio legis tum Ecclesiasticæ, tum naturalis ejusmodi matrimonia prohibentis; secùs verò in secundo casu, nisi accedat legitima dispensatio, & pars Acatholica sufficientem securitatem præstet personæ Catholicæ, quòd velit illam relinquere in professione fidei Catholicæ, nullúmque sic adsit periculum perversionis. Et hinc

In Germania, aliisque septentrionalibus Provinciis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, ex recepta, & tolerata Consuetudine licita esse matrimonia inter personas Catholicas & hæreticas, docent Sanch. *l. 7. D. 72.* Azor *p. 1. l. 8. c. 11. q. 5.* Laym. l. c. c. 14. n. 2. Hurtad. *D. 24. disc. 2.* Gutier *de matr. c. 104. n. 7.* Engl *tit. de matr. contra interdict. Eccl. §. 2. n. 2.* Petra *tom. 4. fol. 75.* König hîc n. 23. Ills. *tr. 6. D. 9. n. 88.* Schmalzgr. hîc. n. 148. aliique, siquidem conjugi, qui Catholicus est, liberum permittatur in fide Orthodoxa permanere, & absit periculum scandali, & perversionis, quod rarò abesse videtur, ut cum aliis citt. notat Coninck. D. 31. dub. 3. adeóque in praxi Catholicos ab ejusmodi con-

conjugiis abſterrendos eſſe, niſi fortè ſpes ſit hæretici conjugis convertendi ad veram fidem, & cum pacto, ut omnes proles catholicè educentur. Quòd ſi dubium ſit, utrum prædicta mala ſequi poſſint, ad Summum Pontificem, inquit Laym. l. c. vel etiam ad Epiſcopum in Germania noſtra pertinebit rem examinare, & contrahendi matrimonii licentiam dare. Hinc Dixi ſuprà ſaltem extra Germaniam, & alias Provincias ſeptentrionales.

443 Ad 3. Q. Pacta, quæ in Conjugiis Catholicorum cum Acatholicis ineuntur, ut ex liberis maſculi patrem hæreticum, fœminæ verò matrem Catholicam ſequantur, aut viciſſim, prorſus impia, & irrita eſſe, ut cum citt. DD. tenet communis aliorum; & ratio eſt, quia parentibus incumbit cura omnes ſuos liberos in vera fide educandi, cui obligationi nullo modo renuntiare poſſunt; atque adeò hujusmodi pacta non ſolùm eſſe contra jus Eccleſiaſticum, præſcribens, ut ſoboles ſequatur conditionem parentis fidelis, ut notat, & probat Sanch. l. c. ſed etiam contra jus divinum, quo parentes tenentur liberos in fide, iísque moribus educare, ut remedia ſpirituali eorum ſaluti neceſſaria adipiſcantur.

444 Ad 4. Q. R. Affirmativè, poſſe ſcilicet Catharinam & quidem propria authoritate divertere à Perengario ad hæreſim redeunte, & non reſipiscente; nam licèt Kemnitius hæreticus Eccleſiam carpſerit, quòd pluribus ex cauſis, quàm fornicationis, divortium concedat, cùm tamen Chriſtus Matth. 5. & 19. ob ſolam fornicationis cauſam affirmet, licitum eſſe divortium; veritas tamen catholica eſt in Trident. definita *Seſſ. 24. de matr. can. 8.* ob aliquas etiam alias cauſas permiſſum eſſe divortium quoad thorum, ſeu cohabitationem ad tempus certum, vel incertum, ſcilicet quamdiu durat delictum, ſeu cauſa, ob quam conceditur divortium, & inter alias cauſas numerari etiam adulterium ſpirituale, quale eſt hæreſis, vel apoſtaſia à fide, in quam labitur alter conjux, tenet concors DD. Cath. ſententia, id, quod conſtat ex *C. fin. de converſ. conjug. c. 2. & 3. quando de divort. C. non ſolum 28. q. 1.* & ex D. Paulo *ad Titum 3.* ubi: *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita.* Ratio potiſſima eſt periculum perverſionis conjugis Catholici, quod regulariter non abeſt, ſi quidem hæreſis magnum ſecum affert periculum pervertendi fidem alterius conjugis; naturæ enim inditum eſt, ut ſquisque ad ſuam ſectam alios pertrahere tenter, cùm id ad animæ ſalutem neceſſarium eſſe exiſtimet, & vel magis conjux conjugem, cui tanta familiaritate, & amore conjunctus eſt, ut adeò

ex

ex consuetudine, & familiaritate conjugali tale periculum semper meritò timendum esse, censeant Sotus *4. d. 39. q. un. a. 4. ad 3.* Bart. Ledesm. *de matr. dub. 54. concl. 5.* Tiraq. *l. si connubiali n. 29.* alíque, nec expectandum esse, donec actu immineat. Imò alii cum Hostensi *l. 8. t. 21. a. 2. q. 14.* Palao. *d. 35. D. un. col. 7. §. Porrò in gratiam fol. 785.* Sanch. l. 10. D. 15. ajunt, non tantùm Conjugem Catholicum posse, sed teneri divertere ab hæretico nolente resipiscere, eò quòd jus naturæ obliget cavere proprium animæ periculum, quod in eo eventu gravissimum imminet: unde emanavit illud Platonis: *Ambula cum bonis; mores enim à conjuncto formantur.* Accedit, quòd ut notat S. Th. 4. *dist. 35. q. un. a. 1. ad 3.* hæresis sit contra bonum prolis, sicut fornicatio carnalis; non enim educabitur proles in vera fide & cultu Dei à parente hæretico.

Porrò communis DD. cum S. Th. l. c. Palud. Soto. Ledesm. Gabr. Sanch. docet causam hujus divortii ex hæresi petitam, esse duntaxat temporalem, & cessare, si hæreticus resipiscat, & absit periculum perversionis conjugis Catholici, atque adeò recipiendum, admittendúmque tunc esse conjugem hæreticum resipiscentem à conjuge Catholico, qui ob dictam causam ab eo diverterat, saltem ante latam ab Ecclesia sententiam, quam posse ab Ecclesia ferri in pœnam hæresis, colligitur ex *cap. fin. de hæret. in 6.* & *C. fin. de conversi. conjug.* & *C. De illa de divort.*

Unde patet discrimen inter divortium institutum ob fornicationem spiritualem, seu hæresim, aliáque crimina, & inter divortium factum ob fornicationem carnalem, de qua locutus est Christus Matth. 5. citt. hæc enim carnalis sola est causa perpetuæ dimissionis, & divortii absoluti; propter alia verò crimina non est licita separatio, nisi dum ea durant, quibus proin cessantibus restauratur matrimonium, & recipiendus est conjux emendatus, ut cum aliis explicat Bellarmin. *l. 1. de matr. c. 14. §. secundæ causa est.* Ubi ait Christum locutum esse de causa divortii petita ex ipsamet conjugii natura, sicque propria, & peculiaris ratio solius matrimonii, quo modo est sola fornicatio carnalis, utpote quæ fidei conjugali, & substantiæ ipsius matrimonii opponitur.

CASUS LXXVIII.

De matrimonio post emissum castitatis votum contracto, déque licentia, & obligatione reddendi debiti conjugalis.

GRisantus in juventute votum castitatis emisit, quo tamen non obstante matrimonium postea contraxit cum Rosa, quæ post aliquot annos in Conjugio transactos, & aliquot liberos ex Grisanto susceptos, inaudit maritum suum votô castitatis obstrictum fuisse: Unde tum prætextu voti hujus; tum ne proles multiplicetur, debitum conjugale reddere recusat marito illud petenti, qui proin sæpè ad non suam occultè accedens aliquot committit adulteria.

QUÆR. I. Quid, contracto matrimonio, liceat Grisanto circa usum matrimonii, & quid ei sit faciendum eo dissoluto?

QUÆR. II. An adulter occultus petere possit debitum conjugale à conjuge adulterium ignorante?

QUÆR. III. An uxor sciens maritum esse votô castitatis obstrictum possit, vel teneatur debitum petenti reddere?

QUÆR. IV. An liceat debitum non reddere, ne liberi, quos ægrè Parentes alere possunt, multiplicentur?

QUÆR. V. Quale sit peccatum petenti negare debitum conjugale?

445 AD 1. Q. R. Conjugem, qui post emissum absolutè castitatis votum contraxit matrimonium, non solùm teneri abstinere à debiti petitione, quousque dispensationem obtineat, sed etiam obligari primo bimestri abstinere à debiti redditione. Ratio prioris

prioris partis est, quia ad petendum debitum conjux non obligatur, *C. si dicat. 33. q. 5. C. quidem de Convers. conjugat.* ergò potest id præstare absque conjugis injuria. Ratio verò posterioris partis est; quia votum obligat ad castitatem servandam, quoties servari potest; primo autem bimestri servari potest, quia eo tempore in favorem Religionis non astringuntur conjuges ad debitum reddendum, atque adeò servari tunc potest votum absque alterius conjugis injuria. Consumato tamen matrimonio tenetur Conjux, qui vovit castitatem, debitum petenti reddere, quoties rationabiliter petitur, ut constat ex *cap. quidem, cap. placet de convers. Conjugator*, quia nequit conjux privare conjugem jure ex Justitia per matrimonium quæsito: Solutô verô per mortem conjugis matrimonio, ex parte voventis servanda est continentia, adeò, ut etiamsi vovens dispensationem obtinuerit ad debitum petendum, nihilominus ad secundas nuptias transire non possit sine expressa summi Pontificis ea super re dispensatione, vel ab alio per privilegium potestatem habente; quæ tamen dispensatio à S. Sede concedi non solet, nisi cum ea obligatione, ut dissoluto matrimoniô servetur castitas, uti in nupera dispensatione contigit hac super re Româ huc transmissa.

Præterea si conjux durante matrimonio adulterium committat, altero fidem servante, debet innocens suum votum servare, quia sine conjugis injuria potest id facere abstinendo etiam à debiti redditione, ut ex communi docet Less. *l. 2. c. 41. n. 53.*

Porrò, an taliter vovens teneatur ante matrimonii consumationem ingredi Religionem, controversum est. Affirmant S. Th. *in 4. d. 38. q. 1. a. 3. quæsti. unc. 2. ad 3.* Navar. *c. 22. n. 73.* Sylvest. verb. *matrimonium 7. q. 5.* & alii, quia Religio est unicum medium, quod talis eo casu habet, ut castitatem servet; nec mirum est, eum obligari ad exequendum medium tam arduum, cùm ipsemet, indebitè matrimonium contrahens in eas angustias se conjecerit. Verùm probabiliùs, veriúsque alii negant cum Soto *in 4. d. 38. q. 2. a. 1.* Less. *l. 2. de Justit. cap. 46. dub. 5.* Sanch. *l. 9. D. 34.* Palao *D. 3. pun. 4. §. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. c. 1.* Henriq. Eman. Sà & aliis censentes, eum non obligari ad Religionem ingrediendam, tametsi votum emiserit post matrimonium contractum ante illius consumationem, nisi fortè tempore emissionis voti adverterit, ac cogitaverit, nullum aliud superesse medium exequendi votum præter Religionis ingressum. Ratio est; quia non est censendus se velle obligare ad assumendum pro voti executione tale medium, quod longè difficilius est ipsa re promissa.

Id, quod haud obscurè colligitur ex *Extravag. Joannis XXII. Antiquæ de voto.* Si tamen tempore emissionis voti cogitâsset, & agnovisset se aliter votum exsolvere non posse, quàm Religionem ingrediendo; tunc ad id se obligâsse censeretur; aliàs irritoria esset promissio, & qui finem promittit, implicitè etiam promittit executionem medii unici, si illud necessarium esse intelligat; medium autem unicum exequendi tunc votum esset ingressus Religionis. Secùs si id in mentem ipsi non venerit, vel non intellexerit, ut notavit etiam Coninck. *D. 34. dub. 5. Concl. 3.* nam tunc non præsumeretur habuisse intentionem se se obligandi ad medium tam arduum, & difficile.

446 Ad 2. Q. Iciendum est, quadrupliciter jus conjugalis debiti amitti posse, videlicet ratione voti, ratione incestûs, ratione adulterii & ratione cognationis spiritualis, ut docet communis DD. Unde dubium exoritur, an conjux adulter occultus possit debitum petere ab altero Conjuge, adulterium ignorante? ubi

Multorum valdè probabilis sententia affirmat, talem adulterum eo ipso privatum esse jure exigendi, & tantùm posse humiliter petere, seu se insinuare gratiâ placendi uxori, ne onus matrimonii nimis aliàs grave reddatur. Ita Navarr. *in man. cap. 23. n. 23.* Rebell. *l. 2. q. 17. n. 3.* Rodriq. *p. 1. cap. 243.* Cov. 4. *decret. 2. p. c. 27. §. 2.* Rosella *verb. debitum num. 17.* Tabien. *matr. 4. q. 6. n. 7.* Arm. *verb. matrimonium n. 77.* Petr. de Lop. *de matrim. q. 62. a. 1. dub. 1.* putans id esse certum, aliique. Moventur, 1. Quia quàm primùm adulterium à conjuge committitur, pars innocens illicò re vera, & coram Deo absoluta est à debito reddendo: ergo adulter non potest petere tanquam debitum, cùm re vera debitum non sit: ant. prob. inde, quia si conjux innocens nôsset alterius adulterium, maneret absolutus secundùm omnes; notitia autem facti non absolvit re ipsa, sed ipsum factum: ergo ante notitiam erat re ipsa absolutus, solúmque tenebatur ex conscientia erronea. 2. Quia Creditore ratione ignorantiæ debitum non petente, non eximitur propterea debitor ab obligatione solvendi: sed eo ipso, quòd conjux adulteretur, est debitor alter immunitatis & exemptionis ab obligatione reddendi: ergo licet innocens ex ignorantia minimè petat hoc libertatis debitum, non manet adulter liber, nec potest illi libertati contravenire exigendo. 3. Quia reddere ex obligatione, & exigere sunt correlativa: sed uxor talis adulteri non tenetur re vera reddere, sed tantùm ex conscientia erronea: ergo vir adulter non potest exigere. 3, Quia lex impediens dominium rei, non est merè pœnalis, sed statim incurritur pa-

patrato adulterio, cùm sit purè privativa.

447 Sententiam oppositam tenent Cajetan. *t. 1. tr. 31. opusc. 17. respon. 4.* Sotus *4. d. 36. q. un. a. 4.* Sanch. *l. 1. D. 68. n. 4.* Coninck. *D. 23. dub. 12. n. 87.* Palao *D. 3. pun. 4. §. 10.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 1.* Turrecr. Petr. Sotus, Ledesm. Palacios, & alii. Ratio est; quia quòd conjux adulter propter adulterium privetur jure petendi debitum, est id in pœnam sui delicti, eò quòd frangenti fidem, fides meritò non servetur: atqui reus, qualis est adulter se ipsum ad pœnam condemnare non debet, nemine agente, aut excipiente, nec tenetur prodere suum delictum, ut à Judice, vel ab uxore in pœnam illius jure exigendi privetur: ergo quamdiu delictum non constat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non privatur jure debitum exigendi, nec ipse tenetur esse suæ pœnæ executor, præsertim cùm conjux à debiti petitione abstinere plerumque non possit, quin criminis comissi suspicio, aliáve incommoda oritura sint. 2. Quia hæc est pœna conventionalis jure divino, & naturali inducta, ut frangenti fidem, fides non servetur, matrimonium enim est quædam societas, contractus, & fœdus: atqui pœna conventionalis non debetur ante sententiam Judicis, vel saltem antequam pars ipsa petat, ut patet in aliis contractibus, & fœderibus, ubi reus non est privatus; sed privandus, ut si filius occultum crimen in patrem admittat, exhæredatione dignum, &c. 3. Quia, quando conjux ipso jure privatur debiti petitione, non est in alterius potestate hanc pœnam remittere, v. g. si incestum cum sorore conjugis admittat, vel communem filium è sacro fonte levet: ergo cùm conjux innocens possit inferre, vel remittere adultero pœnam non exigendi debitum, signum est, illum non ipso jure subire hanc pœnam, sed tunc duntaxat, cùm ea à conjuge innocente illi decernitur, ut adeò adulterium non ipso jure privet adulterum jure petendi debitum, sed innocenti concedat potestatem ipsum privandi & repellendi. Et hæc sententia probabilior videtur, & conformior praxi sacrorum tribunalium. Unde ad argumenta in contrarium proposita responderi potest.

Ad 1. R. innocentem non eo ipso absolutum esse ab obligatione reddendi, sed jus duntaxat habere, quô ipse in foro conscientiæ possit se absolvere, si sibi factum, seu adulterium constaret, & quamvis notitia facti non absolvat, sed ipsum factum, est tamen ea notitia conditio, sine qua non, ut justè possit innocens se absolvere, & conjugem adulterum repellere, seu privare jure exigendi.

Ad

Ad 2. dist. min. est debitor ita, ut teneatur se prodere, & spoliare, n. est debitor eo in sensu, ut scilicet conjux innocens delicti conscius possit se absolvere ab obligatione reddendi, C. sic qui fregit contractûs fidem, est debitor pœnæ conventionalis, non tamen ita, ut teneatur illam offerre, sed ad eum sensum, ut alter jus habeat ab illo exigendi.

Ad 3. n. min. tenetur enim eousque reddere, donec innocens adulterii conscius se ab ea obligatione absolvat; nam ante talem absolutionem seu exceptionem non est sua possessione spoliandus.

Ad 4. n. in casu adulterii legem esse purè privativam, statimque incurri, hoc ipso, quòd adulter privetur jure exigendi debitum in pœnam sui delicti; adeóque pœnalis sit, seu potiùs conventionalis, ut dictum est suprà, quæ non debetur ante sententiam Judicis, vel saltem antequam pars ipsa petat.

448 Ad 3. Q. An uxor sciens maritum votô castitatis obstrictum esse, possit, aut teneatur debitum reddere, quidam existimant, quoties conjux graviter delinquit exigendo, toties similis culpæ reum esse conjugem reddentem, atque adeò nec posse, nec teneri reddere, sed reddendo graviter peccare. Rationem dant 1. Quia talis non habet jus exigendi, sed petit injustè, hoc ipso, quòd ipsa exactio peccaminosa sit, si enim jus haberet, & justè peteret, exactio illa immunis esset à culpa: ergo & reddens similiter peccat, cùm reddendo alterius peccato cooperetur, & consentiens redditioni, consentiat petitioni, seu peccato exigentis. 2. Quia conjugi debitum petenti in loco sacro per se non licet illud reddere, quamvis suum petat, & solius sacrilegii sit reus: ergo neque licebit, quando adversus alias virtutes delinquit, cùm non sit major ratio, & voto castitatis ligatus id petens crimen quoque sacrilegii admittat. 3. Quia bonum spirituale conjugis præstat corporali: ergo si petenti cum notabili damno corporali proprio, aut alieno v. g. prolis, debitum reddendum non est, à fortiori reddendum non erit, quando petens incurrit damnum spirituale petendo. Alii è contrà, idque probabiliùs cum Diana *p. 3. tr. 5. R. 196.* & Bonac. *de matr. q. 4. pun. 3.* Petr. Soto *lect. 16. de matr.* Sanch. *l. 9. D. 6.* Coninch. *D. 34. dub. 4.* Laym. l. c. aliisque, arbitrantur, & petere posse, & etiam reddere teneri alteri conjugi petenti; quia per votum non amisit dominium corporis alterius conjugis per matrimonium acquisitum, sed tantùm peccat exigendo in ordine ad Deum, cui fidem voti violat: ergo conjux, à quo exigitur, tenetur ex Justitia reddere: sicut si nummos apud alterum à se depositos peteret ad for-

fornicandum; Quòd enim non semper, quoties peccat conjux petendo, delictum sit reddere, aut eximatur ab obligatione reddendi, passim docent AA. cum S. Th. Abul. Major. Adrian. Petr. Soto. Sanch. Palao Covar. quorum ultimus *4. decret. 2. p. c. 3. §. G. n. 6.* duo hæc affert exempla. 1. si vir, inquit, affectu fornicatio velit uxorem cognoscere, & ita exigat, lethaliter peccabit: at uxor reddere tenebitur. 2. Si vir existimans matrimonium esse irritum ob impedimentum dirimens, petat; reus est culpæ mortalis: at uxor certò sciens impedimentum non subesse, non potest debitum negare. Et ratio ulterior est, quia reddens debitum non cooperatur peccato exigentis formaliter; quia tantùm cooperatur actui ex sua natura licito conjugatis, & quem ipse debet alteri reddere, quamvis aliunde sit peccatum in altero conjuge exigente: at reddens non cooperatur petitioni alterius, sed eâ suppositâ cooperatur copulæ, quæ licita est, & à se debita, quod inde confirmatur; quia nec cooperatur directè, hoc ipso, quòd non incitet alterum conjugem ad petendum, nec indirectè; quia neque potest peccatum exigentis vitare, cùm res propria à vero Domino exigatur, quam lex Justitiæ Domino reddi postulat; neque tenetur peccatum illud evitare; quia pravus finis, vel malitia alterius petentis non vitiat in se actum, nec afficit redditionem, quæ sola est actus reddentis, ut adeò non appareat, unde impedire teneatur illam exigentis malitiam, præsertim, cùm non frustrà timere possit alterius conjugis indignationem, odium, discordiam, & fortè incontinentiam, ni ejus excitatæ jam concupiscentiæ obsequatur. Fatentur tamen, quoties conjux, à quo debitum exigitur, potest commodè absque timore odii, indignationis, & incontinentiæ alterius conjugis peccantis mortaliter exigendo, & absque suo damno id impedire, teneri illum ex præcepto correctionis fraternæ ad alterum à peccato avertendum, eò quòd charitas exigat, & obliget ad proximum à peccato retrahendum, ubi id commodè fieri potest.

449 Porrò ad dignoscendum, sit ne culpa, nec ne debitum reddere, ubi petens exigendo delinquit, has tres regulas communiter statuunt DD. cum Petr. Soto citt. *lect. 16. de matr. in fin.* Covar. l. c. §. 1. *n. 6.* Sanch. citt. *l. 9. D. 6. n. 7.* Coninch. *D. 34. dub. 4.* Palao *D. 3. de spons. pun. 5. §. 11.* Laym. *l. 5. tr. 10. 3. p. c. 1.* Henriq. *l. 11. cap. 15.* Prima. Quando culpa petitioni conjuncta provenit ex circumstantia, tenente se ex parte solius petentis, v. g. si petat, ob malum finem, vel sit voto castitatis astrictus, tunc non tantùm petitioni annuere potest, sed etiam reddere tenetur, nisi

fortè ille jure petendi privatus sit, ut fit per incestum, & adulterium; nam si incestuosus, vel adulter, qui etiam voto castitatis obstrictus est, debitum petat, ipsi negari potest; imò verò frequentiùs in tali casu ex charitatis lege negari debet. Aliud verò est in casu, quo conjux jus petendi integrum servat, & solùm contra virtutem Religionis peccat, v. g. si voto continentiæ absque conjugis consensu se astrinxerat, tunc reddendi necessitas incumbit, si instanter petatur; quia, ut suprà dictum est, ligatus voto castitatis non amisit dominium corporis per matrimonium acquisitum, sed petens tantùm peccat adversus Deum, cui fidem violat: ergo tenetur conjux ex Justitia petenti reddere rem suam, sicuti si nummos apud te depositos haberet, & Deo promittere non exacturum, si postmodum exigeret, tu obligatus esses concedere, quia ex promissione Deo facta nullum jus illos retinendi acquisivisti. Ergo similiter in posito casu. Secunda regula: quando culpa petitioni annexa provenit ex circumstantia tenente se ex parte actûs conjugalis, seu tali, quæ ipsum actum externum vitiet, tunc ordinariè illicitum est reddere, peccásque reddendo, prout alter delinquit petendo, v. g. si petat in loco sacro, cujus scilicet sanctitati talis actus per se repugnat, in loco publico, utpote qui honestati naturali adversatur, vel petat cum periculo abortûs, vel damni prolis, ad cujus bonum actus ille suapte natura ordinatur, vel tui, aut petentis gravis nocumenti; tunc enim ipsa redditio eandem habet malitiam, quia sicut petitio afficitur pravâ illâ circumstantiâ, ita, & redditio; utróque enim polluit locum sacrum, adversatur honestati, éstque in damnum tertii, &c.

Dixi *Ordinariè*; quia necessitas interdum excusat à culpa, vel utrumque, vel solùm reddentem; nam aliquando ex negatione debiti timeri possunt graviora mala, quàm ex ejus concessione, in quo casu jam petita copula illicita non erit, ut notant Palao, & Laym. l. c.

Tertia regula est, quando exactio aut petitio debiti est solùm culpa venialis, tunc reddere nulla est culpa saltem ordinariè, quia ordinariè adest causa excusans reddentem à veniali, v.g. ne uxor marito petenti displiceat, ne excitentur odia, & discordia inter conjuges, ne absque sua culpa privetur jure reddendi &c. quo in casu plerúmque etiam obligari ad reddendum affirmant Petr. Sotus, l. c. Sanch. l. c. Navar. Laym. & alii.

Ad argumenta porrò suprà pro prima sententia allata responderi potest.

Ad 1. R. petentem per votum non amisisse jus corporis alterius acqui-

acquisitum per ipsum matrimonium, sed petere injustè duntaxat quoad debitum modum; to enim injustè dupliciter summi potest, 1. quatenus petens non habet jus in re petita, ut si petat alienum; & tunc reddi non debet, 2. quatenus petens debitum modum non servat, licet jus habeat in re petita, ut contingit in posito casu; & tunc reddendum est, & reddendo non cooperatur formaliter ad peccatum, nec ille actus est consensus cooperationis, ut suprà indicatum est.

Ad 2. disparitas est, quòd in illo casu circumstantia vitians teneat se ex parte ipsius actûs, qui sanctitati loci sacri repugnat, in altero autem casu tenet se ex parte solius petentis, ut patet ex dictis in prima, & secunda regula communiter recepta.

Ad 3. n. c. quia damnum temporale non est in hominis potestate vitare, sicuti est spirituale; quod si sit in illius potestate, ut dum quis petit gladium ad se vulnerandum, vel occidendum, infert sibi damnum circa corpus, in quod nullum habet naturale dominium in ordine ad illum usum vulnerationis, mutilationis, aut interfectionis: at ubi solum est damnum spirituale, illud est circa animam, cujus homo dominium morale habet, cùm illam Deus reliquerit in manu consilii sui, ut notat citt. Sanch.

Ad 4. Q. an ab obligatione reddendi debitum conjugale excuset conjuges gravis difficultas, quam habent in alendis filiis, si multiplicentur? R. si conjuges inter se conveniant abstinere à copula conjugali, ne proles multiplicetur ob dictam difficultatem, nullum tunc erit peccatum abstinere, ut docent Navarr. *in man. c. 16. n. 33.* Palud. *in 4. dist. 31. q. 3. a. 2.* S. Antonin. *par. 3. tit. 1. c. 20. §. 6.* Sanch. *D. 25. n. 1.* Laym. l. c. n. 6. aliique communiter. Verùm difficultas & controversia est inter DD. an secluso pacto alter possit debitum negare petenti, ne filii multiplicentur ob dictam difficultatem eos alendi. Ubi 450

Rodriq. *sum. c. 243. concl. 1.* Sotus *in 4. d. 32. q. unic. a. 1.* Sanch. *l. 9.* citt. *D. 25. n. 3.* Diana *par. 3. tr. 4. R. 213. & part. 9. tr. 7. R. 3.* vers. *verùm.* Eman. Sà verb. *debitum n. 8.* Petr. Ledesm. *de matr. q. 64. a. 1.* Gasp. Hurtando *D. 10. de matrim. difficult. 12.* aliique censent, cessante incontinentiæ periculo nullam culpam mortalem committi in ea debiti negatione, imò non nulli cum Sanch. nullum peccatum, nec veniale, agnoscunt ea de causa debitum negare.

Moventur 1. quia in aliis etiam debitis solvendis excusat magna incommoditas, & difficultas: cur ergo non etiam in hoc excuset?

2. Non tenetur conjux reddere debitum, quando probabiliter timet aliquod grave damnum sibi, vel proli obventurum: atqui si proles nascatur, grave sibi, & filiis natis damnum imminet, si quidem cogetur vivere ex emendicatis eleemosynis; ergo, &c.

451 Oppositum tamen docent alii, contendentes, non posse ob prædictam rationem negari debitum petenti; tum quia incommoditas, & difficultas, quæ ex multiplicatione filiorum timeri potest, præterquam quod dubia sit, & incerta, ex ipsamet solutione debiti ex Justitia nascitur: ergo nequit debiti solutionem impedire: Tum quia susceptio prolis ex matrimonio est magnum bonum, cujus gratiâ omne incommodum conjugibus perferendum, prima conjugii stipulatione susceptum, constanter tolerari debet. Tum denique quia ex una parte filiorum generatio, & multiplicatio prolis spectant ad præcipuum finem matrimonii, primámque conjugum obligationem; ex altera parte melius est proli, ut vivat inops, quàm ut omninò non vivat. Ergo hæc obligatio præferri debet obligationi illos alendi, cui obligationi si parentes neqneunt ex propriis commodè satisfacere, satisfaciant ex aliorum eleemosynis, filiósque exponant confidentes in piorum hominum, multóque magis in Dei auxilio, qui pascit volatilia Cœli, Matth. 6. obligationem tamen reddendi debitum non omittant. Ita Palao l. c. Rebell. *l. 2. q. 16. Sect. 1.* Coninch D. *34. dub. 3. in fin.* Laym. l. c. illíque, qui indistinctè affirmant esse peccatum mortale negare debitum, ne proles multiplicetur, ut sunt Sylvest. *q. 8.* Navarr. *c. 16. n. 25.* Angel. verb. *debitum n. 15.* Ludov. Lopez *1. part. instruct. c. 79. §. peccat.* Graffis *1. p. decis. l. 2. cap. 83.* Texeda *tom. 2. l. 4. tr. 1. controv. 12.* aliíque. Excipiunt tamen semper casum, quo ob novæ prolis generationem parentes, vel proles ad extremam penuriam alioquin redigendi essent, & quo alioquin periculum esset incontinentiæ in petente, quod perlæpè ex parte viri non abest; & hinc ex negatione debiti ob dictam causam multa peccata incontinentiæ sequi possunt. Et hæc ultima sententia probabilior videtur, magísque placet, saltem quòd ea negatio ob dictam causam ordinariè non sit licita, an autem mortaliter peccaminosa dicenda sit, patebit ex mox dicendis. Unde.

Ad 5. Q. quale sit peccatum ne- 452
gare debitum conjugale? Respondent communiter DD. regulariter peccatum esse mortale, si nulla subsit legitima causa negandi, & seriò, instanter, & rationabiliter ab altero petatur; tum quia negatio debiti seriò, instanter, & legitimè petiti gravis materia est, & sufficiens occasio excitandi rixas, discordias, & inimi-

inimicitias inter conjuges: Tum quia periculum incontinentiæ frequenter timeri potest, si tempore, quo conjux ad coitum excitatus est, debitum reddere renuas. Ut tamen sub peccato mortali reddere debitum obligeris, peti debet seriò tanquam debitum; nam si constet peti ex benevolentia, & desiderio placendi, absque animo inducendi obligationem, negatio debiti in eo casu immunis erit à culpa, ut notat Palao D. 3. part. 4. quia non est petenti injuriosa, utpote non petita ex debito Justitiæ. Imò etsi ita petatur, levem tamen solumodo injuriam esse, censent Eman. Saà l. c. n. 18. Sanch. l. c. D. 2. n. 10. Coninch. l. c. Laym. l. c. Basil. Ponc. alíque, si non absolutè negâsti, sed tergiversatione aliqua, aut precibus à petitione conjugem avertisti: ubi rectè tamen monet citt. Sanch. etsi conjux non tanto rigore debitum conjugii exigere intendat, ut mortalis ei injuria inferatur negando, interdum tamen grave peccatum fore, saltem contra charitatem, si ex negatione debiti periculum incontinentiæ incurrat. Quapropter cautè hîc procedendum est, præstátque potiùs petenti absque difficultate annuere, quàm aliquam in redditione difficultatem ostendere, ne amor conjugalis minuatur, & ad illicita divertat: Præciso tamen incontinentiæ & gravis odii periculo non auderem lethalis culpæ damnare conjugem, quæ rarò, aut subinde debitum negat marito petenti, nisi fortè illud instanter, & nimis urgeret. Tum quia, si id rarò, aut subinde contingat, non possunt mariti censeri rationabiliter inviti, cùm ex parte mulieris persæpè rationabilis aliqua causa negandi subsit, nec sufficiens semper adsit advertentia ad gravem obligationem; Tum quia persæpè non petitur rationabiliter, sed nimis frequenter, & importunè: Unde debitum petenti in ebrietate, furore, amentia, negari posse, docent Sotus *in 4. d. 34. q. un. a. 4.* Eman. Sà verb. *debitum, n. 16.* Sanch. *D. 23. n. 10.* Laym. l. c. & alii, eò quòd tunc non rationabili, & humano modo petatur; quod probabilissimum dicit Victoria *de matr. n. 289.*

)o(

CASUS LXXIX.

De licentia Ordinarii, vel Parochi ad assistendum matrimoniis obtenta, déque Parochi, ac testium præsentia.

HUgo nobilis Juvenis, & Rosa paris nobilitatis puella allegatis variis rationibus facultatem obtinent ab Ordinario contrahendi coram Ambrosio sacerdote cognato sponsæ de præscitu proprii Parochi, & præmissis denuntiationibus, salvísque juribus Parochialibus, qui tamen satis certi de absentia impedimenti, omisso proprii Parochi præscitu, & denuntiationibus, contrahunt non coram Ambrosio tunc ægrotante, sed coram Cleto sacerdote sponsi fratre, & præsentibus aliquot Consanguineis, alteróque die jura Parochialia proprio Parocho persolvunt.

QUÆR. I. An sufficiat licentia Ordinarii, vel Parochi, quæ habetur ex ratihabitione de futuro, ut Sacerdos alienus assistere possit matrimonio, aut etiam tacita de præsenti?

QUÆR. II. An quando ab Ordinario committitur extraneo Sacerdoti licentia assistendi matrimonio de præscitu proprii Parochi, vel præmissis denuntiationibus. valeat matrimonium, si Parochi præscitus, vel denuntiones omittantur?

QUÆR. III. An valida sit licentia assistendi matrimonio dolo, & mendaciis obtenta, aut metu extorta?

QUÆR. IV. An ad assistendum matrimonio sufficiant qualescumque testes, & an valeat matrimonium contractum coram Parocho, & testibus vi, aut dolo detentis, & invitis?

453 AD 1. Q. R. 1. Videtur sufficere ratihabitionem de futuro. Ratio est. Primò; quia ad audiendas Confessiones requiritur

ritur similiter licentia proprii Sacerdotis, *cap. omnis utriusque sexûs de pœnit. & remiss.* & tamen satis est licentia præsumpta ex ratihabitione de futuro, ut tradunt Host, *Sum. t. de pœnit. & remissio. §. Cui confitendum n. 14. vers. octavo.* Henric. *d. c. omnis utriusque sexûs c. 24. vers. 8.* Jac. de Cochis *in repetit ejusdem cap. n. 116.* Ubi sic arguunt: *Valet Confessio, si alienus Sacerdos ponat spem suam in proprium Sacerdotem, ut ratum habeat: ergo similiter sufficiet in matrimonio.* 2. Quia nemo potest ministrare Eucharistiam, aut extremam Unctionem alieno Parochiano sine proprii Parochi licentia, *Clement. Dudum, §. Verùm, ne parochiale &c. & Trid. Sess. 24. c. 13. de R.* & tamen hoc non obstante ad ministrandam Eucharistiam, aut Extremam Unctionem sufficit licentia præsumpta, seu ratihabitio de futuro, quando nimirum attentis circumstantiis personæ, temporis, & loci probabiliter creditur, ratum habiturum Parochum, ut docent Palud. *4. d. 23. q. 2. n. 14.* S. Ant. *3. p. t. 14. c. 15. §. 5.* Cajet. Sylvest. Armil. Navar. Henriq. aliique: ergo similiter sufficiet in matrimonio. 3. *Ex C. Aqua 9. de cons. Eccl.* ubi Pontifex asserens, reconciliationem Ecclesiæ non potuisse ex commissione Episcopi fieri per Sacerdotem simplicem, subdit sequentia: *Quod autem per reconciliationem factum est, misericorditer toleramus,* ait, *licèt prima non valuerit, at incipit valere* ex nunc. ergo pariter quamvis matrimonium, absque licentia de præsenti Parochi, esset nullum, saltem quando accedet ejus ratihabitio, incipiet valere, quod

Conf. quia juxta *reg. Ratihabitionem de reg. jur. in 6.* ratihabitio mandato æquiparatur, & retrotrahitur ad tempus celebrati contractûs: sed si in principio interveniisset mandatum Parochi, esset validum matrimonium: ergo erit validum ex tunc, quando postea Parochus ratificat licentiam.

Nihilominus dicendum est, non 454
sufficere licentiam de futuro, ut ex communi docent Sanch. *l. 3. D. 35. n. 17. & 20.* Palud. *4. d. 14. q. 3.* Cajet. *V. absolutio c. 1.* Suarez. *3. p. q. 82. a. 3. D. 72. S. 2.* Palao *tr. 18. D. 2. p. 13.* Coninck *D. 27. de Sacr. dub. 3. n. 31.* Hurtad. Gobat. Wiestn. Schmalzgr. & alii. Ratio est. 1. Quia juxta Tridentinum alienus assistens matrimonio, debet habere licentiam assistendi ab Ordinario, vel à Parocho; is autem, qui credit, Parochum licentiam sibi concessurum, si peteret, re vera licentiam non habet, sed esset habiturus: ergo &c. & ratio ulterior est, quia valor Sacramenti non potest esse in pendenti, seu suspendi, sed, dum fit, Statim debet esse vali-

validum, vel irritum : ergo si dum matrimonium celebratur, habetur tantùm ratihabitio de futuro, & non licentia de præsenti, non erit validum. Quod

Conf. Quia quoties ad valorem actûs requiritur licentia, debet illa actum præcedere, in eóque intervenire. *Auth. Licentia. C. de Episc. & Cleric. & l. siquis mihi 25. §. jussum 4. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* ergo etiam in contractu matrimoniali. Unde

Ad argumenta in contrarium proposita R. Ad 1. eorum DD. doctrinam non esse admittendam; ut ait citt. Sanch. Cùm enim ad absolutionem Sacramentalem, ut valeat, requiratur jurisdictio in pœnitentem, & hanc non habeat Sacerdos extraneus, requiritur consensus proprii Sacerdotis, seu ratihabitio de præsenti.

Ad 2. R. N. parit. disparitas est; quia licentia ad ministrandam Eucharistiam alieno Parochiano requiritur duntaxat ad eam licitè ministrandam, non autem ad valorem, unde satis est probabilis spes, & præsumptio consensûs ipsius Pastoris; secùs quando licentia, & jurisdictio necessaria est ad substantiam, & valorem rei, ut in pœnitentia, & matrimonio, ubi licentia actum præcedere debet, ut suprà probatum est.

Ad 3. R. disparem esse rationem; in Sacramentalibus enim, cùm solennitas sit de jure Ecclesiastico, potest illam Pontifex mutare, & sic supplere defectum omissum, ut ex nunc incipiat valere; secùs in matrimonio, ubi si semel non valuit, non potest Ecclesia facere, ut ex nunc valeat, nisi contrahentes renovent consensum; sicque explicant citt. DD. *cap. Aqua* citt.

Ad Conf. R. ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari, quando valor actûs pendet ex solo mandato, & voluntate Domini; hoc autem non fit in matrimonio, cujus valor pendet â contrahentium consensu legitimo, qui cùm ab initio non adfuerit, necessarium est, ut repetatur.

R. 2. Cum citt. suprà DD. ali- 455
isque infrà citandis, ut alienus Sacerdos possit assistere matrimonio, sufficit licentia tacita de præsenti. Ratio est, 1. quia in favorabilibus, & quæ modici sunt præjudicii, scientia, & patientia operantur consensum, *arg. C. un. de desponsi. impub. in 6. l. si ut proponis 5. C. de nupt.* & tradunt Bart. *l. quæ dotis n. 24. ff. sol. matr.* Abb. *C. nonne, 3. 4. de præsumpt.* Masc. *de prob. Concl. 1158. n. 34.* & apud hunc

hunc alii complures: atqui matrimonium est favorabile, & assistentia illi præstita ab alio Sacerdote modicum, aut nullum præjudicium affert Parocho: ergo operantur consensum, seu legitimam licentiam. 2. Quia ubi licentia requiritur in actu, sufficit tacita, & præsumpta ex ratihabitione de præsenti, *arg. C. fin. de offic. Vicar. in 6.* & multis probat Jo. Lupus *rubr. de donat.* §. *68. n. 27.* cum aliis.

3. Quia eodem tenore *C. omnis utriusque sexûs citt.* requiritur licentia proprii Sacerdotis, ut alienus Sacerdos possit Confessiones audire, & tamen sufficit licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti, ut docent Cajetan. Sum. V. *absolutio*, Sylvest. *Confessio. q. 6. & q. 15.* Rosella *Confessio Sacramentalis 3. n. 31.* Sotus *4. d. 18. q. 4. a. 3.* Navar. *Sum. c. 9.* Sanch. l. c. Ledesm. Henriq. Ang. aliique complures: ergo etiam sufficit in matrimonio: Unde La-Croix *l. 6. p. 3. n. 735.* qui obtinuit, inquit, licentiam, ut inire possit coram Parocho S. Petri, si ineat coram Parocho S. Martini, assistentia tum est valida, si designatio Parochi S. Petri est facta in gratiam petentis; nam est tacita, & implicita licentia, ut etiam alium adeat: si autem hæc licentia esset facta ex speciali causa movente ad designandum Parochum S. Petri, ita ut non dimissset ad alium, assistentia erit invalida. Gob. *n. 525.* & conforme est dictis *l. 6. p. 2. n. 2241.* Hæc ille. Plura hac de re videri possunt in Cas. 51. part. 1. Decisionum practicarum &c.

Ad 2. Q. Videtur non valere matrimonium, si, quando datur licentia assistendi, præmissis denuntiationibus, aut præscitu proprii Parochi, omittantur denuntiationes, aut Parochi præscitus; quia quando conceditur licentia sub certa forma, quæ non observatur, invalida est data licentia, hoc ipso, quòd hæc non operetur ultra mentem concedentis, Nihilominus, 456

Dicendum est cum *Gloss. Clem. 1. de offic. deleg. V. repererit.* Abb. n. 19. Navar. *Sum. c. 27. n. 37.* ubi ait, id esse receptissimum. Covar. *C. Alma mater. 1. p. §. 9. n. 8. de sent. excomm. in 6.* Innoc. *C fin. de præsumpt. & C. prudentiam, n. 9. vers. etsi contrarium* &c. Felin. n. 29. Sanch. *l. 3. D. 33. n. 3.* Avers. *q. 6. S. 4. §. ult.* La Croix *l. 6. p. 3. n. 732.* aliisque, matrimonium eo in casu validum esse, si quidem re vera nullum subsit impedimentum dirimens. Ratio est, quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis, eo modo, quo de jure inest, non est mens, & intentio committentis inducere novam formam, & conditionem strictè talem, sed censetur tantùm

apponi tanquam modus,& admonitio quædam, ut ſerventur ea, quæ de jure ſervanda ſunt; & ratio ulterior eſt, quia expreſſio ejus, quod tacitè ineſt, nil prorſus operatur, *cap. ſignific. de elect. l. 3. de leg. 1. Conditiones, quæ extrinſecus, ff. de cond. & demonſt.* licèt enim non exprimeretur, jure ſubintelligebatur: Cùm ergo ſit jure communi expreſſa illa forma præmiſſis denuntiationibus, *cap. fin. de clandeſt deſpons*, & Trid. *Seſſ. 24. c. 1. de matr.* dum exprimitur in licentia, ea forma non eſt conditio, & reſtrictio licentiæ, ſed admonitio, ut ſervetur: Quare cùm neque in citt. cap. fin. nec in Trid. præſcribantur monitiones tanquam aliquid pertinens ad eſſentiam matrimonii, illarum omiſſio nec vitiabit licentiam, nec matrimonium, etiam non præmiſſis denuntiationibus, utpote non pertinentibus ad eſſentiam matrimonii. Ex hoc ipſo capite inferunt citt. DD. commiſſione facta Judici, ut condemnet Titium, ſi Petrus probaverit debitum, valere ſententiam Judicis condemnantis, Petro non probante, quia eſt conditio, quæ de jure inerat. Similiter, ſi in delegatione dicatur, Confero Beneficium Petro, ſi fuerit idoneus, non eſſe conditionem, quia jure communi inerat, nec nova idoneitas jure communi non requiſita, exprimitur, ac proinde actum contra geſtum valere. Unde patet reſponſio ad rationem dubitandi ſuprà inſinuatam. Id enim verum eſt, quando ea forma, poſita in commiſſione, non eſt forma juris communis, ſed nova, tunc enim importat conditionem, qua non ſervata, invalida eſt licentia conditionata.

Idem videtur dicendum de præſcitu proprii Parochi, & ſalvis juribus Parochialibus, videlicet eſſe duntaxat modum & clauſulam præceptivam, & non irritantem, ad vitandas nempe querelas proprii Parochi, & ne defraudetur ſuis juribus. Ratio eſt, quia ex una parte favor matrimonii in jure eſt ampliſſimus, ex altera parte, cùm Tridentinum irritans matrimonia ſit correctorium, potiùs pro valore ſtandum eſt, quando ea obſervantur, quæ ad tollendam clandeſtinitatem ſunt præſcripta, ad quod ſufficit, ſi matrimonium contrahatur vel coram Parocho proprio ſponſi, aut ſponſæ, præſentibus duobus ſaltem aliis teſtibus, vel coram alio Sacerdote ex commiſſione proprii Parochi, vel Ordinarii, & dictis teſtibus, ubi nulla fit mentio de præſcitu proprii Parochi, nec ſolet in ejusmodi commiſſionibus apponi; utpote nihil faciens ad finem Tridentini; quo proin omiſſo valebit nihilominus matrimonium, niſi aliunde aliquid obſtet.

Porrò ut matrimonium valeat, 457
debet licentia aſſiſtendi fuiſſe intimata,

timata, & acceptata ab eo, cui conceditur, ut tenet probabilior DD. sententia cum Sanch. *l. 3. de matr. D. 36.* Palao *tr. 28. D. 2. p. 13.* Coninck. *D. 27. de Sacram. n. 32.* Filliuc. Hurtad. Barbos. Averl. Wiest. Schmalzgr. aliisque; quia talis licentia sapit naturam gratiæ privilegio concessæ, éstque quædam privilegii donatio; privilegia autem, & donationes indigent alicujus saltem acceptatione, nec sortiuntur effectum, nisi à tempore, quo certior de illis fit is, cui conceduntur. *Cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* Unde si quis licentiam assistendi habeat, & se illam habere nesciat, non assistit validè; quia licentia non est valida, nisi acceptetur; acceptari autem nequit ab ignorante. Quòd si per nuntium submissum petita sit à Parocho licentia, ut alius Sacerdos assisteret, & quia sciebatur, eam esse obtinendam ante horam decimam v. g. hora verò undecima ineatur matrimonium ante adventum submissi nuntii, valida erit ea licentia, ut docent. citt. DD. quia satis est, illam esse petitam, & acceptatam à nuntio ad eam petendam destinato.

458 Ad 3. Q. An valida sit licentia assistendi matrimonio dolô, & mendaciis impetrata, uti si falso nomine alicujus Magnatis, vel falsò allegatâ causâ urgentis necessitatis licentia petatur? R. sub distinctione; vel enim tale mendacium, aut ratio falsò allegata habuit rationem causæ finalis, aut solùm impulsivæ. Si habuit rationem causæ finalis, ita ut concessio licentiæ alligata fuerit à concedente veritati causæ allegatæ, clarum est, licentiam esse invalidam, & consequenter matrimonium, quia tunc apertè deficit consensus in concedente. Si verò habuit rationem causæ solùm impulsivæ, tunc etsi concedens cognita falsitate allegationis non fuisset licentiam concessurus, si tamen allegationi falsæ concessionem suam non alligavit, valida est licentia, ut docent Sanch. *l. c. D. 39. n. 14.* Coninck l. c. n. 37. Casp. Hurtad. *de matr. D. 5. diffic. 11.* Palao. l. c. Perez *D. 41. S. 6.* Wiestn. hîc. n. 79. Schmalzgr. n. 212. Ratio est; 1. quia causa impulsiva cessante, non cessat dispositio, ut probat Tiraq. cum aliis *tract. cessante causa limit. 1. à n. 1. usque ad 10.* Nec talis videtur esse mens concedentis licentiam, ut velit eam esse irritam existente ea falsa petitione, ne matrimonium passim irritetur, ex eo vel maximè, quòd concedentes non lateat, sæpè mendaces esse, & fictitias ejusmodi petitiones. 2. Quia hoc ipso quod causæ, & authoritati allegatæ consensus concedentis alligatus non sit, ille simpliciter & absolutè est præstitus, non obstante, quòd si falsitatem allegationis cognovisset, licentiam non concessisset.

Nec obeſt, quòd diſpenſatio, vel conceſſio alterius gratiæ Apoſtolicæ, impetratæ per narrationem falſitatis, aut reticentiam veritatis, nulla ſit, ſi cognito defectu concedenda non fuiſſet. Nam etiam diſpenſatio, aut gratia Apoſtolica non per qualemcunque expreſſionem falſitatis, aut reticentiam veritatis redditur obreptitia, vel ſubreptitia, ſed per eam duntaxat, quæ juxta Stylum Curiæ, aut receptam conſuetudinem requiritur ad valorem diſpenſationis, vel gratiæ conceſſæ; ſicut ergo quando valor conceſſionis Pontificiæ non eſt alligatus falſæ allegationi, valida eſt conceſſio gratiæ Pontificiæ, vel diſpenſationis, ita pariter valida erit conceſſio licentiæ aſſiſtendi matrimonio, ſi ea non alligetur falſæ allegationi; ſecùs tamen dicendum eſt, quando dolus, vel error contingit circa cauſam finalem, ipsámque ſubſtantiam, ut per ſe patet.

459 Ad 2. Membrum Q. 3. Videtur non valere licentiam metu extortam; quia quamvis contractus non tantùm oneroſi, ſed etiam lucrativi, ut eſt donatio, regulariter metu extorti valeant, nec jure poſitivo irritentur, ut tenet communis DD. eò quòd habeant libertatem jure naturæ requiſitam, excipitur tamen jurisdictio; quæ interveniente metu non transfertur, ut cum aliis docet Gloſſ. *c. 2. verb. Coactus ad fin. de his, quæ vi.* Unde ſi metus annullat prorogationem jurisdictionis, à fortiori impedire debet ejus translationem. 2. Quia conſtitutio Procuratoris matrimonialis, & promiſſio dotis metu extortæ non aliam ob cauſam irritantur, quàm propter relationem, quam habent ad matrimonium, quod metu extortum invalidum eſt: ergo ob eam rationem irrita erit licentia aſſiſtendi matrimonio metu extorta, quia hæc etiam ad matrimonium refertur. Verùm

Dicendum eſt cum relatis ſuprà DD. & Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 32. n. 115. & 133.* Conceſſionem dictæ licentiæ validam eſſe. Ratio eſt tum quia alii contractus metu extorti regulariter validi ſunt: ergo etiam talis licentia valebit, quæ eſt quaſi quædam donatio; tum quia etſi talis licentia ſit metu extorta, ipſum tamen matrimonium coram Sacerdote, & teſtibus ex tali licentia contractum liberum eſt à metu: ergo non eſt, cur ex hoc capite invalidum ſit, cùm nec matrimonium ex tali licentia contractum, neque ipſa licentia metu extorta in jure irritentur. Unde

Ad 2. Rationem in contrarium allatam n. Conſeq. & parit; diſparitas eſt, quia Conſtitutio Procuratoris matrimonialis, & promiſſio

missio dotis metu extortæ valore destituuntur ex juris dispositione; non autem jure expressum habetur, quòd talis assistendi licentia irrita sit, & valore destituta, nec per hoc, quòd ad matrimonium referatur, tollitur, vel imminuitur libertas ipsius matrimonii taliter coram Parocho, & testibus contracti.

Ad 1. Rationem ait citt. Sanch. n. 13. verius esse jurisdictionem metu extortam validè transferri, quod ipsum docet Card. *c. 2. de his, quæ vi, n. un. vers. quintus Cas. & C. licet. q. 31. de elect.* Sed esto, jurisdictionis prorogatio metu extorta invalida sit, is casus est specialis, exceptus à regula generali docente metu gesta tenere, atque adeò ejus nullitas absque alio textu extendi non debet ad licentiæ concessionem contra regulam generalem, nec talis concessio actus jurisdictionis est, neque per eam jurisdictio aliqua transfertur, ut probat Sanch. *l. 3. D. 21. n. 7.*

460 Ad 4. Q. Supponendum est, ad valorem matrimonii necessariam esse præsentiam Parochi, ac testium non tantùm physicam, seu corpoream, sed præsentiam moralem, & humanam, ita scilicet, ut usum habeant rationis, advertant, quid agatur, & utriusque contrahentis consensum intelligant; quia ideò postulat Tridentinum præsentiam Parochi, ac testium, ut constet Ecclesiæ de matrimonio contracto, & de eo authenticè testari possint: ne quis vivente adhuc prima uxore, secundam ducat: atqui si non advertant, & intelligant, quid agatur, nequeunt authenticè testari, nec potest Ecclesiæ constare de matrimonio legitimè contracto; nec censentur moraliter præsentes fuisse, etiam juxta *l. c, Coram Titio, ff. de Verb. signif.* ergo. An autem quorumcumque testium præsentia sufficiat, anne testes requirantur omni exceptione majores, id est, tales, qui nullum patiantur vitium, propter quod jure repellantur à testimonio dicendo? non convenit inter DD. Covar. *4. decret. 2. p. c. 8.* §. 12. Ant. Gabr. *t. 3. comm. l. 1. tr. de test. concl* 8. *n. 3.* Mascar. *de prob. concl.* 1366. *n. 4.* Franc. Molinæus *de rit. nupt.* aliique Neoterici requirunt testes legitimos, & omni exceptione majores, quod probant. 1. Quia in causa matrimoniali, utpote gravissima, & ardua, non quibuslibet testibus est fides adhibenda, sed circumspectis, omnique exceptione majoribus, *c. 1. de consang. vers. Nunc quæstio,* ubi, *si per testes circumspectos omni exceptione majores inveneris:* ergo cùm Tridentinum exigat testes, ut per illos probari possit matrimonium, intelligendum est de testibus legitimis, qui secundum jus fidem faciunt; ideò enim exigit duos, vel tres testes, ut ma-

trimonium non sit clandestinum, ut autem tale non sit, requiritur, ut habeatur legitima illius probatio, quia matrimonium, cujus legitima probatio non habetur, pro Clandestino reputatur, *C. quod nobis 2. h. tit.* 2. Quia ratio, quam assignat Tridentinum, irritandi matrimonia Clandestina, est, ne quis publicè possit inire secundum matrimonium, eo, quòd primum clam contractum probari non possit: atqui hoc inconveniens non evitaretur, si sufficerent testes, qui ob aliquod vitium à testimonio repelluntur, & quibus in foro externo fides adhibenda non est, cùm adhuc improbabile maneat primum matrimonium ob testium defectum. 3. Ad probandum matrimonium antiquo jure, *C. super eo 22. de test. & attest.* requirebantur testes non qualescunque, sed integri, & omni exceptione majores, & quorum fides erat suspecta repellebantur: ergo etiam jure novo testes à Tridentino requisiti debent esse legitimi, & omni exceptione majores, quia cùm correctio jurium sit vitanda, *l. Præcipimus C. de appellat.* novum jus, dum aliud non exprimit, interpretandum est secundùm jus antiquum. Nihilominus

461 Dicendum est, in testibus ad assistendum matrimoniis non requiri specialem aliquam qualitatem, sed sufficere quoscunque testes rationis compotes, etiam impuberes, servos, fœminas, consanguineos, Religiosos, excommunicatos, infames &c. Ita communis DD. cum Sanch. *l. 3. D. 41. n. 5.* Palao *tr. 28. D. 2. p. 13. §. 13.* Coninck *D. 27. n. 41.* Barbos *de offic. Episc. alleg. 32. n. 138.* Perez *D. 41. Sect. 9. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4.* Rodriq. Petr. Ledesm. Gonzal. Schmier. Wiestn. Schmalzgr. aliisque. Ratio est 1. Quia Tridentinum, dum exigit duorum, vel trium testium præsentiam, nullam facit mentionem de testium qualitate; ergo signum est, quòd nullam qualitatem in testibus exigat, præter eam, quæ de jure naturæ est necessaria, quo jure nemo usum rationis habens repellitur à testimonio dicendo, aliàs, si Trid. qualitatem aliquam postulâsset, illius mentionem feciisset, sicut fecit *C. cùm esses, de testam.* Ubi ultra Parochum volens adesse duos vel 3. testes legitimos, & idoneos, id expressit hisce verbis: *Coram Presbytero, & tribus, aut duabus aliis personis idoneis.* Quod

Confirmatur ex eo, quòd decretum Tridentini, exigentis præsentiam dictorum testium sit Correctorium juris naturalis, & Ecclesiastici antiqui, quo nullus requirebatur testis, sed valebant matrimonia Clandestina: ergo, tanquam odiosum, restringendum est, & intelligendum de quibuscunque testibus prout ejus verba sonant, quæ nullam specialem qualitatem exprimunt.

P. 2. Quia testes etiam minùs habiles, & illegitimi faciunt sufficientem fidem, nec repelluntur, quando communi partium consensu adhibentur, ut cum Gloss. Auth. de testib. §. & licèt verb. l. & suppliciis tradunt Bald in l. 6. c. de testib. n. 1. Ant. Gabr. tit. de testib. concl. 10. n. 50. Jason. l. 1. §. fin. n. 9. ff. de V. O. Sanch. l. c. & alii: atqui in matrimonio adhibentur testes communi contrahentium consensu: ergo sufficiunt quicunque; præsertim cùm causa matrimonii sit favorabilis, *C. fin. de sent, & re judic. & c. directa 39. de Appellat.* & in causis favorabilibus admittantur ad probandum etiam testes, qui aliàs non sunt idonei, & habiles, *arg. C. in fidei 6. de Hæret. in 6.* 3. Quia testes minùs habiles admittuntur, quando concurrunt cum alio habili & omni exceptione majore; tunc enim excessus, & habilitas unius supplet inhabilitatem alterius, ut multis citatis testantur Ant. Gabr. *l. c. concl. 5. n. 1. & seq.* Mascar. *de probat. concl. 1365. n. 13.* apud Sanch l. c. Atqui in posito casu cum reliquis testibus concurrit Parochus, cujus authoritati multum tribuitur citt. c. *Cùm esses.* & cujus habilitas ob dignitatem personæ excellens est, quique quatenus matrimonium cum nominibus testium refert in Librum ad id destinatum, ut præcipit Trid. fidem plenam facit instar Notarii publici: ergo. Unde

Ad argumenta in contrarium proposita R. Ad. 1. textum illum agere, quando tractatur de matrimonio dissolvendo propter impedimentum, cujus longè alia est ratio, quàm contractûs matrimonialis; dissolutio enim matrimonii cedit in gravissimum præjudicium conjugis, & ipsius Sacramenti, & id circò ad impedimentum probandum non sufficiunt qualescunque testes, sed requiruntur omni exceptione majores, sicut in causis criminalibus; contrà verò contractus matrimonii, ejúsque probatio est favorabilis; in causa autem favorabili admittuntur testes etiam non idonei, ut suprà dictum est. Demum esto, etiam testes idonei requirantur, id tamen intelligi debet, nisi vitium testium aliunde suppleatur: hîc autem suppletur Parochi præsentiâ, qui testis est plùsquàm habilis, & qualificatus, & quia communi contrahentium consensu adhibentur, quæ duo supplent testium defectum. Pariter quòd in causa ardua non sufficiant qualescumque testes, intelligendum est, nisi ea sit favorabilis, & vitium testium aliundè suppleatur.

Ad 2. N. min. quòd sequatur idem inconveniens, quia ad probandum prius matrimonium contractum

tractum esse, sufficiunt in hoc casu etiam illi testes inhabiles, iisque fides adhibetur ob rationes suprà insinuatas.

Ad 3. Conseq. transmitti potest tunc, quando jus novum loquitur in eodem casu juris antiqui, quod hîc non contingit, quia jus antiquum loquitur in casu, in quo non suppletur inhabilitas testium per aliquid aliud; Tridentinum autem loquitur in casu, in quo vitium testium suppletur Parochi præsentiâ. Dein ex citt. *C. super eo* &c. potiùs colligitur ad probationem matrimonii non requiri testes omni exceptione majores; nam licèt mater ibi repellatur à dicendo testimonio, admittitur tamen contestis fœmina, quamvis non sit omni exceptione major juxta *C. forus 10. fin. de V. S.* Cur autem mater fuerit ibi repulsa, causa erat, quòd ejus fides esset valde suspecta ob emolumentum divitiarum, & honorem filiæ suæ ex matrimonio cum Viro nobili, & divite provenientem, quem cum filia per verba de præsenti contraxisse testari volebat. Quamvis ergo jure antiquo ad dissolvendum matrimonium desiderati fuerint testes omni exceptione majores, citt. *C. 1. de Consang.* ad probandum tamen illud esse contractum, non exigebantur; Nec jus antiquum irritabat matrimonium absque testibus contractum, sicut tamen irritat Tridentinùm: Unde cùm rigidius sit hujus decretum, & in damnum matrimonii, Strictiùs est intelligendum juxta tenorem verborum, ut suprà dictum est.

Ad 2. Membrum Q. 4. Communis DD. sententia cum citatis suprà AA. aliisque compluribus contra Seguram *p. 2. Direct. Jud. c. 15. n. 588.* & non nullos alios, tenet valere matrimonium, quamvis Parochus, & testes dolo, vel vi detenti interfint, dummodo intelligant consensum contrahentium, & advertant, quid agatur, cui sententiæ suffragatur multiplex Declaratio Congreg. Cardin. apud Farin. pag. 268. inter quas est etiam hæc: *An verò si invitus, & compulsus adsit Parochus -- tale matrimonium subsistat? Congregatio respondit: subsistere.* Quod ipsum innuit etiam *l. Coram Titio 209. ff. de verb. ob.* ubi *scire autem, non etiam velle is debet, nam etiam eo invito rectè fit.* Et ratio ulterior est, quia etiam per talem Parochi, & testium præsentiam impletur præceptum Tridendini, quod aliud non præcipit, quàm ut matrimonium celebretur coram Parocho, & testibus, & insuper obtinetur finis à Trid. intentus, & ex ejus præfatione collectus, Quia sive sponte sive inviti interfint, modò advertant, & intelligant, 462

gant, quid inter sponsos agatur, testari jam possunt de contracto matrimonio, ut de eo inito satis Ecclesiæ constare possit, ne, illo spreto, aliud iniri possit. Accedit Curiarum praxis pro ratis habentium matrimonia taliter contracta. Unde

Infertur cum citt. Sanch. n. 11. & aliis validum esse matrimonium contractum coram Parocho, & testibus casu transeuntibus, quia cùm etiam tunc advertant, quid agatur, verè præsentes dicuntur, cùm præsentia ad valorem matrimonii requisita, contenta sit sola advertentiâ intellectûs, sine actu voluntatis, seu consensu, prout tamen volunt Adversarii; nam solâ intellectûs advertentiâ habitâ, jam sufficienter testari possunt de contractu matrimoniali, etsi inviti intersint.

Notant tamen hîc Sanch. l. c. n. 12. Coninck l. c. n. 45. Palao. n. 11. cum aliis pluribus matrimonium contractum coram Parocho dolo, vel vi detento, illicitum esse, & taliter contrahentes graviter peccare; tum ratione injuriæ, quam inferunt Parocho; tum ratione contemptûs Ecclesiæ, cujus authoritate non contrahitur; De testibus tamen aliter sentit citt. Sanch. putans, contrahentes coram illis vi detentis peccare quidem venialiter, eò quòd non servetur reverentia debita Sacramento, non tamen lethaliter, nisi fors injuria sit gravis; quia ipsi non gerunt vices Ecclesiæ, authoritatem præstando ipsius nomine, sicut præstat Parochus, sed solùm testium ministerium obeunt, quod æquè præstare possunt vi detenti, aut casu transeuntes.

CASUS LXXX.

De dispensatione ad contrahendum matrimonium, déque errore in ea commisso.

CAjus vult matrimonium contrahere cum Caja divite puella, sed cùm audiat, eam in tertio affinitatis gradu sibi conjunctam esse, dispensationem à Pontifice petit, re tota syncerè eidem proposita. Pontifex perlecta supplicatione committit Vicario Generali, ut si noverit preces veritate niti, dispenset cum Cajo ad ducendam Cajam; sed cùm in Bulla Pontificia erratum sit, & loco affinitatis positus sit tertius gradus consanguinitatis, ac loco Caji positum sit nomen Titii, & loco Diœcesis A. Diœcesis B. idcircò Vicarius Generalis dubius hæret, an cum Cajo dispensare possit? Unde

QUÆR. I. Utrum Vicarius Generalis, non obstante eo errore, quòd in Rescripto positus fuerit tertius gradus consanguinitatis loco tertii affinitatis, dispensare nihilominus potuerit, ut dictæ personæ matrimonio jungantur?

QUÆR. II. An error, qui committitur in nomine mutato, vitiet Rescriptum, seu dispensationem?

QUÆR. III. An & qualis Vicarius Generalis exequi possit commissionem, quæ per errorem sit Officiali, seu Vicario Gen. Diœcesis A. loco Diœcesis B.?

463 AD 1. Q. Noto, posse aliquam qualitatem adjici Legatis, Rescriptis &c. causâ demonstrationis, & causâ taxationis. Quando autem censeatur aliquid adjectum causâ demonstrationis, & quando causâ taxationis, explicat Fel. *C. super litteris n. 4. de Rescript.* ubi cum aliis Jurisperitis hanc tradit regulam.

Gratia

Gratiâ demonstrationis censetur aliquid apponi, quando sub diversis verborum conceptionibus exprimitur; causâ verò taxationis, quando sub una verborum conceptione exprimitur. Exemplum ponunt in legatis, ubi si præcedat dispositio testatoris significans, quid solvi debeat, & postea subnectatur præstatio, unde faciendi sit, ac proinde duæ sint orationes, additio illa videtur apposita gratiâ demonstrationis, unde non limitat dispositionem, sed solùm demonstat, unde faciliùs solvi possit, & sic quamvis deficiat, adhuc debetur; quando verò unica est oratio significans, quid, & unde solvi debeat, tunc illa assignatio taxat dispositionem, ac ea deficiente deficit, v. g. lego centum, quæ sunt in arca, vel quæ mihi debet Cajus, ubi, si non sint in arca, vel Cajus non debeat, perit legatum. Aliud exemplum in Beneficiis ponit Borojus *in* 1. *lectura n.* 45. ut sit causa demonstrationis, v. g. confero tibi hoc Beneficium, quod fuit erectum in tali Ecclesia pro dignitate, vel quod est dignitas in tali Ecclesia; Causa verò taxationis, confero tibi dignitatem talis Ecclesiæ &c. Verùm hanc regulam non procedere universaliter latè probat Tambur. *de Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 80. cùm res à Notariis, seu scribis dependeat, qui vel unica oratione, vel multiplici legatum suo arbitratu, & sine ullo delectu scribere solent. Sanch. verò *l.* 8. *D.* 21. ait, eam regulam benè adaptari posse legatis, & Contractibus; non autem dispensationibus, & Beneficiorum impetrationibus, quia cùm forma communis sic se habeat: proponit supplicans se esse conjunctum in tali gradu cum fœmina, quam vult ducere; in beneficii verò impetratione: proponit in tali Ecclesia vacare Beneficium curatum; & Pontifex simpliciter respondet, si ita est, dispenset, vel conferatur, vel ipsemet conferat, censeretur, semper adjectam esse qualitatem per modum taxationis, & ita inutilem fore dispensationem, cùm semper sit unica oratio: Unde concludit non esse sufficiens signum ad colligendum apponi gratiâ taxationis, unicam esse orationem, sed aliunde id petendum esse. His præmissis.

Ad 1. Q. Videtur, non posse 464
Vicarium Generalem dispensare cum Cajo, & Caja ad contrahendum, quia, licèt quando error qualitatis adjicitur per modum demonstrationis non faciat inutilem dispensationem, vel Rescriptum, quandode corpore, sive rei substantia constat; error tamen qualitatis adjectæ per modum taxationis, ita ut rei substantiam designet, & contineat, omninò vitiat dispositionem, vel Rescriptum, ut colligitur ex dictis, & *C. super* litteris citt. de Rescript. Atqui

error, qui irrepsit in posito casu, haud dubiè est circa qualitatem pertinentem ad rei substantiam, ideóque adjectam per modum taxationis.

465 Nihilominus dicendum est, errorem illum, qui in posito casu irrepsit, nullatenus vitiâsse dispensationem illam Pontificiam. Ratio est; quia verba debent servire intentioni; non autem intentio ipsis verbis: atqui intentio Pontificis fuit, velle dispensare in tertio affinitatis gradu, quia haud dubiè voluit Pontifex dispensare super eo ipso matrimonii impedimento, quod sibi propositum fuerat, & de quo petebatur dispensatio; propositum autem fuerat impedimentum affinitatis, & de hoc petita fuit dispensatio: ergo in illo voluit Pontifex dispensare, sive ejus dispensationem Vicario Generali committere; ut adeò error ille præter mandantis intentionem ex scriptoris incuria irrepserit, & idcircò omninò materialem censendum esse, cujus ratio habenda non est: atque adeò posse Vicarium Generalem executioni mandare commissionem illam sibi à Pontifice factam, siquidem sufficienter sibi constet, errorem illum non fuisse commissum à Cajo in ipsa supplici petitione.

Nec obstat citt. *C. super litteris*, ubi habetur, quòd verba Rescripti sint strictè accipienda, & ad alios casus, quàm expressos, non extendenda.

Nam ibi statim subjungitur: *nisi de intentione mandantis aliud appareret expressè*: ex quo potiùs probatur tradita suprà resolutio, cùm hîc de mente Pontificis nullatenus dubitari possit, ut suprà insinuatum est.

Aliud tamen foret, si in ipsa Oratoris supplicatione per errorem loco affinitatis posita esset consanguinitas, vel loco Consanguinitatis affinitas. Tunc vitiaretur Rescriptum juxta Stylum Curiæ, qui exigit verum impedimentum exprimi teste Conrad. in Curia diu versato, in Praxi dispens. Apost. l. 7. c. 5. n. 71. & seqq. Accedit, quòd impedimenta illa sint diversa, & secundùm se differant specie, nec unum includatur in altero, dispensatio autem, cùm sit odiosa, nequeat extendi ad casum diversum, etsi par vel major ratio sit pro altero casu, ût notat Felin. *C. Postulâsti de Rescr.*

Ad 2. Q. Quando erratur in 466
nomine illius, quo cum dispensatur, videtur, dispensationem subreptitiam, & irritam esse: argumento tum *ex C. significante de Rescript.* desumpto, ubi petitum fuit à Pontifice Rescriptum contra G. Remensis Diœcesis, cùm tamen non esset Remensis, sed Leonensis, & decisum est, Rescriptum

scriptum esse subreptitium. Tum quia privilegium intelligitur juxta verba in supplicatione posita, ut cum aliis docet Jas. *l. Gallus, in 1. lectura* §. *idem credendum n.* 10. in supplicatione autem est petita dispensatio personæ proprio nomine signatæ, adeóque non extenditur ad eam, quæ illud nomen non habet.

Verùm spectato jure communi tenendum est contrarium cum Host. *C. super litteris n.* 12. *de reser.* Ant. c. significante citt. n. 9. Fel. ibin. 1. Sanch. citt. D. 21. Laym. *t. 4. c.* 22. *n.* 27. Petr. Ledesm. *c.* 17. *dub.* 2. Diana *tr.* 10. *de leg. R.* 36. Ratio est, quia, ut suprà dictum est, in Rescriptis intentio potiùs, quàm verba, attendenda est. Intentio autem dispensantis re vera fuit dispensare cum eo, qui proposita causæ æquitate, & veritate dispensationem suppliciter petiit; neque etiam decet, ut ejusmodi involuntarius error veritatis intentioni aliquid deroget.

Conf. Quando constat de corpore, error proprii nominis non vitiat Rescriptum, ut liquet à simili ex *l. si quis in fund. 4. ff. de leg.* ubi: *si quis in fundi vocabulo erraverit, & Cornelianum pro sempronianо nominaverit, debebitur sempronianus.* Item *inst. de leg. 9. si quis in nomine.* Ubi: *Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator erraverit, si de persona constat, nihilominus valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratiâ reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.*

Atque Adeò quando ex aliis circumstantiis non constat, à concedente spectatam esse personam sibi notam, habitámque specialem illius rationem ad concedendam dispensationem, sed constat eodem modo concedendam cuicunque petenti, propositis justæ causæ meritis, dicendum est, errorem nominis tunc non vitiare dispensationem; quia tunc mens concedentis est propositæ causæ justæ merita attendere, &, quamvis erretur in nomine personæ, intentionem dirigere ad eam, cui verè petitur, seu quæ supplicat pro gratia obtinenda, cùm ipsa persona nullum secundùm se dispensandi motivum tunc præbeat, sed ipsa merita causæ, quæ proponitur. Unde

Ad argumentum in contrarium, ex *C. significante* R. Rationem decisionis illius textûs fuisse, quòd ex nullo adjecto potuerit constare de persona, contra quam fuit Rescriptum impetratum; si enim ex aliis circumstantiis de illa persona constaret, Rescriptum valeret, non obstante errore in designatione Diœcesis, ut ibi tradunt Innoc. n. un. Abb. n. 4. Imol. n. 4. Sanch. l. c. Fel. & alii. Nec obest, privilegium in-

telligi juxta verba in ſupplicatione poſita; nam id verum eſt de ſubſtantialibus contentis in ſupplicatione, & quando aliunde non conſtat de mente concedentis, & perſona, cui fuit verè intentio impetrandæ gratiæ, ut cum aliis citt. docet Hoſt. l. c. Dixi ſpectato jure communi; nam juxta Stylum Curiæ Romanæ exprimi debent propria Oratorum nomina, ſecùs vitiatur Reſcriptum, teſte Corrad. *Prax Diſpenſ. Apoſt. l. 7. c. 5. n. 4. & ſeqq.* qui fuit Officialis Diſpenſationum Apoſtolicarum in Cancellaria Romana, ut ſcilicet eviteutur multæ fraudes, quæ ob mutationem nominis ſub colore erroris intervenire poſſent; excipit tamen idem Corrad. niſi error eſſet minoris conſiderationis conſiſtens præcisè in mutatione alicujus litteræ, vel Syllabæ, ut ſi poneretur *Antonius* pro Antonino, vel *Bernardus*, pro *Bernardino*. Porrò etſi Stylus Curiæ ita habeat, error tamen nominis in Reſcripto Caji commiſſus illud non vitiavit, quia non fuit commiſſus ab Oratore Cajo, nec poſitus in ejus ſupplicatione, ſed à reſcribente, ſeu Reſcriptum expediente: ubi non pugnat ratio à Corrado adducta.

467 Ad 3. Q. Quando ſcilicet petens diſpenſationem in ſupplicatione expreſſit ſe eſſe Diœceſis v. g. Conſtantienſis, uti revera eſſe ponitur, & in Reſcripto per errorem committitur diſpenſatio Officiali Eyſtettenſi, cùm deberet committi Conſtantienſi, an & qualis tunc diſpenſare, ſeu commiſſionem exequi poſſit?

R. Non poſſe Eyſtettenſem; poſſe autem Conſtantienſem. Ratio prioris partis ſatis liquet; quia cùm id per errorem acciderit, deficit intentio Pontificis committentis, cujus mens, & voluntas fuit diſpenſationis executionem committere legitimo ſuperiori, ſive Ordinario ipſius petentis ſeu impetrantis diſpenſationem, prout præſcribitur à Trident. *Seſſ. 22. c. 5. de Ref.* legitimus autem Ordinarius impetrantis non eſt Eyſtettenſis: ſed Conſtantienſis, uti ponitur: ergo huic, & non illi committere voluit executionem.

Quod autem Conſtantienſis, qui eſt legitimus Ordinarius, non obſtante eo errore, qui irrepſit, poſſit diſpenſationem executioni mandare, colligi poteſt ex ſuprà dictis; quia mens Pontificis fuit id committere vero, & legitimo Ordinario impetrantis, qui eſt Conſtantienſis, éſtque per accidens, & quaſi materialiter ſe habet, quòd hic fuerit per errorem appellatus Eyſtettenſis: atqui quando de corpore conſtat & mente concedentis, non obeſt error nominis, ut dictum eſt ſuprà. Quod

Conſ.

Conf. Quia non minùs est de gratiæ substantia ipsa persona, cui gratia conceditur, quàm ejus gratiæ executor: si ergo error in persona non vitiat, ubi constat de corpore & mente concedentis, nec vitiabit error in executore, ubi pariter de corpore constat, & mente dispensantis.

Dixi suprà si petens in supplicatione expressit se esse Diœcesis Constantiensis, uti revera esse ponitur; nam si ipse in supplicatione errâsset, ponendo nomen Diœcesis Eystettensis loco Constantiensis, contrarium tanquam verius asseritur à Sanch. citt. cùm aliis à se citt. Rationem dat, quia in eo eventu non tantùm erratum est in nomine, sed erratum est, asserendo, petentem esse Diœcesis Eystettensis, & virtualiter petita est commissio Officiali Eystettensi, atque illi noluit Pontifex committere, cùm commissio fuerit involuntaria, utpote orta ex errore; & quamvis si petita esset vero Ordinario Constantiensi, illi committeretur, at illi nec petita est, nec commissa. Id, quod ipse ex Abb. & Baldo exemplis confirmat. Conf. 2. ex Stylo Curiæ, juxta quem si error contigerit in nomine Diœcesis, positus à supplicante Oratore, invalidam reddit Dispensationem, ut testatur Corrad. l. c. n. 28. & alii. Quia eo casu nullus Ordinarius exequi posset litteras; non proprius Oratorum, quia eidem, ut supponitur, non fuit data comissio: nec etiam ille, cui per errorem data est; quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinario impetrantium delegare intendit, prout præscribit Trident. *Sess. 22. c. 5. de Ref.* Ut ergo dispensatio sit legitima, & valida, debet in supplicatione exprimi Diœcesis utriusque, tam Oratoris, quàm oratricis, ut notat citt. Corrad. n. 25. 26. si sit diversa, ita ut ad Ordinarium Oratricis mittatur Rescriptum, éique committatur executio, prout huic committi aliàs solent Dispensationes matrimoniales.

CA-

CASUS LXXXI.

De dote, divortio, & alimentis uxori à marito suppeditandis.

CRiſpina habens aliunde ex bonis propriis, quantum ſufficit ad competentem dotem, invitis parentibus nupſit Sempronio, cui per biennium convixit gemina ſuſcepta prole, ſed cùm poſtea à marito malè tractaretur, receſſit à mariti conſortio, ad quem, licèt ſæpiùs revocata, redire renuit.

QUÆR. I. An pater filiæ nubenti teneatur dotem conſtituere, etiamſi aliunde dives ſit, & etiam, ſe invito, nubenti?

QUÆR. II. An maritus graviter peccet uxorem graviter verberando? & an id ſit juſta cauſa divortii faciendi?

QUÆR. III. An & quando maritus teneatur alere uxorem factô divortiô?

QUÆR. IV. An, & quando, factô divortiô, alenda ſit uxor etiam tunc, quando & mariti culpâ & ſuâ propriâ ab eo receſſit?

468 AD 1. Q. 1. Membrum, ſupponendum eſt, patrem teneri dotem filiæ conſtituere, quam matrimonio collocat (exceptis iis caſibus, & cauſis jure expreſſis, ob quas poteſt filiam exhæredare) uti tenet communis, teſte Molina *D. 424.* & expreſſè habetur *l. qui liberos ff. de ritu nupt.* & *l. fin. C. de dotis promiſſ.* & *l. 8. t. 11. p. 4.* & quidem etiam pro caſu, quo filia matrimonio collocata eſt ex patris conſenſu, & absque dotis mentione, prout contra Bartol. *l. obligamur, n. 1. ff. de act.* & non nullos alios docent cum Gl. *l. obligamur, verb. lege, ff. de act. & oblig.* Abb. *c. 1. n. 6. de deſponſ. impub.* Bald. *Auth. res, quæ, n. 10. C. com.*

com. de lege Cov. 4. *der. 2. p. c. 3.* §. *8.* Molin. *l. 2. de primog. c. 16. n. 7.* Menoch. *de præsump. l. 4. præsumpt. 189.* Sanch. *l. 4. D. 26. n. 4.* Ripa dicens esse plerorumque *l. 1. n. 56. ff. sol. matr.* & ratio est, quia dos non tantùm constituitur filiæ, ut virum inveniat, & alimenta habeat, sed etiam ad sustentanda matrimonii onera, *C. Salubriter de usur. l. pro onerib. C. de jure dotis.* & ne à viro spernatur, *auth. de nupt.* §. *si quis itaque &c.* & insuper quia pater ad duo obligatur, scilicet ad filias matrimonio collocandas, & ad dotandum, *l. qui liberos. 19. ff. de rit. nupt.* ergo licèt primum adimpleverit, tenebitur ad secundum. An autem teneatur pater dotare filiam divitem, ratio dubitandi esse potest; quia non tenetur pater filiæ diviti præstare alimenta, ergo neque dotem, eò quòd alimenta, & dos in jure æquiparentur. Sed

Tenendum est cum Menochio *de præsumpt. l. 4. præsumpt. 189.* cum Bonac. *D. 6. q. unic. pun. 6.* §. *2.* Ripa l. c. n. 55. Bald. Cov. Jason, Sanch. l. c. aliisque suprà relatis, quamvis pater non teneatur filiæ diviti præstare alimenta, obligari tamen ad dandam illi dotem. Ratio est juris dispositio, *l. fin. C. de dotis promiss. l. 8. t. 12. p. 4. l. qui liberos citt.*

Unde non valet in hoc casu argumentatio ab alimentis ad dotem, sed causa dotis in præsenti favorabilior est ob claram juris dispositionem, quâ hîc Standum est.

Ad 2. Q. 1. membrum, an pater filiam, se invito, nubentem dotare teneatur? Variant DD. & quidem, si filia major sit 25. annis, obligari patrem ad eam dotandam docent probabiliùs Sanch. l. c. n. 11. Bonac. l. c. Menoch. Ripa, aliique apud Sylvest. *verb. dos q. 4.* & citatos; idque, etsi indigno nubat. Rationem dant, quia filiæ ex consensu patris nubenti absque dotis promissione tenetur pater dotem constituere, ut patet ex suprà dictis; filiæ autem majori non est culpæ tribuendum, quòd nupserit sine patris consensu, cùm pater fuerit in mora, *auth. sed si post, C. de inofficiis. testam. & l. 5. tit. 7. p. 6.* atque adeò patris culpæ id adscribendum est, quòd filiam matrimonio collocare neglexerit, non filiæ, quæ proin dote privari non debet. 469

Major est controversia, & DD. dissensio de filia minore 25. annis, invito parente, nubente. Ubi prima aliquorum sententia indistinctè docet teneri patrem dotare, quando filia nupsit digno, secùs quando nupsit indigno; Alii verò cum Rosell *V. hæreditas n. 10.* Sylv. q. 4. Angel. *V. dos, n. 4.* distinguunt, ajuntque teneri patrem dotare, si

filia nupsit digno, dotémque promisit, quia rem, adquam tenebatur pater, utiliter gessit, secùs si non promisit, vel nupsit indigno.

Alii cum Imola *C. accedens n. 8. de procar.* Jason *auth. sed si post* citt. affirmant teneri patrem ad dotem constituendam, licèt nupserit indigno; quia, cùm dos loco alimentorum succedat; imò favorabilior sit, quàm alimenta, ut suprà insinuatum est, sicut nequit pater talem filiam alimentis privare, ita à fortiori nec dote privare poterit, quorum sententiam, spectato juris rigore, veram esse dicit Molina l. c. n. 8. fatetur tamen minorem dotem dandam esse. Unde probabiliùs dicendum videtur, patrem teneri saltem tradere dotem necessariam ad alimenta filiæ necessaria; nam quilibet tenetur consulere, quantùm commodè potest, gravi proximi necessitati: ergo à fortiori tenebitur pater tradere dotem, saltem quatenus filia opus habet alimentis ad vitam sustentandam.

Ita Sylvest. *V. dos, quæsit. 4.* Bonac. l. c. Sanch. Reginald. Cov. n. 8. Lud. Lop. aliique citt. secùs tamen ajunt, si filia nubens indigno dives sit, aut alimentis patris non indigeat; quia non videtur æquum, ut parentes compellantur ad dotem ei tradendam, qua cum tanto familiæ dedecore nupsit; Neque dicas, nullam sic esse differentiam inter filiam nubentem digno, & nubentem indigno; nam illud discriminis intercedit, quòd filiæ contrahenti cum digno debeatur dos competens; nubenti verò indigno debeatur tantummodo dos necessaria ad vitam filiæ sustentandam.

Ad 2. Q. 1. Membrum, Maritum uxorem graviter verberantem graviter pariter peccare, affirmant Sotus, Sylvest. *V. uxor, q. 3.* Bonac. *l. c. pun. 7.* Sanch. *l. 10. D. 18.* uterque Navar. Fill. Graff. Clavis Regia, aliique. Quia quamvis Marito quandoque liceat, uxorem ex gravi causa cum moderatione & rarò verberare, ut uxorem corrigat, dum spes adest emendationis, *l. rei judicatæ, ff. sol. matr.* eam tamen acriter, gravitérque percutere, & verberare non licet, etsi causa acri flagelatione condigna intercedat, quia gravis, acrisque verberatio, quando delicti qualitas eam postulat, Judici relinquenda est, ad quem spectat juridicè punire, & condignam delicto pœnam imponere; Viro autem respectu uxoris, filiorum, & familiæ hujusmodi punitio non incumbit, nec competit, sed domestica, & moderata, quæ potiùs correctionem, quam pœnam spectat. 470

Ad 2. Q. 2. Membrum, an justam divortii causam præbeat, quòd maritus uxorem graviter ver-

verberaverit? Affirmativè respondent aliqui apud Sanch. l. c. tum quia ob hanc causam repudium concedebatur jure Civili, *l. consensu in fi. princ. C. de repud. Auth. de nupt.* §. *Mitiores, coll. 4.* ubi ratio hæc redditur, quòd hujusmodi supplicium ingenuis inferri dedeceat, servorúmque proprium sit: tum quia metus verberum gravium in virum constantem cadit, ut notant Bart. *l. cùm satis, n. 7. de gricos.* Bald. *l. 1. n. 9. &* Jason. *n. 4. de legatis.*

Alii cum Barbos. *rub. ff. sol. matr. 2. p. n. 1. & 32.* negant, verbera inflicta uxori præbere causam sufficientem faciendi divortii; nisi quando ex iis potest probabiliter timeri mortis periculum, & quamvis id ex præteritis non immineat, satis esse ex futuris posse metui: vel si inde contracta sit inimicitia capitalis inter conjuges, quia, *l. consensu C. de repud.* correcta est per *auth. ut liceat matri, & aviæ, §. Mitiores, verb. flagellis, coll. 4.* nec jure Canonico concedi divortium ob eam causam, nisi in casu prædicti periculi, quod timeri potest.

Alii denique cum Sanch. l. c. idque melius distinguunt, & affirmant, pro casu duntaxat, quo verberatio atrox, & gravis est, ac sæpiùs repetita, aut probabilis conjectura est ejusdem, attenta mariti natura, imposterum repetendæ; Nec sufficere causam verberationis præteritæ, quantumvis atrocis, si casu, ex insolito iræ, ac perturbationis motu mariti contigerit, nec probabilis timor ejusmodi punitionis imposterum exercendæ subsit.

Ad 3. Q. Maritum per se obligari ad alimenta uxori suppeditanda, constat ex variis legibus, & ratio est, quia ideò dotem uxoris recipit, ut matrimonii onera sustineat, & ipsi, ac familiæ alimenta præstet, *l. pro oneribus C. de jure dotium, l. dotis fructus ff. eod.* an autem facto divortio ad id teneatur? 471

R. Sub distinctione, & siquidem uxor absque viri culpa, propria temeritate ab ejus consortio recedat, alenda non est à viro; quia uxor debet viro cohabitare, essèque in ejus obsequio, *C. hæc imago, 33. q. 5.* ergo si debitum obsequium præstare nolit, non est, cur alimenta aliàs sibi debita recipiat; qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *l. si ea, C. condit. insert. l. Jul. §. affinis, ff. de act. empt.*

Si verò uxor ob mariti culpam, v. g. ob ejus sævitiam, recedat, alenda est à viro; par enim non est, ut Maritus commodum ex suo delicto reportet; nec uxori imputandum est, in viri obsequio non esse, sed id viri culpæ tribuen-

buendum, ac perinde est, ac si in viri obsequio esset, *l. jure civil. ff. de cond. & demonst.* ubi conditio habetur pro impleta, quando deficit culpa ejus, cui implenda erat. Ita complures cum Bald. *l. 1. u. 9. C. de legat.* Barbos. l. c. n. 43. Bonac. l. c. Sanch. *l. 9. D. 4.* Cov. Tiraq. Surd. & aliis. Addit Sanch. cum Bonac. virum non teneri uxorem alere, quamvis dotem habeat, quando uxor suâ culpâ recedit; quia uxor tenetur viro dotem tradere, & esse in ipsius obsequio; ergo si in alterutro deficiat, cessat ipsa alendi obligatio, ut advertit Surd. *de alim. tit. 7. p. 16. n. 14.* Pariter non tenetur Maritus uxorem alere, si dos promissa sit, & non soluta, ut docet communis DD. cum Glos. *Auth. de non eligendo 2. nubentes, §. fin. verb. onera;* quia dos quasi in pretium datur, ut ex ejus fructibus maritus onera matrimonii sustineat, & uxorem alat, *l. pro oneribus citt. & l. dotis fructus citt.* intellige, si tempus ad solvendam dotem à marito concessum jam advenerit, aliàs ob solutionis defectum alimenta negare non potest, sed sibi imputare debet, quòd eam dilationem concesserit. Insuper tunc uxorem alere tenetur juxta communem DD. cum Inn. *C. per vestras de donat. inter virum, & uxor. ad fin.* quando uxorem duxit absque dotis promissione, quia sibi imputare debet, quòd nullam dotem postulaverit, vidétúrque tunc ipsam uxoris personam pro dote accipere.

Ad 4. Q. An alenda sit uxor, quando utriusque culpâ divortium factum est? Inspiciendum est, cujus sit ultima culpa, ob quam uxor non cohabitat viro, juxta regulam *l. lud. 17. ff. de pericul. & commod. rei venditæ,* ubi *æquum est posteriorem moram nocere.* Quamobrem si uxor culpâ suâ recesserat, dein pœnitentiâ ducta ad virum rediens ab eo non admittatur, alenda est à marito; quia ultima culpa marito tunc imputanda est, non uxori, quia pœnitentia purgat delictum, & perinde est, ac si conjux sua culpa non recessisset, cùm parata sit ad cohabitandum. Ita cum Gloss. *C. significasti verb. materiam in fin. de divort.* Sanch. l. c. n. 24. Bonac. l. c. *p. 7. n. 4. & 5.* Host. Abb. Jo. And. aliique. 472

Contrà verò si ob sævitiam mariti uxor ab eo recessit, & maritus cautionem de sufficiente securitate præstet, nec tanta sit ejus sævitia, quin ea cautione judicio prudentum satis cautum, consultum sit uxori, & tamen hæc ad virum redire renuat, non tenetur maritus eam extra consortium suum habitantem alere; quia tunc ultima culpa uxori nocet, juxta superiùs dicta. Barbos l. c. n. 44. Sanch. & alii.

Ex

Ex dictis colliges, uxorem à viro recedentem ob nimiam castigationem, & verberationem, ab eo alendam esse; secùs si castigatio sit moderata; quia in priori casu culpa mariti est; in posteriori verò culpa est uxoris; cùm viro uxorem corrigere, & moderatè ex causa punire, permissum sit, *citt. l. rei judicatæ &c.* talis namque inter illos Societas est, qualis inter patrem, & filium, non verò qualis est inter mancipium, & dominum.

CASUS LXXXII.

De reconciliatione Conjugum, facto divortio, déque restitutione dotis, & filiis alendis.

LEander maritus Leontiam uxorem suam de commisso adulterio convictam, factô divortiô, è domo ejicit non ampliùs recipiendam, nulla eidem dote restituta, qui cùm postea & ipse in adulterium incidisset, idque Leontiæ innotuisset, cupit hæc, & petit Leandro marito reconciliari.

QUÆR. I. An, si Leander post factum per sententiam Judicis divortium ob adulterium uxoris, & ipse adulterium postea committat, teneatur reconciliari uxori volenti, ac petenti, & ad eam redire adulterii causâ priùs dimissam?

QUÆR. II. An Conjux innocens factô per sententiam Judicis divortiô, & manente utriusque Statu immutato cogere possit adulterum invitum, ut sibi reconcilietur, teneatúrque is reconciliari?

QUÆR. III. An ob adulterium tam occultum, quàm notorium liceat conjugi innocenti propria authoritate divortium facere, nullâ expectatâ Judicis sententiâ?

QUÆR. IV. An, & quando, factô ob adulterium divortiô, dos uxori restituenda sit, & à quo conjuge educandi, atque alendi sint filii?

473 AD 1. Q. Satis convenit inter DD. si, factô divortiô, adulterium committatur etiam ab innocente ante sententiam, vel antequam hæc transeat in rem judicatam, eò quòd elapsum non sit appellationis tempus, eum obligatum esse conjugi ob adulterium dimissæ reconciliari; quia, tunc æquè reus est, ac altera, & quidem ex pari delicto, sicque delicta mutuò compensantur, ac proinde compellendum esse redire ad conjugem causâ adulterii dimissam. Sed

474 Difficultas, & controversia non levis est inter DD. an ad id obligetur, si innocens in adulterium lapsus est, postquam sententia divortii transiit in rem judicatam. Ubi

Complures Theologi, & Canonistæ cum Soto *dist. 36. q. un. a. 6. ad 3.* Durand. *quæst. 2. a. 2.* Sylv. *V. divortium. q. ult.* Henriq. *l. 11. cap. 17.* Th. Sanch. *de matr. l. 10. D. 9.* Laym. *l. 5. tr. 10. 3. p. cap. 7.* Innoc. *c. De illa, n. un. v. de aliis de divort.* Abb. *C. fin. n. 5. de adult.* aliisque, censent, adulterum dimissum non posse dimittentem repetere, neque dimittentem obligatum esse in conscientia reconciliari dimisso; esse tamen integrum Judici, ut ex officio suo eos conciliet, & cogat, ut periculo fornicationis consulatur, quô suô officiô uti potest tum in publicam utilitatem, & miserabilium personarum, tum quia adulterium superveniens præjudicat rei judicatæ ob periculum animæ.

Ratio negativæ opinionis est. 1. Quia quod benè definitum est, minimè est retractandum, *C. quod Benè 6. caus. 6. q. 4.* 2. Quia servitus semel amissa non renascitur, *C. Quæris de consecr. d. 4. leg. Stichum, §. aream. ff. de solution.* servitus autem conjugis innocentis amittitur lata divortii sententia: ergo eo postea adulterante non renascitur. 3. Quia conjugem repetenti obstat exceptio rei judicatæ, quàm abolere non potest adulterium commissum post transitum sententiæ in rem judicatam. 4. Quia divortii sententia absolvit innocentem à debito conjugalis Societatis, dissolvitque contractum Matrimonii quoad jus thori, & habitationis, manente vinculo, & consequenter sic dimissus, jus ad thorum, & in corpus alterius non amplius habet, atque adeò per adulterium postea commissum, non fit ipsi injuria, quamvis reus fiat adulterii coram Deo ob vinculum Matrimonii perseverans.

Oppositam sententiam asserentem posse in tali casu agi ad Matrimo- 475

trimonii redintegrationem, & ad petitionem partis cogendum esse innocentem, factum postea nocentem, nocenti dimisso reconciliari, obligatósque esse in conscientia hanc præstare reconciliationem quolibet volente, tenent cum Gloss. in *cap. ex litteris de divort.* Navar. *l. 4. cons. cons. 1. de divort. in 2. edit. n. 2.* Covar. *p. 2. de sponsal. c. 7. §. 6.* Petr de Soto *de matrim. lect. 12.* Molina *tom. 3. D. 95.* Coninch *D. 35. dub. 2.* Paludan. d. 35. q. 1. a. 2. Palao *tr. 28. D. 3. p. 6. §. 6.* Fagnan. *in C. ex litteris citt. n. 6.* Host. ibid. n. 2. Gonzal. ibid. n. 3. Wistn. n. 89. Schmier *p. 2. de Matr. c. 5. n. 109.* Reiffenst. n. 87. Schmalzgr. de divort. n. 134. aliique complures. Moventur 1. Quia Conjuges jure divino nequeunt separari, nisi ratione fornicationis: ergo si uterque fuit fornicatus, debent iterum conjungi, quia sic delicta compensantur; nec refert, quòd fornicatio admissa sit post divortii sententiam, quia sententia hominis non aufert jus divinum compensationem adulteriorum admittens; imò nil tam naturale est, ut ait citt. Sanch. *D. 5. n. 23.* quàm delictorum compensationem admitti. 2. Quia divortii sententia minimè præbere debet ansam adulterandi: ergo si innocens, in cujus favorem lata est sententia, postea adulteretur, reddendus est alteri. 3. Quia sententia divortii tacitam includit conditionem in favorem innocentis, nisi ipse velit conjugem adulterum repetere: ergo in favorem adulteri includitur etiam tacita conditio, si innocens continens fuerit, quo proin adulterante illa non subsistit: imò non est in pœnam posterioris adulterii, sed ex ipsa natura contractûs matrimonialis provenit, quòd hanc tacitam conditionem includat, ut altero non servante fidem, liceat alteri ab altero divertere, & utróque conjuge fidem frangente, compensentur delicta: ergo quamprimùm & innocens labitur in adulterium, potest alter petere reconciliationem, & ille eam admittere tenetur etiam non expectatâ Judicis sententiâ.

Ex duabus hisce sententiis magis 476
arridet posterior tanquam verior, ac probabilior, quæ maximè ex eo roboratur, quòd sententia divortii ob adulterium ab altero conjuge commissum non det jus innocenti ab eo divertendi, sed jus, quod ex adulterio acquisivit, declaret, ut eô publicè uti possit: atqui jus divertendi ex adulterio quæsitum innocenti, est duntaxat conditionatum, *si & quamdiu actor est innocens*: ergo eo facto nocente cessat prædictum jus, ac proin obligatus est reconciliari, sicut obligaretur, si adulterium commisisset ante latam sententiam; aliàs neque teneretur innocens restaurare Matrimonium, si post divor-

divortium propria authoritate institutum, ipse etiam adulterium committeret, si scilicet dictum jus non esset ita conditionatum: atque adeò etiam sententia adjectam hanc conditionem habebit, qua proin cessante reus agere poterit ad redintegrationem Matrimonii, quia quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicatæ, ut notat Bartol. *in l. si fullo 2. ff. de condict. fin. caus. n. 1.* Unde

Ad argumenta pro priori sententia allata R. ad 1. id intelligendum esse de rectractatione ex iisdem causis, quòd scilicet id, quòd semel, ritè definitum est, non sit retractandum ex illis causis, ex quibus fuit definitum; secùs si nova causa superveniat; neque hæc dicenda propterea est prioris sententiæ retractatio, sed potiùs novæ causæ decisio.

Ad 2. R. Servitutem semel amissam non redire, nisi hæc ex nova causa contrahatur; secùs si ex nova causa contrahatur, ut patet in servo manumisso, qui, si iterum in bello justo capiatur, potest rursus in eandem servitutem redire. Cùm ergo post sententiam adulterium sequatur, per quod innocens nocens factus est, idcircò servitus, seu obligatio antiqua, ex qua ob suam innocentiam, & alterius delictum exemptus erat, iterum redit, sicut ridiret, si denuò adultero reconciliaretur.

Ad 3. R. Exceptionem rei judicatæ semper quidem nocenti obstare, ne possit in dubium revocare sententiam latam, sed ei nullatenus obstare, quin ob aliam causam denuò supervenientem litem intentare, & novam sententiam exigere possit; quia quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicatæ, ut suprà notatum est ex Bartol. l. c. prout fit, quando adulterium etiam ab altero commissum est.

Ad 4. Negatur, quôd sententia divortii impediat, quo minùs adulterium postea commissum injuriosum sit conjugi dimisso; sententia enim divortii tantùm eximit ab obligatione thori, & cohabitationis; non autem ab ea, quâ conjuges prohibentur aliis copulari; nam hoc ne fiat ab innocente, dimissus jure suo petit, consequenter si fiat, injuria eidem infertur; atque adeò poterit illâ injuriâ injuriam à se factam compensare; possúntque hæc omnia retorqueri in divortio authoritate propria instituto ex adulterio notorio; nam sententia, ut dictum est, non tribuit novum jus, sed quæsitum declarat.

Ad 2. Q. putarunt non pauci 477
cum Hug. relato à Gloss. *C. ex litteris,*

teris. V. redire de divort. Soto, *4. d. 36. q. un. a. 5. ad 3.* Et Navar. *l. 3. Conf. conf. 38. n. 1. in 1. edit.* non esse obligatum Conjugem adulterum reconciliari innocenti acceptanti divortii sententiam, etsi innocens velit ultrò nocenti reconciliari, sed posse conjuge innocente inconsulto, & etiam invito de suo Statu disponere Religionem ingrediendo, vel S. Ordines suscipiendo &c. Rationem dant 1. quia innocens dimittendo adulterum dimisit jus suum, quod in ipsum habuit; remittentibus autem jura sua non est dandus regressus, *libr. quæritur 14. §. si venditor 9. ff. de Ædilit. edict.*

2. Quia sententia divortii cùm à Matrimonio omninò separet, manente solo vinculo, utrumque Conjugem æquè absolvit ab obligatione cohabitandi, & debitum reddendi, aliàs claudicaret, nec servaret æqualitatem Justitiæ: ergo sicut innocens non tenetur admittere adulterum petentem reconciliationem, ita è contra. 3. Quia sententiæ semel latæ, quæ utrique libertatem concessit, Standum est, dum à superiore non retractatur, *C. quod semel, 6. q. 4.* Nihilominus

478 Longè probabilior, veriórque est sententia affirmativa docens, posse innocentem, quamdiu Status utriusque est omninò immutatus, cogere adulterum, ut sibi reconcilietur, eúmque per se obligatum esse, reconciliationem admittere, etiamsi sententia divortii præcesserit. Ita D. Thom. *in 4. dist. 35. q. un. a. 6. ad 3.* D. Bonavent. *a. un. q. 5.* Sanch. *l. c. D. 10. n. 3.* Palao *D. 3. p. 6. §. 7.* Coninch. *D. 35. dub. 5.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7.* Durand. Baludan. Sylv. Ledesm. aliíque communiter tum TT. tum Juristæ apud Sanch. l. c. Ratio est; quia sententia divortii non plus juris innocenti, vel nocenti confert, quàm quod eis competit ratione adulterii commissi, cùm sit tantùm illius juris declaratoria: atqui adulterium non eximit nocentem ab obligatione reddendi debitum, & cohabitandi cum innocente, si ipse velit, sed hanc exceptionem innocenti concedit in recompensationem injuriæ sibi factæ, & fidei violatæ: ergo quandocunque innocens volet, sibi nocentem reconciliari, & ab eo debitum conjugale, mutuamque habitationem exigere, tenebitur nocens obedire.

2. Quia, cùm sententia divortii sit solùm in favorem innocentis, & in odium adulteri, non est in damnum innocentis, & favorem adulteri retorquenda, *C. quod ob gratiam 61. de R. J. in 6.* & *l. quod favore 6. C. de legib.* Atqui ita retorqueretur; quia concederet adultero immunitatem conjugalis obli-

gationis, & innocentem privaret jure in corpus adulteri:

Conf. quia sententia non debet prodesse reo, contra quem lata est, *l. evidenter 16. ff. de except rei judic.* nec debet adulter ex suo delicto commodum reportare, *l. itaque, ff. de furt.* Accedit, quòd aliàs præberetur, conjugibus ansa fornicandi, ut sic diverterent immunes, & liberi à pristina servitute.

Hæc tamen obligatio, quâ conjux nocens tenetur redire, si repetatur, & Statum non mutare, durat solùm, dum reconciliationis subest spes, ut cum aliis citt. notat Coninch *l. c. Concl. 4. n. 26.* nam ea deficiente liberum illi est Statum mutare, ingrediendo Religionem, vel S. Ordines suscipiendo &c. ut si adulter emendatus sæpiùs reconciliationem petat, & innocens deneget; quia per ejusmodi denegationem tacitè satis innuit, nolle unquam sibi nocentem reconciliare; hac enim spe sublata, injustè, & irrationabiliter vellet, ut nocens de Statu suo semper suspensus existat, & exspectet, ut notant citt. AA. & colligitur ex *C. gaudemus de divort.*

Porrò dixi suprà per se obligatum esse nocentem ad innocentis consortium redire; quia excusari poterit per accidens, v. g. ratione prudentis timoris mortis sibi inferendæ, aut iniquæ tractationis, ingentis sævitiæ, &c.

Ad argumenta suprà in contrarium proposita, R.

Ad 1. n. quòd innocens per divortii sententiam ullum jus amittat, aut remittat, sed potiùs adulter jus, quod priùs in innocentem ex Matrimonio habuit, amittit innocente conjuge volente; manente tamen obligatione priore, quâ nocens non est liberatus, nisi consecutivè, scilicet quamdiu non fuerit revocatus ab innocente.

Ad 2. Negatur pariter, sententiam divortii utrumque absolvere, sed innocentem solùm absolvit in favorem ipsius, & in odium nocentis; & hinc hoc ipso non debet hîc servari æqualitas, nam inæqualitas, ut faveat innocenti contra reum, semper invenitur in sententia justa; æqualitas enim servanda, ut justa sit, ea est, ut unicuique reddat, quod suum est.

Ad 3. Patet responsio ex dictis; non enim sententia utrique conjugi, sed soli innocenti libertatem concessit, ac proinde cùm innocens sibi adulterum conciliat, non contravenit sententiæ, sed non vult uti favore per illam sibi concesso.

Ad

479 Ad 3. Q. An divortium propria authoritate institui possit, non exspectatâ Judicis sententiâ? Negant plures cum Innoc. *in C. intelleximus 6. fin. de adult.* Gabr. *in 4. D. 35. q. un. a. 2. Concl. 6.* Gonzal. *in C. 3. n. 8. prop. fin. h. tit.* judicium Ecclesiæ postulantes ex his rationibus. 1. Ex *C. Sæculares 1. caus. 33. q. 2.* ubi excommunicari jubentur Viri, qui uxores suas sine judicio Ecclesiæ dimittunt. 2. Ex textu *C. porrò 3. h. tit.* ubi expresse negatur, separationem conjugum absque judicio Ecclesiæ fieri posse, etiam cùm Parentela sive Consanguinitas publica, & notoria est. 3. Quia iniquum videtur, quemlibet in sua propria causa Judicem esse. 4. Quia divortium est pœna nocentis, quam jus ipsô factô non imponit, sed Judici remittit imponendam. 5. Quia Matrimonium, cùm sit Ecclesiæ authoritate celebratum, debet quoque authoritate Ecclesiæ, & non ipsorum conjugum, dissolvi.

Alii id concedunt, si adulterium sit notorium; negant verò si sit occultum. Sed

480 Melius, ac verius dicitur, licere conjugi innocenti ob adulterium tam notorium, quàm occultum, secluso scandalo, divortium propria authoritate facere, tam quoad thorum, & debiti redditionem, quàm quod mutuam cohabitationem, saltem pro foro conscientiæ. Ita Paludan. *in 4. d. 35. q. 1. a. 3. Concl. 3.* Sylv. *V. divortium, q. 8.* Covar. *p. 2. c. 7. §. 5.* Henriq. *l. 11. c. 17.* Coninch *D. 35. n. 2.* Palao *D. 3. p. 6. §. 4.* Rebell. *l. 2. q. 17.* Laym. *l. 5. tr. tr. 10. p. 3. cap. 7.* Wiestn. *n. 76. & seqq.* Clericat. *de Sacr. Matr. decis. 39. n. 31.* Gasp. Hurtad D. 11. diffic. 6. n. 21. aliique plures cum, & apud Sanch. *l. 10. D. 12. à n. 5. 14. 31. & seqq.* Quoad adulterium notorium probatur. 1. Ex *C. significâsti de divort.* ubi ratihabetur unius conjugum recessus ab altero ob adulterium propria authoritate factus, *si notorium est, mulierem adulterium commisisse,* &c. 2. Ex *cap. ex parte de sponsal.* ubi dicitur: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere*: ergo stante manifesta causa fornicationis licita est dimissio, neque uxor dimissa restituenda est, sicuti docet Gloss. *C. fin. V. fornicationis de adult.* & colligitur ex *C. de Benedicto 5. Caus. 32. q. 1.* & *C. de illa 6. h. tit.* Etenim cùm delictum notorium est, perinde est, inquit citt. Pal. ac si publica sententia, & judicio reus damnatus esset.

Quoad adulterium verò occultum, quando hoc publicè quidem occultum est, sed innocenti privatim certò cognitum. Prob. ex eo, quòd adulterium ex natura sua non aliter obliget ad thorum, & redditionem debiti conjugalis, nisi

sub conditione, si etiam alter conjux fidem conjugalem servet, seu carnem suam in alienam non dividat *C. quemadmodum 25. pr. de Jurejur.* ergo si alter hanc fidem non servet, sed carnem suam in alienam dividat, cessat in innocente obligatio per contractum Matrimonii contracta, sicuti cessat quælibet alia promissio, cessante conditione, sub qua tacitè facta est; & quidem, cùm negatio debiti sit actus privatus, privatim etiam, & authoritate propria fieri potest. Unde in divortio innocens propriè non sibi jus dicit, sed jure à Matrimonii natura sibi concesso utitur, quod jus Ecclesia, approbando Matrimonium, approbare censetur.

Confirmatur, ob adulterium notorium, (sive notorietas illa sit facti, sive sit juris) licet Conjugi innocenti propria authoritate à nocente divertere: ergo æquè ei licebit in foro conscientiæ ob adulterium secretum; quippe jus divertendi non ex publicitate, sed ex delicto nascitur; publicitas enim solùm requiritur ad vitandum scandalum: Unde scandalo cessante, quomodocunque innocenti de adulterio certò moraliter constet, possidet ille jus divertendi, ac pro foro conscientiæ divertere potest, quia in hoc foro non tenetur quisquam contractûs fidem servare ejusdem fidei violatori. Unde & Christus *Matt. 5. & 29.* absolutè dixit, licitam esse dimissionem conjugis propter adulterium, non distinguens inter publicum, & occultum.

Dixi porrò pro foro conscientiæ; nam in foro externo ex causa adulterii, nec notorii nec legitimè probati uxorem dimittens, eam recipere compellendus est, ne hominum malitiæ præbeatur ansa conjugum innocentiam ejusmodi dimissione injustè vexandi, qua restitutione facta, seu conjuge dimisso ad pristinum Statum restituto, agetur de alterius exceptione, & probato adulterio divortium celebrabitur; Quod si in probatione defecerit innocens, cogetur in Matrimonio perseverare.

Dixi 2. Si adulterium innocenti privatim certò cognitum sit; nam si innocens non est de adulterio moraliter certus, sed dubius duntaxat sit, vel solùm suspicio probabilis de illo habeatur, nullatenus potest propria authoritate ab altero divertere, ut passim notant DD. & apertè colligitur ex citt. *C. ex parte &c.* & *C. dixit Dominus 32. q. 1.* & ratio est; quia antequam habeatur moralis certitudo de adulterio, saltem per præsumptionem violentam (qualis intelligitur in *citt. C. dixit.*) ortam scilicet ex circumstantiis cum fornicationis actu ferè semper conjunctis, fundantibus moralem 481

ralem certitudinem, alter conjux manet interim in sua possessione, & jure, quô privari non potest, cùm in dubio melior sit conditio possidentis. Porrò talem certitudinem habere censebitur conjux innocens, ut notat citt. Palao, si pro adulterio talia indicia habeat, quæ in judicio externo probata sufficerent, ut Judex divortii sententiam proferre posset; quippe conjux innocens recedens ab altero, quasi sententiam profert. In particulari autem esse solum cum cum sola tempore, & loco ad peccandum apto. v. g. in eodem lecto, sufficiens utique adulterii indicium, est, præsertim si unus conjugum sit suspectus, vel aliàs malè diffamatus, prout dicitur in *cap. litteris de præsumpt.* Oscula tamen, amplexus, & tactus præcisè, licèt plures DD. apud Sanch. l. c. censeant sufficere ad separationem, probabiliùs tamen, ac veriùs oppositum docent citt. Sanch. & Palao cum aliis, nisi ex aliis etiam concurrentibus circumstantiis aggravetur præsumptio, v. g. si exerceantur in loco abdito, & secreto, ubi facilè copula haberi posset, aut à personis aliàs suspectis; quia ex hujusmodi actibus, præscindendo ab aliis circumstantiis, neque ex natura rei, neque aliqua lege adulterium plenè probatur. Amatoriæ quoque litteræ ad hanc separationem sufficiunt, quæ à muliere Missæ sunt amasio, & in iis adjungitur Confessio adulterii præteriti, ut cum aliis notat citt. Pal. nam esto, Confessio ista, utpote extrajudicialis non plenè delictum probet ad faciendum divortium in judicio per sententiam Judicis, sufficit tamen hæc probatio ad faciendum divortium extrajudicialiter, & authoritate propria, utpote ad quam faciendam minor probatio requiritur, ut notat citt. Palao. Imò juxta eundem Pal. Sanch. n. 51. & Guttier. n. 12. sufficit, ut conjux innocens divertere possit, si de sui Conjugis adulterio, seu de illius violento judicio, certior fiat à persona fide dignissima, cui meritò prudentissimus quisque fidem haberet; quia illud dictum certitudinem moralem præstat.

Ad argumenta in contrarium allata, R. ad 1. *C. sæculares,* non loquitur de dimissione ex causa adulterii, cujus notitia certa habetur; sed de illo, qui uxorem demisit ratione sævitiæ, aut sine graviori culpa, vel probabili causa, animo ad illicita consortia accedendi. Secùs in adulterio, quod jure naturali divortio causam præbet.

Ad 2. R. textum illum non de divortio quoad thorum, & cohabitationem loqui, sed de matrimonii dissolutione quoad vinculum, & libertatem alteri copulandi; quæ res cùm gravissima

sit, & gravioribus exposita periculis, meritò Ecclesiæ judicium requirit, ut notant citt. Palao, Sanch. Coninch, & alii.

Ad 3. R. Innocentem suo discessu non tam sibi jus dicere quàm uti jure suo, sibi ex natura Matrimonii certò competente, & nulla lege sibi adempto; prout colligitur ex *C. dixit citt.*

Ad 4. R. Divortium non esse propriè pœnam, ut patet ex dictis, sed quasi conditionem imbibitam in Matrimonii contractu, si alter conjux fidem conjugalem servet, quæ conditio, cùm sit in favorem innocentis, sufficit, ut innocens adulterii, seu violatæ fidei conscius, adulterum jure privet, debitum exigendi.

Ad 5. R. id procedere pro foro externo, secùs in foro interno, ubi spectatur natura contractûs matrimonialis, qui, ut dictum est, ad thorum, & cohabitationem non obligat, nisi sub conditione, si etiam ab altero conjuge fides matrimonialis servetur. Secùs si data fides violetur.

482 Ad 4. Q. An dos, facto divortio ob adulterium, restituenda sit uxori adulteræ? R. Negativè; nam inter pœnas uxoris adulteræ, ea est; ut dotem perdat, Viróque accrescat, *C. plerumque de dotat. inter Virum, & uxorem. l. consensu 8. §. hæc nisi 4. & §. seq. C. de repud.* Novell. 117. *c. 8.* §. 2. & tradit communis DD. ut sic aliqua compensatio fiat pro gravissima offensa, quam innocens per adulterium passus est; si tamen uxor adultera filios habeat ex eodem, vel alio Matrimonio, tunc maritus, dum vivit, usumfructum illorum bonorum habet, sed eo mortuo succedunt filii in bonis adulteræ; ut ex jure communi probat Barbos. *l. 2. p. 1. in princ. n. 62. ff. soluto Matrim.* & colligitur ex citt. *Novell. 117. c. 8. V. si enim filios.*

Vicissim uxor ob Viri adulterium lucratur donationem propter nuptias, (scilicet eam, quæ fit à Viro uxori pro securitate dotis) citt. *leg. consensu,* §. *si verò C. de repud.* & *Auth. liceat matri, & aviæ.* §. *quia verò plurimas, v. si de adulter.* & tradit communis cum Glos.

Præterea, si divortium non culpa uxoris, sed viri factum sit, restituenda est uxori dos, ut manifestè colligitur *ex cap. 1. de don. inter vir. & uxor.* & docet Abb. cum Bald. *in cap. 1. ut lite non const.* & insuper restituenda est medietas lucrorum, usque ad divortii tempus, ut habetur *cap. significavit,* & tradunt Covar. *4. decret. 2. p. c. 7.* §. 1. Ant. Gomez *leg. 53. tauri n. 72.* Palao *D. 3. de spons. p. 6.*

p. 6. §. 10. Gutier. *l. 1. Canon. qq. cap. 24.* aliíque apud citt.

Porrò suprà dicta intelligenda sunt de dote constituta ex bonis propriis ab adultera, vel ab alio quidem, sed ita ut soluto Matrimonio, non ad dotantem, sed ad ipsam redire debuisset.

Item de amissione dotis post Judicis sententiam; est enim pœna, illa dotis amissio, ut ex communi docet Sanch. l. c. n. 13. ac proinde sententiam Judicis postulat: ubi rectè notat, maritum, si certus sit de adulterio uxoris, in conscientiæ foro posse retinere dotem, defendendo se contra uxorem repetentem, per exceptionem; nam cui competit actio, eidem à fortiori exceptio competere debet, *reg. 71. in 6.* Id tamen, uti notat Laym. *l. 3. tr. 4. cap. 13.* Operatur Judicis sententia, ut maritus dotem irrevocabiliter lucretur, ita ut quamvis post Judicis sententiam & ipse fornicatus fuerit, dotem tamen semel sibi acquisitam restituere non teneatur.

483 Ad 2. Q. 4. Memb. à quo filii, factô divortiô, educandi sint, & alendi? R. spectato jure novo Authentic. Liberos, factô divortiô, educari, & ali debere apud Conjugem innocentem alterius expensis, ita scilicet, ut si pater causam divortii dedit, apud matrem liberi nutriantur patris expensis; si verò mater; apud patrem alantur, matris expensis, nisi pater minus idoneus sit; tunc enim apud matrem locupletem filii educandi, atque alendi sunt, uti habetur expressè *Authent. si pater Cod. divortiô factô.* ac Novell 117. *c. 7.* & docent Palao *D. 3. p. 6. §. 10.* Sanch. *l. c. D, 20. n. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7.* aliíque, limitantes tamen id 1. quando culpa, Viri factum est divortium, & mater transiit ad secundas nuptias; tunc enim proles non relinquitur educenda matri, sed patris expensis, si locuples sit, educanda, & alenda est apud eum, quem Judex arbitrabitur, ut cum aliis notat Sanch. l. c. si verò mater causam divortii dedit, ipsáque locuples sit, & pater pauper, matri relinquuntur filii alendi; quia pater, ut ait Authent. minus idoneus est, id, quod expressè deciditur Auth. *ut liceat matri, & aviæ, §. illud collat. 8.*

Limitant 2. nisi conjux innocens, qui causam divortio non dedit, sit infidelis; is verò, qui causam dedit, sit fidelis, tunc enim in favorem fidei, ne proles in infidelitate educetur, tradenda est alteri conjugi fideli. *C. fin. de convers. infid.*

Porrò si divortium neutrius culpâ fiat, uti quando fit mutuo consensu,

sensu, vel culpâ utriusque factum est, tunc rectè censent Sanch. l.c. n. 10. Palao l. c. cum aliis, servandum esse jus commune Codicis latum in *leg. nec filium, Cod. de patria potestate :* Ubi Statuitur, filios minores triennio apud matrem, majores verò apud patrem ejusdem expensis alendos esse, nisi Judex aliud fuerit arbitratus, juxta *leg. unic. Cod. de divortio facto,* quod nulla alia lege mutatum reperitur.

CASUS LXXXIII.

De delectatione copulæ sub conditione habita, déque jactantia peccati commissi, & turpibus verbis.

JActantius homo vitæ dissolutæ, morúmque pessimorum, cùm à pluribus annis non fuisset confessus, hoc anno, adveniente tempore Paschali Pachomium Confessarium adit, eíque inter alia confitetur, non solùm se sæpiùs delectâsse de copula cogitata cum Flora, si esset sua Uxor, sed etiam coram aliis sæpè verbis turpibus se jactâsse de copula cum eadem Flora, & pluribus aliis habita. Unde Pachomius de his dubitans

QUÆR. I. An delectatio Jactantii de copula cum Flora cogitata sub tali conditione peccatum sit mortale?

QUÆR. II. An Jactantius ita se laudando, & jactando graviter deliquerit?

QUÆR. III. An, & quando verba turpia proferre, vel audire sit in solutis peccatum mortale, aut libros turpes, & obscœnos legere?

484 ANte 1. Q. Resolutionem notandum est duplicem esse delectationem, unam appetitûs rationalis, qui est voluntas, & dicitur gaudium, éstque simplex voluntatis motus, & complacentia quædam, ut notat S. Th. 1. 2. *q.* 31. *a.* 4. Alteram

teram appetitûs sensitivi, qui delectatio propriè dicitur, potéstque esse venerea, cùm sentitur circa partes genitales cum commotione spirituum generationi servientium; vel purè sensibilis, quæ oritur ex applicatione sensûs ad objectum aliquod sine ulla ejusmodi commotione partium, & spirituum, ut est delectatio ex visu picturæ, odoratu floris, auditu Musicæ, gustu rei dulcis &c. quæ licèt ex se non sit peccaminosa, potest tamen saltem remotè esse apta ad causandam ejusmodi commotionem, ac veneream delectationem, & tunc etiam carnalis dicitur.

Illud autem est etiam discrimen inter delectationem voluntatis, & appetitûs sensitivi, quòd delectatio voluntatis possit esse de objecto conditionali; non autem delectatio appetitûs sensitivi; quia delectatio consurgit ex præsentia boni convenientis, aut secundùm se possessi, aut saltem secundùm cognitionem, & apprehensionem, ut notat S. Th. *l. c. q. 32. a. 3.* intellectus autem, ex cujus cognitione voluntas movetur, potest apprehendere, & proponere voluntati objectum conditione vestitum & à malitia præcisum, atque ideò voluntatis delectatio potest esse de eodem objecto sub eadem conditione, & præcisione apprehenso. Econtra phantasia, ex cujus apprehensione movetur appetitus sensitivus, & eam sequitur, nullam conditionem potest apponere, cùm non cognoscat conditionatè, ut rectè notat & probat Sanch. l. 1. cap. 2. n. 33. sed proponit objectum absolutè, neque potest præscindere rationem malitiæ à tali objecto; atque ideò delectatio sensitiva, in quam consentiret voluntas, tenderet in tale objectum absolutè secundùm se sumptum, conditione destitutum, & à malitia non præcisum, quod est illicitum.

Notandum 2. alias esse conditiones, quæ auferunt rationem peccati, seu omnem malitiam objecti, ut si quis dicat: vellem huic mulieri debitum reddere, si esset mea uxor, aut si peccatum non esset; vel vellem interficere latrones, si Judex essem &c. Aliæ, quæ malitiam ab objecto non tollunt integrè, ut si dicas: vindictam sumerem, fornicarer, aut aliud malum facerem, si infernus non esset, vel si non essem Sacerdos &c. ubi sine dubio peccares, quia esse, vel non esse infernum; esse, vel non esse Sacerdotem, non tollit malitiam vindictæ, fornicationis, & aliorum peccatorum; tolleret tamen aliquam circumstantiam, ut notant Sanch. l. c. & Palao cum aliis, ut si quis diceret, si non essem Sacerdos, fornicarer, esset simplex fornicatio, seu constitueret peccatum solùm contra temperantiam, non contra votum. Nunquam tamen est peccatum velle relinquere peccatum ob timorem inferni &c. ob quemcunque

cunque enim finem peccatum relinquatur, peccatum non est. His præmissis, ac notatis.

485 R. 1. Delectatio præcisè voluntatis de objecto sub conditione auferente omnem ejus malitiam, non est peccatum mortale, secluso periculo consensûs in aliquid illicitum, uti docent Cajetan. *V. delectatio*, Navar. *cap. 16.* Vasq. *D. 114. c. 2. & D. 116.* Valentia *q. 4. p. 3.* Sanch. *l. 1. c. 2. n. 34.* Tanner. *D. 4. q. 8. dub. 7.* Graffis *l. 2. c. 77. n. 8.* ubi hanc affert rationem; quia, inquit, dispositio conditionalis nihil ponit in esse, donec impleatur conditio, *leg. obligationum de act. & obl. C. si pro te &c.* Ratio ulterior est, quia delectari de objecto etiam illicito sub ratione quadam non illicita per se non est peccatum, ut probant citt. DD. talis autem est delectatio voluntatis, quia objectum formale, & adæquatum consensûs est licitum, siquidem voluntas in objectum fertur sub ea conditione, sub qua ab intellectu ipsi proponitur; ab intellectu autem objectum proponitur voluntati conditione vestitum, & à malitia præcisum: ergo.

Dixi secluso periculo consensûs in aliquid illicitum, quod tamen periculum rarò aberit; cùm enim voluntas se delectat in hoc objecto, v. g. haberem copulam, si essem in matrimonio, ex delectatione illa rationali simul orietur delectatio in parte sensitiva, quæ uti suprà dictum est, fertur in copulam absolutè, & commovebit spiritus genitales, magísque trahet in consensum: Unde cautè hîc procedendum erit.

R. 2. Delectatio appetitûs sensitivi propriè dicta, seu venerea de objecto re ipsa graviter prohibito, esto apprehendatur sub conditione, quæ si subesset, peccati mortalis malitiam tolleret, peccatum est mortale, uti cum citatis docent alii communiter cum, & apud Tannerum l. c. Rationem varii variè assignant, alii ex Cajetano probant ex eo, quòd, cùm ea conditio nondum sit in re, sed sola cogitatione apprehendatur, delectatio re vera in rem tali conditione destitutam feratur, atque ita in rem, qua ratione est illicita, & mortalis, quia conditionalis nil ponit in esse; delectatio verò absolutè Statim ponitur non expectata conditione; hæc tamen ratio non approbatur à Vasque. l. c. Unde 486

Alii meliùs ex S. Thom probant ex eo, quòd delectatio talis sit, quale est ejus objectum; hîc autem delectatio versatur circa objectum carni delectabile, veluti præsens, & conditione destitutum: ergo cùm de præsenti objectum sub ea conditione non sit licitum operanti, sed mortaliter illi- 487

illicitum, necesse est, etiam ipsam delectationem esse mortaliter illicitam. min. prob. inde, quia actus appetitûs sensitivi semper fertur in copulam præsentem, ut præsentem cum præsenti commotione spirituum genitalium, & ad illam ordinatur, éstque quædam ipsius inchoatio; siquidem imaginativa, ex cujus apprehensione movetur appetitus sensitivus, non potest proponere objectum sub conditione, sed absolutè proponit, ut dictum est suprà; atque adeò ipse appetitus sensitivus, qui non sequitur intellectum, sed phantasiam, ex cujus apprehensione movetur, fertur in idem obiectum conditione destitutum, & in actum præsentem, atque ut talem apprehensum: Unde patet eam delectationem sensitivam non esse de obiecto licito, ut aliqui volunt; quia ea delectatio, cum præsenti commotione non respicit copulam tanquam futuram sub ea conditione, seu tempore matrimonii, sed tanquam præsentem, quæ tunc est illicita. Ex quibus colligitur, si tali sensitiva delectatione Jactantius se se delectavit, eum graviter deliquisse.

488 Ad 2. Q. Jactare se, & laudare de peccato veniali per se peccatum veniale est, & de mortali mortale. Nec refert, sitne peccatum verum, vel falsum, de quo te jactas, quia jactantia eadem esse potest, sive peccatum verum sit, sive falsum. Ita passim DD. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 132. *a.* & 3. Et ratio est, quia jactantia & est complacentia in peccato, & ex illo laudem quærit, continétque peccati approbationem. Illud tamen discrimen est inter jactantiam de peccato verè commisso, & jactantiam falsam de non admisso, quòd in priori casu persæpè duplex peccatum lethale inveniatur, alterum jactantiæ de lethali; alterum gaudii, & complacentiæ de illo admisso: non item in casu posteriori, nisi etiam gaudium, & complacentia accedant, seu nisi se quis delectet in eo cognito, quasi tunc verè admisso; si tamen etiam in priori casu absit gaudium, & complacentia, solùm unicum elationis, & jactantiæ lethale erit. Quòd si in peccato narrato non tibi complaceas, neque ratione illius laudem quæras, sed solùm te jactes de ingenio, dexteritate, arte, virilitate in committendo absque approbatione, & affectu ipsius operis, non erit peccatum mortale, ut tenent Sanch. *l. 1. cap. 3. n. 4.* Less. *l. 2. de just. cap. 47. dub. 6.* Palao *tr. 2. D. 2. pun. 11.* Bonac. & alii, saltem pro casu, quo audientes intelligant, te neque complacere in peccato, nec laudari velle de illo, sed solùm de modo, qui in committendo adfuit; nam si id non intelligunt, peccabis inanis gloriæ peccato, ut notat Palao l. c. siquidem ope-

re saltem externo exultas in rebus pessimis. Et ita præsumendum est contingere, quoties tuus animus in contrarium manifestè non declaratur; sumitur enim præsumptio ex communiter contingentibus, ex *l. nam ad ea, ff. de legib.*

Quòd si tu alium laudes de peccato commisso, vel exprobres, quòd non commiserit, peccabis utique pro gravitate peccati, de quo laudas, vel exprobras, tum quia excitas alium, ut de peccato gaudeat, vel pœniteat non commisisse, excitetúrque ad committendum; tum quia significas, laudem, & honorem ex malefactis esse quærendum, ídque procuras, ut notant Navar. *cap. 23. n. 13.* Cajetan. *V. jactantia*, Palao, Sanch. n. 6. & seqq. ubi simul advertit, aliquando oriri obligationem restitutionis, si alius ex tua jactantia, laude, & exprobratione motus fuit ad damnum aliis inferendum. Peccabis item & quidem graviter, si alius te laudet de peccato, & tu laudem acceptes, tibíque, eò quòd laudaris, complaceas, & congaudeas, quia est jactantia de peccato mortali, ut notat citt. Navar. Quòd si tamen laus displiceat, & solùm præpudore, aut alio respectu taceas, à peccato mortali te excusant Sanch. & Palao, saltem si displicentiam, quam habes in corde, exteriùs manifestes, & nisi in talibus circumstantiis sis constitutus, ut tacendo adstantibus scandalum præberes, quod sæpè contingit, aut facilè contingere potest, tam si te ipsum jactes, & laudes, quàm si laudes alios de peccato commisso. Si autem loquamur de donis naturalibus, nempe ingenio, nobilitate, fortitudine &c. imò & de virtutibus, aut etiam rebus sacris jactantia, & vana gloria de his non excedit peccatum venialè, v. g. ob vanam gloriam Sacramenta administrare, Missam legere &c, ut tenent communiter DD. quia etsi debitus ordo pervertatur, ea tamen perversio non est tanti momenti, nec adeò gravis injuria rebus sacris infertur, ut pœna æterna digna esse censeatur. In aliis verò donis naturalibus res, quæ appetitur de se bona est, scilicet honor, & gloria humana; modus autem appetendi, cùm ponatur non esse conjunctus cum damno tertii, non censetur esse gravis culpa, neque inordinatio gravis: imò in virtutibus poterit aliquando esse absque peccato, si tamen eiusmodi recta æstimatio non propter se, & propter humanam laudem solùm appetatur, sed ut Deo ratione illius meliùs obsequaris, vel alios ad virtutem Stimules, juxta illud Eccles. 41. n. 15. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri.*

Hæc

Hæc tamen limitanda sunt, nisi talis laus & jactantia in damnum tertii cederet; nam si te falsò magnum, & peritum v.g. medicum aut advocatum iactes, unde aliis grave damnum consurgat, peccatum erit mortale, & obligatus eris damnum resarcire, cuius per iniuriam causa extitisti.

489 Ad 3. Q. Prima sententia cum Caietano 2. 2. *q.* 148. *a.* 6. & *q.* 168. *a.* 3. *dub.* 1. affirmat, dicere, vel audire verba turpia peccatum esse in solutis solùm veniale, si nihil aliud intendatur præter delectationem ex ipsis consurgentem.

Secunda arguit absolutè peccati mortalis delectationem de locutione turpium captatam, quamvis nil aliud intendatur. Ita Gerson *2. p. in reg. moral. C. de luxur. alphab. 24.* Graff 1. *p. decis. l. 2. cap. 77. n. 11.* Angel. V. *luxuria.* Tabien, & alii.

Tertia, eáque tenenda, distinguit, & siquidem turpia proferantur ex quadam levitate, non gratiâ delectationis venereæ captandæ, sed ex quadam curiositate, vel vano solatio, docet per se tantùm esse peccatum veniale, cum D. Anton. 2. *p. t. 5. c. 1.* §. 8. Navar. *cap. 16. n. 12. & c. 14. n. 42.* Sanch. *l. 9. D. 46. n. 34.* Fill. *tom. 30. c. 10. q. 3.* aliisque, quia tunc non apparet aliqua gravis inordinatio, nec finis intentus, ex cujus malitia desumenda est culpa, excedit limites culpæ venialis.

Dixi *per se*; nam per accidens poterit esse mortale ratione scandali astantium, ut cùm audientes sunt valdè spiritu debiles, & verba turpia valdè lasciva, utpote quæ ratione sua vehementer fovent venerem, & ad illam excitant.

Si verò turpia dicantur ob notabilem rei turpis delectationem cogitatæ, quæ delectatio cogitatione excitatur, & verbis illis fovetur, affirmat peccatum esse lethale; quia illa delectatio consurgens ex re turpi apprehensa, est mortalis: ergo à fortiori illam verbis fovere, ac promovere. Idem affirmat de turpibus gestibus, turpiúmpue auditione, cùm intenditur delectatio consurgens ex rebus ipsis turpibus cogitatis, quæ auditione illa, aut gestibus fovetur; secùs esse duntaxat culpam venialem. Unde

Infertur 1. Componentes, aut repræsentantes comœdias, quæ res valdè turpes, & ad venerem excitantes continent; mortaliter peccare, quia sunt multis causa ruinæ, uti notant. citt. D. cùm moraliter certum sit, multos inde ad peccatum incitandos. Quin imò & Magistratum, qui permittit exhiberi

hiberi ejusmodi turpes Comœdias, peccare mortaliter docet *Hurt.* præsertim si, ut ait Bald. auctoritatem illis præstent, vel foveant; Spectatio tamen Comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, litteræ, & dona amatoria, si tantùm fiant ex curiositate, vel vano solatio, non esse mortalia docent Sanch. Fill. La Croix, aliique; secùs tamen si fiant vel animo inhonesto, sive venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum.

Infertur 2. Idem dicendum esse de pingentibus turpia, & turpiter expressa, incitantia ad libidinem; quia & isti sunt ruina proximi.

Infertur 3. Legentes libros turpes, & tractantes de obscœnis amoribus ob solam vanam curiositatem, aut vanum solatium, peccare duntaxat venialiter, ut cum aliis tradit Sanch. l. c. mortaliter verò delinquere, si intendatur delectatio venerea consurgens ex ipsis rebus turpibus, & lascivis apprehensis.

CASUS LXXXIV.

De delectatione copulæ tempore matrimonii habitæ, vel habendæ, & resistentia pravorum naturæ motuum.

PImperlinus mortua uxore relictus viduus sæpè morosè delectatur de copula habita tempore matrimonii, vel etiam de futura conjugali, insurgentibus non nunquam pravis naturæ motibus, quorum delectationem non reprimit, sed negativè se habens eam permittit citra consensum.

QUÆR. I. An licita sit viduis delectatio de copula tempore matrimonii habita?

QUÆR. II. An sponsis de futuro liceat delectatio captata ex futuræ copulæ conjugalis cogitatione?

QUÆR.

QUÆR. III. *An, & quale peccatum sit, si quis in motibus venereis ita negativè se habeat. ut neque consentiat, neque positivè resistat, sed quasi permissivè se habeat ?*

490 AD 1. Q. Videtur affirmativè respondendum ex his rationibus, Primò, quia ejusdem bonitatis & malitiæ est operatio, & ejus delectatio, teste Aristotil. *l. 10. Et hic. cap. 3. & cap. 5.* sed operatio, quam delectatio habet pro objecto, licita est: ergo & delectatio.

2. Quia conjugibus licitum est, delectari de copula tunc habita, quia delectantur de objecto bono, sed idem est objectum etiam tunc cùm vidui sunt: ergo licet de eodem delectari; quia diversitas temporum speciem moralem non variat, si in objectis non sit variatio.

3. Quia delectari de copula est copulam approbare, & de illa gaudere; sed gaudium, & approbatio licita est: ergo licita est & delectatio. Ita sentire videntur Sylvest. *V. delectatio. q. 3.* Medina *q. 74. a. 3. dub. 2.* Cajetan. *V. delectatio* Palud. & alii.

491 Nihilominus dicendum est, peccare mortaliter viduos admittentes delectationem veneream, ac sensitivam ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonii. Ita Vasq. *D. 114. c. 2.* Salas *D. 6, S. 30.* Navar. *cap. 16. n. 6.* Bonac. *q. 4. de matr. pun. 8. n. 13.* Sanch. *l. 9. D. 47. n. 7.* Azor. *l. 4. c. 6. q. 7.* Palao *tr. 2. D. 2. p. 10. §. 2.* Less. *l. 4. c. 3. dub. 15. n. 120.* Tanner. *D. 4. q. 8. dub. 7.* Cordub. Lop. Vega, aliique. Ratio est, quia talis delectatio non sumit suam bonitatem, vel malitiam ab objecto præterito, quod bonum quidem est, sed ex oppositione, quam de præsenti habet cum virtute castitatis, eò quòd de præsenti excitet, & commoveat spiritus subservientes generationi, & pollutionis præsentis initium sit; actus quippe appetitus sensitivi semper fertur in copulam præsentem, ut præsentem cum præsenti commotione, & ad illam ordinatur, éstque quædam ipsius inchoatio, ut dictum est suprà: atqui copula præsens solis conjugatis licita est: ergo. Unde

Ad rationes in contrarium R. ad 1. ejusdem quidem bonitatis, vel malitiæ esse delectationem cum operatione, quam habet pro objecto: at objectum delectationis non est copula præterita, ut præterita, sed quatenus vi apprehensionis modò fit præsens, & quasi modò sit exercita, quæ cùm de præsenti illicita sit, illicita quoque est ejus delectatio, quæ, licèt sit de copula licita, causat tamen illicitam

citam de præsenti. Ad id, quod additur, verum quidem est, quòd differentia temporum non variet speciem moralem; at ipsa delectatio non respicit copulam ut præteritam, sed ut præsentem, ut dictum est.

Ad 2. Negatur, conjugibus ideò duntaxat licitum esse delectari de copula tunc habita, quia delectantur de objecto bono, sed quia delectationes non sunt eis tunc prohibitæ; cùm enim eis licita tunc sit ipsa copula, licita esse debet causa illius, quæ ratio non pugnat pro viduis.

Ad 3. Negatur pariter delectari de copula esse formaliter copulam approbare, aut de illa utcunque gaudere, nam in omni sententia licitum est viduæ, gaudere, quòd debitum marito reddiderit, quia hic actus totam suam bonitatem, & malitiam sumit per ordinem ad objectum, sicut actus desiderii & voluntatis efficacis; delectatio verò inefficax appetitûs sensitivi, cùm non respiciat objectum, ut præteritum, sed suo modo abstrahat ab illo, ejus malitia, & bonitas non per ordinem ad objectum, ex quo originem sumpsit, sed ex effectu, quem causat, desumenda est; cùm autem delectatio de copula licita causet illicitam, quia causat copulam de præsenti, quæ illicita est, delectatio quoque illicita erit.

Ad 2. Q. Non nulli cum Medina 1. 2. q. 74. a. 8. dub. 3. Victor, Zumel & aliis opinantur, non peccare sponsum, saltem graviter, qui delectatur in appetitu sensitivo in cogitatione copulæ tempore matrimonii habendæ, dumodo absit periculum pollutionis, & consensûs in aliquod peccatum mortale. Probant iisdem ferè rationibus suprà indicatis in opinione priori. Primò, quia ea delectatio est de objecto licito; talis autem est delectatio, quale est objectum. 2. Quia ideò licet conjugibus delectatio appetitûs sensitivi consurgens ex cognitione copulæ præteritæ, aut futuræ, quia est delectatio de copula licita. 3. Quia licitum est tibi delectari de distributione pecuniæ alienæ pro tempore, quo tua est futura: vel sub conditione, si esset tua: ergo à pari. 492

Verùm tenendum est oppositum, & dicendum, id minimè licere sponsis de futuro, sed peccatum lethale esse, captare delectationem appetitûs sensitivi in copula futura habenda tempore conjugii. Ratio suprà est indicata, quia actus appetitûs sensitivi semper fertur in copulam præsentem, ut præsentem cum præsente commotione spirituum genitalium, &

ad

ad illam ordinatur, éſtque quædam illius inchoatio. Quæ proin delectatio non ſumit ſuam bonitatem, vel malitiam ex objecto tempore matrimonii, quod quidem bonum eſt, ſed ex oppoſitione, quam de præſenti habet, cum virtute caſtitatis, ut dictum eſt.

Et Confirm. quia ſicut externa delectatio venerea, quam conſtans matrimonium minimè honeſtat, eſt lethalis; ita interna, quæ ejusdem eſt rationis; ejus quippe malitia, aut bonitas æſtimanda non eſt ex copula futura, ſed ex præſenti, ad quam tendit, & cujus eſt inchoatio. Unde

Ad fundamenta contraria R. ad 1. patet reſponſio ex dictis, eam ſcilicet delectationem non eſſe de objecto licito, quia ea delectatio ſenſitiva cum præſenti comotione non reſpicit copulam tanquam futuram, ſed tanquam præſentem, quæ tunc eſt illicita.

Ad 2. Colligitur iterum reſponſio ex dictis, ſcilicet, conjugibus licitam eſſe copulam præſentem, quam delectatio illa reſpicit, & ideò eis licitam eſſe etiam delectationem; ſecùs ſe res habet in ſponſis de futuro.

Ad 3. R. aliquas eſſe res, quæ habent deformitatem ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam delectant, dum abſens eſt condi-

tio, ut ſunt venereæ, quia talis delectatio tendit ad concubitum præſentem; hoc autem non contingit in aliis rebus non habentibus ejusmodi deformitatem ſecundùm rationem, quâ delectant, qualis etiam eſt diſtributio pecuniæ alienæ ſub ea conditione, auferente omnem malitiam ab objecto.

Ad 3. Q. Nota voluntatem 493
dupliciter conſentire poſſe delectationi appetitûs ſenſitivi, ſeu pravis naturæ motibus. Primò illos expreſſè appetendo, & in illis ſe ſe delectando, & de hac voluntate nemo dubitat, peccatum eſſe mortale. Secundò conſentire poſſe tacitè, & virtualiter quatenus non reprimit, neque coërcet, cùm poſſit; & de hac voluntate controvertitur, an ſufficiat, ut pravi motus appetitûs ſenſitivi ſint peccata mortalia, ſi non reprimantur poſitivè, ſeu ſi voluntas neque reprimat, neque acceptet delectationem, ſed negativè ſolùm ſe habeat eos permittendo, ſecluſo etiam conſenſu in delectationem. Ubi

Prima ſententia affirmat, niſi 494
juſta cauſa excuſet, culpam eſſe lethalem, etiam ceſſante conſenſûs periculo, ſi ejusmodi turpes motus non reprimantur poſitivè, ſaltem per actum ſimplicis diſplicentiæ, qui quamvis ſit inefficax ad impediendam dele-

ctationem', saltem sit certò efficax ad cohibendam voluntatem, ne in illam delectationem consentiat. Ita Vasq. 1. 2. D. 108. c. 2. D. Anton. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 5. Medina q. 74. a. 5. & 6. Sayrus l. 8. cap. 7. Petr. Ledesm. 2. p. Summ. c. 27. Cordub. l. 1. c. 23. dub. 11. Less. l. 4. c. 3. n. 117. Azor tom. 1. l. 4. c. 6. q. 7. & c. 21. q. 5. Arriag. d. 46. n. 26. Amicus D. 17. n. 284. Platel. n. 236. Tanner. D. 4. q. 8. dub. 4. Valentia 1. 2. D. 6. q. 4. p. 3. dicens communiter receptam. Rationem dant, quia voluntas tenetur regere appetitum sensitivum, & omnes alias potentias, ne pugnent contra rationem, saltem quando absque magna difficultate potest, cùm sit domina, & Regina potentiarum constituta: ergo cùm tales pravi motus appetitûs sensitivi sint deordinatio quædam contra rectam rationem, si se, non opponat resistendo, non satisfacit suæ obligationi, cúmque sit materia gravis, graviter delinquet. 2. Quia si voluntas in ejusmodi motus expressè consentiret, juxta omnes peccaret graviter: ergo etiam peccabit, si virtualiter consentiat, quia consensus tacitus, & expressus pro eodem reputantur, ex l. *de de quibus, ff. de legibus, & l. cùm quid, ff. si certum petatur.* Unde omittere resistentiam, & displicentiam circa tales motus esset, inquit Oviedo *t. 6. controv. 4. p. 3.* æquivalenter velle illos, quod utique est mortale. Accedit quòd vix distingui possit, an voluntas se negativè habeat, anue positivè consentiat; nam cùm appetitus secum trahat voluntatem, difficilè est discernere, consentiente appetitu, voluntatem non consentire; delectatio enim sensûs in voluntatem derivatur, sicut cognitio sensûs in intellectum, atque ita per quamdam consensionem cum illo delectetur, ut adeò nunquam, vel rarò accidat, voluntatem se negativè habere, dum appetitus sensitivus delectatur.

3. Quia velle hos motus, & delectationes inde consurgentes ideò est peccatum lethale, quia hæ delectationes sunt initium, & causa pollutionis, vel coitûs: atqui sive causa apponatur expressè, sive tantùm interpretativè, eodem modo sunt initium, & causa pollutionis, vel coitûs: ergo eodem modo erunt peccata; cùm consensus interpretativus sit verus consensus.

Secunda sententia docet per se loquendo non peccare mortaliter voluntatem, quæ non reprimit hos turpes motus, sed merè negativè se habet, illos permit-

mittendo, dummodo is, qui illos patitur, experiatur in se tam firmum non consentiendi propositum, ut periculo consensûs minimè exponatur, & idcircò eos reprimere non curet.

Ita sentiunt complures cum Cajetano 1. 2. q. 74. a. 3. & in Sum. V. delectatio, Navar. c. 11. n. 9. & c. 16. n. 9. Soto in 4. d. 12. q. 1. a. 7. Adrian. in 4. q. 5. Armill. V. cogitatio, Conrad. q. 74. a. 4. Tolet. Gorson, Graff. Angl. aliique, quorum sententiam communiorem vocat Sanch. l. 1. c. 2. n. 13. & probabiliorem Palao tr. 2. D. 2. §. 5. n. 3. Ratio potissima hujus sententiæ est, quia cùm ejusmodi motus ob corruptionem naturæ facillimè, & frequentissimè oriantur naturaliter, ita ut omnes coërcere sit impossibile, aliquos difficillimùm, non est credendum de divina bonitate salutem æternam hominum his periculis exposuisse, quibus esset exposita, si, cùm natura sit in malum proclivis, tenerentur homines non solùm non admittere hos motus, sed eos naturaliter subortos etiam reprimere, & coërcere sub gravi obligatione. 2. Quia non tenemur ejusmodi motus præcavere sub gravi obligatione, aliàs peccaret mortaliter, qui non evitat causas, ex quibus cognoscit ejusmodi motus pravos insurgere; si enim postquam excitati sunt, tenemur illos sub tanta obligatione reprimere, & coërcere, à fortiori tenebimur sub eadem obligatione impedire, ne excitentur. Atque adeò tenebitur quis sub mortali fœminam v. g. non alloqui, non aspicere, aliáque similia omittere, quæ etiam juxta Patronos sententiæ oppositæ vel bona sunt, vel solùm venialia.

Unde ad argumenta contrariæ sententiæ respondent.

Ad primum, satis esse appetitum ita gubernari à voluntate, ut ipsa in ejus actus inordinatos non consentiat.

Ad 2. Admittunt quidem idem esse judicium taciti, & expressi in contractibus propter præsumptum consensum; negant autem in peccatis; nunquam enim licet tibi aliorum peccata velle; licet tamen quandoque illa non impedire, & Deus peccata permittit, non tamen illa vult. Quare consensus hic tacitus, qui solum est permissio, non est propriè dicendus consensus voluntatis; cùm hæc, quantum est de se, illos non velit; neque consensus virtualis, aut interpretativus, quia hìc consensûs colligitur ex animo formali, qui tamen est non consentiendi.

Ad 3. Concedunt, velle hos turpes motus, illósque procu-

rare, peccatum esse mortale, quia initium sunt, & causa pollutionis; negant tamen eos permittere esse mortale, quia aliud est velle causam pollutionis, aliud illam à natura provenientem permittere; qui enim permittit causam pollutionis à natura provenientem, non dicitur illius causa: at qui illam vult, causa illius est.

495 Hæc ultima sententia quatenus negat, peccatum esse mortale non resistere, speculativè loquendo videtur probabilior; practicè tamen tenenda est opposita, uti notat etiam Sanch. quando post plenam deliberationem nullus actus contrarius est in voluntate, nec quidem displicentiæ talis, quæ licèt sit inefficax ad reprimendum appetitum, sit tamen efficax ad cohibendum liberum voluntatis consensum; tum quia aliàs voluntas ferè semper exponetur proximo periculo consensûs; vel pollutionis; non enim usque adeò homo voluntati prædominatur, ut absque omni periculo circa objectum rectè cognitum, & vehementer alliciens, omnem actum suspendere valeat, quamdiu appetitus delectatione afficitur: Tum quia quando quis potest facilè resistere positivè (v. g. convertendo cogitationes ad aliud objectum, aut magis attendendo ad id, quod agit, aut actum displicentiæ eliciendo &c.) qui id facere omittit, convincitur non illibenter habere tales motus, essetque de se nimia fiducia, & præsumptio, inquit Sanch. l. c. credere tunc non adesse formale periculum consentiendi in delectationem, ac proinde, Deo in superbiæ pœnam id permittente, certior lapsus sperari possit. Tum denique quia oppositæ sententia aperit viam magnæ libertati conscientiarum, & animarum periculis; quàm enim facilè est, ut quisque sibi persuadeat nullum adesse periculum peculiare consentiendi positivè, quando minimè abest. Aque adeò etiam ex eo in praxi tenenda est sententia, quæ aliquam requirit resistentiam, quòd etiam plerique ex adversariis dicant, tunc non resistere peccatum esse veniale, ut videre est apud Palaum l. c. & Sanch. & quamvis materia hîc sit de se gravis, attamen non resistere positivè habet uti levis negligentia circa illam, vel tepidè resistere tentationi.

Notat autem hîc Bonæ-spei cum aliis *d. 10. n. 26.* si ejusmodi motus sint leves, meliùs esse contemnere sine positiva resistentia, & facere id, quod aliàs fecisset, quia tunc non est facile periculum consensûs, & communiter magis crescunt ejusmodi motus, si adhibeatur reflexa resistentia,

tia, quia ubi major est sollicitudo, imaginatio magis defigitur in tali objecto, per imaginationem autem maximè augentur.

Dixi suprà absque rationabili & justa causa; nam si ob causam necessariam, vel utilem tibi aut alteri non reprimis ejusmodi motus, quales sunt audire confessiones, legere, & Studere, equitare, timor incidendi in turpiores delectationes, vehementioris, ac urgentioris tentationis &c. nullum peccatum committis, modò absit periculum consensûs, ut notant Azor, Salas, Sanch. Palao, Vasque & alii citati.

CASUS LXXXV.

De pollutione nocturna in vigilia reprimenda &c.

FAbronius nobilis vir comedens quosdam cibos calidos, & certo situ accumbens in lecto incidit non nunquam in pollutionem in somnis, quam, dum evigilat, non reprimit, sed permittit, Non nunquam de ea in somnis habita etiam gaudet, aut eam in somno evenientem desiderat.

QUÆR. I. An pollutio, quæ incipit in somnis, sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda?

QUÆR. II. An Fabronius abstinere debeat ab ejusmodi cibis, & taliter accumbendi situm mutare?

QUÆR. III. An peccatum mortale sit desiderare pollutionem in somnis, & de ea in somnis habita gaudere?

496 AD 1. Q. An pollutio in somnis cœpta sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda? Respondet Toletus *l. 5. cap. 13.* cùm pollutio incipit in somnis, ita ut effusio seminis partim fiat in somno, partim in vigilia, peccatum esse veniale, si homo habeat aliquem rationis usum, & potestatem se cohibendi, saltem im-

perfectam, & non plenam, & eam non reprimat; mortale verò esse, si plenam habeat se cohibendi facultatem.

Negativam sententiam docent de la Crux *in direct. p. p. præc. 6. a. 8. dub. 10. Concl. 2.* Diana *part. 3. tr. 5. R. 21.* Fill. *tr. 30. cap. 8. n. 147.* Platel. *de pecc. n. 224.* La Croix *l. 3. p. 1. dub. 4.* Eman. Sà *V. luxuria n. 10.* ubi sic ait: cœptam in somno pollutionem non tenetur evigilans reprimere, sufficit enim non placere. Sic ille. Et ratio est; quia cùm talis pollutio inceperit in somnis sine peccato, & involuntariè, illius effusio est effectus naturalis illius causæ inculpabilis: ergo poterit permittere, ut natura se exoneret, cùm id non sit procurare, sed pati, ut effluat id, quod aliàs corruptum sanitatem læderet, dummodo patiens certus sit de non præstando consensu, nec eam voluntariè promoveat. Quo in sensu sententiam hanc admittit etiam Fagund. *præc. 3. l. 3. c. 6. n. 11.* Nec alio in sensu reor eam docuisse citt. DD. & alii; Tolet. verò videtur loqui de pollutione nocturna, quæ in causa, vel effectu culpabilis est, ut colligi potest ex subjunctis hisce verbis: Quamvis autem non sit in se peccatum ista nocturna pollutio, tamen in antecedentibus ipsam, quod alii dicunt in causa, potest esse peccatum, & in subsequentibus, seu in effectu. Ita ille.

Consulendum tamen est, ut in similibus casibus eliciatur positiva displicentia ob periculum, quod subest, consensûs, saltem in delectationem, ut cum aliis notat Sanch. l. c. idque Studiosi puritatis factitare consueverunt. Quod si quis expergefactus non tantùm non eliciat positivam aliquam displicentiam, sed pollutionem in somnis inceptam promoveat addendo conatum, aut protrudendo ultimas ejus reliquias, à mortali peccato non excusabitur, quia tunc non permittit tantùm, sed positivè illam continuat.

Ad 2. Q. An Fabronius abstinere debeat ab ejusmodi cibis? 497
Negativè respondent Jo. Sanc. *in sel. d. 21. n. 22. & 23.* Diana *l. c. R. 22.* Less. *l. 4. c. 3. dub. 54. n. 100. & 101.* de la Crux l. c. *dub. 9.* Villalob. *t. 2. tr. 40. dub. 16.* La Croix *l. 3. p. 1. dub. 4.* Ills. *t. 4. d. 1. n. 72.* citans Sanch. Pal. Laym. & alios, dummodo bona fide procedatur, & absit periculum consensûs, nec ullo modo intendatur oblectatio in illam. Rationem dant, quia qui utitur jure suo, quod habet ad ponendam actionem honestam, & licitam, illi non imputatur ad peccatum, quod per accidens sequitur; non enim tenetur quis vitare

re causam remotam, & per accidens influentem in pollutionem, dummodo absit periculum consensûs; cujusmodi causæ remotæ, & per accidens influentes sunt esus, & potus calidorum, equitatio, certus & commodus situs cubandi in lecto &c. nam esus v. g. calidorum per se tantùm tendit ad roborandum corpus per augmentum sanguinis, & spirituum animalium, ex quorum vigore, vel abundantia oritur quandoque pollutio, quod per accidens est tali pollutioni, & talis causa alium habet honestum, & utilem finem prævalentem illi periculo remoto pollutionis.

Quando ergo actio, ex qua prævidetur pollutio, per se, & suapte natura non ordinatur ad illam, sed alium habet finem honestum, utilem, aut necessarium etiam ex intentatione operantis, nullum esse peccatum (præciso periculo consensûs) talem actionem ponere, vel continuare, docent ex D. Aug. S. Th. & communi DD. Sanch. *de Matr. l. 9. d. 45.* Tanner. *d. 4. q. 8. n. 81.* La Croix, & alii, quamvis præter intentionem, & per accidens pollutio prævideatur inde naturaliter oritura. Hinc non obstante periculo pollutionis licitum esse audire confessiones mulierum, Studere casibus conscientiæ, se ipsum ex necessitate tangere, fœminas cum necessitate cautè alloqui, aut osculari juxta morem patriæ, quando id sine gravi offensione, & inurbanitatis nota omitti non potest; si tamen periculum esset consensûs in delectationem, quando scilicet quis experientiam habet consentiendi, eò quòd sæpiùs in simili occasione lapsus sit, tunc utique abstinendum esset à tali actione, quamvis ex se honesta, & licita.

Quod si actio, ex qua tanquam causa, pollutio sequetur, per se turpis sit, & illicita, ac ex natura sua ordinata ad rem veneream, ut sunt actus luxurioſi, tactus, aspectus, lectio, & locutio turpis, amplexus, oscula, quæ propter voluptatem fiunt, tunc peccatum mortale esse ab illis non abstinere, seu causam pollutionis scienter, & voluntariè præbere, tradunt Navar. *cap. 16. n. 6.* Sanch. *l. c. Concl. 1.* Cajetan. V. *pollutio.* Laym. *l. 3. S. 4. de temper. n. 15.* Arriag. *d. 46.* Mendo *d. 5. q. 2.* & alii; quia consentiens in talem actionem moraliter in effectum consentire censetur; perindéque esse censetur sive effectus procedat ex natura, & necessitate operis voluntariè exerciti, sive fiat ex intentione operantis; nam *expliciti, & impliciti eadem est vis;* Et sicuti qui multum vini bibit, ex quo scit naturaliter sequi ebrietatem, is implicitè censetur velle ebrius fieri. licet explicitè non intendat; ita pariter qui actum impudi-

pudicum exercet, ex quo spectata corporis sui constitutione prævidet pollutionem per se, ac naturaliter secuturam, implicitè censetur velle pollutionem, quamvis eam explicitè non intendat.

498 Ad 3. Q. An peccatum mortale sit desiderare pollutionem in somnis, & de ea in somnis habita gaudere? Communior sententia cum Navar. *l. c. n. 7. 8. & 9.* Sylvest *v. pollutio.* Toleto l. c. Vasq. 1. 2. *q. 74. a. 8. D. 115.* Sanch. *l. 1. c. 2. n. 18.* Palao *tr. 2. D. 2. p. 10. §. 2. n. 10.* Less. *l. 4. c. 3. dub. 14. n. 105.* Tanner. *D. 4. q. 8. n. 145.* Basil. Platel. Spor. La Croix l. c. contra Sotum, Ledesm. Metin. Manuel. Cordub. affirmat, licitum esse affectu simplici, & inefficaci desiderare pollutionem in somnis naturaliter evenientem, aut de ea in somnis ita habita gaudere, non quidem de ea secundùm se, sed ob effectum bonum inde secutum, v. g. ob corporis sanitatem, aut ad sedandas carnis tentationes, quibus interdiu affligitur. Rationem dant, quia cùm talis pollutio via naturali proveniat, nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, uti subjectus est actus fornicationis, sed est evacuatio quædam naturalis corporis, sicut Sudor, aut alia excrementa superflua. Ut adeò non dicant licere eam desiderare, aut de ea gaudere, eò quòd in somnis accidat, & ob id â culpa libereris, quia eadem ratio militaret etiam pro homicidio & fornicatione ita admissis, sed eò quòd naturaliter eveniat instar aliarum naturalium evacuationum, & ob effectum bonum, seu potius de effectu post eam secuto; qua ratione Ecclesia gaudet de Adæ peccato, cùm dicit: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Neque inferas, si licèt pollutionem ita desiderare, licere eam etiam procurare; nam non quid quid licet desiderare, licet etiam efficere, ut benè notat Palao l. c. quia alio modo tendit desiderium in objectum, ac tendit operatio; sic desiderare potest Clericus, ut latrones, & patriæ proditores interficiantur, non tamen potest illos interficere, quia non desiderat interfici à se, sed ab alio. Sic si Gubernator Reipublicæ eam pessimè administret cum plurimorum ruina, fas est tibi communis boni causâ simplici affectu optare, ut moriatur, uti ait Laym. l. c. aut eo mortuo gaudere, cùm tamen ei mortem procurare tibi non liceat.

Quæ hactenus dicta sunt, intelligi debent de gaudio & desiderio simplici, quod est potiùs speculativum, quàm practicum, seu quod non est conjunctum cum

cùm periculo consensûs in pollutionem, neque causa delectationis appetitûs sensitivi cum prava commotione spirituum vitalium; nam pollutionem simplici affectu optare, vel de ea naturaliter orta gaudere propter voluptatem, peccatum est mortale delectationis morosæ, ut docent S. Anton. *p. 2. tit. 6. cap. 5.* Sanch, Laym. Navar. Adrian. Azor, & alii.

Porrò cautè hîc procedendum est, omníque modo consulendum, ut ab ejusmodi desideriis abstineatur ob periculum consensûs in carnis delectationem: Unde rectè monet, & notat Gerson *part. 2. oper. tract. de pollut. prop.* 12. ejusmodi simplex desiderium, aut gaudium de pollutione naturaliter proveniente, quia v. g. ad sanitatem conducere videtur, esse indicium hominis necdum castitatis perfectionem assecuti; Viri enim perfecti, & castitatis amantes ob puritatis amorem, & timorem periculi consentiendi in carnis delectationem, quàm maximè abhorrent ab omni, quamvis naturaliter proveniente, carnis impuritate, & immunditia.

CASUS LXXXVI.

De valore voti castitatis emissi à proclivi in lapsum carnis, ejúsque commutatione.

ROsina, quamvis ob graves carnis Stimulos arbitretur, utiliorem sibi fore Statum conjugalem, nihilominus rata se posse, has, quas patitur, tentationes superare, emittit votum simplex castitatis; sed, cùm postea animadvertat, se tentationibus sæpiùs succumbere, & votum violare, ejus commutationem à suo Confessario instanter petit ad effectum matrimonii contrahendi, qui proin illud commutat in jejunia, Confessiones, & communiones, ac preces quotidianas; quo facto matrimonium contrahit cum Titio, sed vix anno elapso moritur Titius maritus.

QUÆR. I. An validum sit votum castitatis emissum ab eo, qui gravibus carnis stimulis identidem vexatur?

QUÆR. II. An validum sit votum ineundi matrimonium, editum ab eo, qui ob graves carnis tentationes in perpetuo periculo versatur graviter labendi?

QUÆR. III. An Rosina, mortuo marito, & redeunte voti obligatione, teneatur exequi commutationem illam à Confessario factam?

QUÆR. IV. An, & quale peccatum sit pœnitere de voto facto?

499 AD 1. Q. Tale castitatis votum invalidum, & nullum esse, censent Quintannadu. *tr. 9. sing. 12.* Bonac. *to. 2. d. 4. q. 2. p. 1. n. 21. 26.* Homobonus *Volum. 1. p. 2. resp. 28.* quare Moia valde probabilem dicit *in select. qq. to. 1. tr. 2. q. 1. §. 1.* allegans Ledesm. aliósque Leander apud Dian. *p. 10. tr. 11. Resol. 47.* Purghab. *cent. 1. cas. 66.* aliique. Rationem dant; quia votum debet esse de meliori bono: atqui votum, de quo hîc est sermo, consideratis omnibus non est de meliori bono; hoc ipso, quòd tali homini voventi melius ac salubrius sit matrimonium, quàm abstinentia ab illo.

Contrà verò tale castitatis votum validum esse, docent Sanch. *l. 4. in Decal. c. 8. n. 10.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 8. n. 14.* Valent. *D. 6. q. 6.* Pontius *de matr. l. 6. cap. 12.* Suarez *de Relig. l. 4. c. 19.* Dian. *tr. 11. R. 47.* aliique communiter apud Gobat *tr. 10. Cas. 10.* Et Sanch. l. c. Ratio est; quia homini proclivi in peccata carnis matrimonium non est melius absolutè, & simpliciter, sed solùm sub conditione & ex suppositio, quòd uti nolit oratione, pœnitentiis, aliis remediis Deo gratioribus & acceptioribus ad vincendas tentationes: ergo si proclivis in carnis peccata, suámque fragilitatem agnoscens votum castitatis emittat, validè se obligat ad non contrahendum matrimonium, & quia sine aliis mediis castè vivere nequit, per consequens obligat se ad alia media adhibenda, quibus si utatur, cum Dei auxilio votum servare poterit. 2. Quia, cùm depravata cupiditas facilè plurimos fallat, falsò putantes, non posse se continere, plurima insignia opera meritoria,

ritoria, & Ecclesiæ utilissima aliàs impedirentur.

500 Ex hisce duabus sententiis prior est valde probabilis. Posterior communior, ac probabilior, & in praxi consulenda, petendáque dispensatio, si emittentes talia vota, contrahere velint, prout notat etiam Trullech. adversarius *l. 2. c. 2. dub. 5.* cum aliis, idque ut ait Bonac. l. c. ad varia incommoda, & fraudes cavendas.

501 Ad 2. Q. Notandum est, matrimonium ex se, & ordinariè, nisi aliis vestiatur circumstantiis, non esse materiam voti, ut constat ex Apostolo 1. *ad cor. 7.* & Trident. *Sess. 24. Can. 10.* quia Status continentiæ matrimonio oppostus melior, ac beatior est, si quidem animum à curis sæcularibus, & carnis voluptatibus liberum, magisque expeditum reddit ad serviendum Domino Deo; votum autem est promissio melioris boni, teste S. Thom. 2. 2. *q. 88. a. 2. corp. fin.* quem omnes sequuntur. Dixi ex se, & nisi aliis circumstantiis vestiatur; nam 1. excipitur casus, quo ex tali matrimonio sperarentur utilitas maxima totius Reipublicæ; quia v. g. ex eo pendet pax inter Christianos Principes, hæreticorum, aut infidelium conversio, vel Catholicæ Religionis conservatio in aliquo Regno &c. quia tunc utilius esset ad Dei honorem matrimonium inire. 2. Excipitur casus, quo matrimonium esset in præcepto, ut si vovens sine gravi injuria, aut gravi infamatione sponsæ, & liberorum ex ea susceptorum, à sponsalibus recedere non posset, quia tunc præstantius est matrimonium, cùm sit sub præcepto. An autem validum sit votum, contrahendi matrimonium, quando vovens illud assumit in remedium concupiscentiæ, eò quòd se nimis fragilem, & ad lapsum pronum experiatur, dubium est, & controversum inter DD. ubi

Multi, præsertim neoterici, cum Soto *l. 7. de Just. q. 1. a. 3.* & Aragon. 2. 2. *q. 88. a. 2. fol. 982. col. 2.* censent tale votum, à proclivi in carnis lapsum editum, irritum, & nullum esse. Movntur. 1. Quia illicitum est uti matrimonio vitandæ fornicationis gratiâ, teste D. Th. *4. d. 31. q. 2. ad 2.* eò quòd matrimonium non sit ad hoc institutum: ergo dirigere matrimonium ad hunc finem est peccaminosum, & per consequens votum de ineundo matrimonio ob hunc finem, irritum erit. 2. Quia obligare se voto ad superandas tentationes, ex una parte est spiritui sancto viam præcludere, ne perfectiora, & efficaciora media inspiret ad eum finem consequendum; ex altera parte ita vovens reddit se impotentem in perpetuum ad continentiæ, & Religionis Statum, cùm

tamen tentationes illæ ceſſare poſſint. 3. Quia non obſtante voto de matrimonio ineundo, licitum eſt taliter voventi ingredi Religionem: ergo tale votum irritum eſt, & minimè obligatorium.

502 Alii è contrà complures cum Cajetano 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. *dub. ult.* Navar. *Sum. c.* 12. *n.* 43. Molin. *to.* 1. *de Juſt. tr.* 2. *D.* 149. Bellarm. *l.* 2. *de Monach. c.* 14. Suarez *l.* 2. *de voto, cap.* 9. Sanch. *l.* 1. *de matr. D.* 4. *n.* 7. Azor *l.* 11. *c* 14. *q.* 9. aliíſque affirmant, votum matrimonii contrahendi ab ejusmodi homine ad peccandum prono editum, validum eſſe, & obligatorium. Ratio eſt. 1. Quia ducere uxorem homini ad Venerem proclivi melius eſt, & conſulendum juxta illud D. Pauli 1. ad Cor. 7. *melius eſt nubere, quàm uri:* ergo tale votum, tanquam de meliori bono, validum, & firmum erit. 2. Quia quid gratius Deo ſit, & ad ejus honorem, non eſt deſumendum & judicandum ex eo, quòd aliquid in univerſali, & in ſe conſideratum, præſtantius, & melius ſit, ſed quid hîc & nunc præſtet, & melius ſit relatè ad ipſum voventem, cùm actus humani ex circumſtantiis adjunctis bonitatem, aut malitiam ſortiantur: atqui huic homini attentis omnibus circumſtantiis melius eſt uxorem ducere: ergo validum erit votum.

Conf. quia quilibet doctus, & prudens Confeſſarius, ut ait Sanch. citt. attenta fragilitate talis hominis, lapſuúmque frequentiâ obligaret eum ad id, niſi Religionem eligeret, etiamſi votum non emiſiſſet: ergo multò magis voto emiſſo. Unde ad fundamenta contrariæ ſententiæ ſatis probabilis.

Reſpondent. Ad 1. peccatum eſſe uti matrimonio ad vitandam fornicationem, quando alia via facilè vitari poteſt; ſecùs quando difficile eſſet, & arduum, uti in caſu præſenti. Ad 2. R. quamvis votum matrimonii ex ſe majora bona impediat; ſecùs tamen eſt in hoc homine, & ſpectatis præſentibus circumſtantiis. Nec obeſt, quòd per hoc impotens efficiatur ad ſtatum continentiæ; nam hoc eſt illi præſtantius, & hîc & nunc melius. Ad 3. N. conſq. nam & ſponſalia, & matrimonium ratum, & votum perpetuò ſerviendi Xenodochio valida ſunt, quamvis iis non obſtantibus licitum ſit Religionem profiteri.

Et hæc ſententia probabilior 503
eſt ſententiâ priore, majorique nititur authoritate.

Præplacet tamen opinio Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 5. Palai *de oblig. voti D. 1. pun. 8.* Coninck *tom.* 2. *D.* 22.

22. *dub.* 10. Laym. l. c. qui sub distinctione respondent, ajúntque votum ineundi matrimonium, editum ab homine fragili, & in lapsum carnis propenso, non esse quidem validum absolutè loquendo, & simpliciter, quia talis potest adhibere alia remedia gratiora, & sufficientia ad vivendum in Cœlibatu, qui est Status melior, & perfectior Statu matrimoniali; valere autem sub conditione & suppositione, quòd in tali peccandi Statu perseveret, & nolit adhibere alia media ad castè vivendum extrà matrimonium. Si quidem matrimonium eâ solùm ratione tali homini utilius esse potest, quàm Cœlibatus, quatenus est medium ad tentationes vincendas, & lapsûs cavendos: atqui non est unicum medium, cùm sint plura Divinæ voluntati gratiora, & acceptiora media, quæ potest adhibere: ergo si illis uti vult, non obligatur medium matrimonii assumere; adeóque solùm obligari potest casu, quo nolit uti aliis mediis; quæ proin est solùm quædam conditionalis obligatio, quam pro sua voluntate potest infringere; non enim talis, qui vovet matrimonium, tenetur juxta hanc sententiam absolutè adhibere alia media ad castè vivendum conducentia, sed potest matrimoniúm adhibere: & hinc votum de matrimonio ineundo ex hypothesi, quòd vovens aliis mediis uti nolit, valebit. Unde neque Apostolus absolutè dixit melius esse nubere, quàm uri; sed ex hypothesi; *si se non continent, nubant: melius est enim nubere quàm uri.*

Ad 3. Q. An redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ, eò quòd non integrè, sed in parte facta sit, seu in ordine duntaxat ad aliquem effectum, v. g. ad contrahendum matrimonium, extinguatur obligatio materiæ subrogatæ? respondet Sanch. *l.* 4. *Sum. cap.* 55. *n.* 21. Non extingui loquendo de commutatione hujusmodi voti castitatis, secùs in in aliis commutationibus temporaneis. 504

Rationem depromit ex tenore litterarum, quibus Pontifex Confessario facultatem concedit ad hæc vota dispensanda, ubi ait: dispensando commutes in frequentiam Sacramentalis Confessionis, singulis scilicet mensibus, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera à te injungenda, inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut adimplens meminisse semper possit obligationis, quâ ejusmodi voto astringebatur: atqui hujusmodi vocabula *singulis mensibus, quotidie, semper* important, inquit Sanch. quamdam perpetuitatem: ergo ex mente Pontificis sunt opera pietatis perpetuò peragenda;

da; si enim Pontifex vellet subrogationem materiæ non fore perpetuam, sed extingui revivíscente voto, id exprimeret, sicut expressit voti dispensationem extingui dissoluto matrimonio.

505 Verùm quamquam sententia hæc secura sit, & consulenda, opposita tamen, quam tenet Palao *l. c. D. 2. p. 18.* probabilior videtur. Ratio est; quia hæc exceptio voti castitatis nullo sufficiente fundamento probatur; cùm enim regula generalis & recepta sit, ut voto principali redeunte pereat subrogatum, debuisset hæc voti castitatis commutatio clarè & manifestè excipi à regula generali; hoc autem non fit; nam per illa verba *singulis mensibus, quotidiè, semper* id non exprimitur, sed potiùs contrarium colligi videtur; optimè enim vocabula illa explicantur de tempore, quo non redit votum; quamdiu enim votum non redit, æquum est, ut illa pietatis opera exerceat quotidie, ut sic semper, id est, continuò recordetur obligationis voti, quâ obstringebatur. Imò ex prælatis illis verbis potiùs contrarium arguitur; nam si menstrua Confessio, & quotidiana piorum operum exercitatio ad eum finem imponitur, ut memoriam haberet obligationis voti, quâ tenebatur, si dispensatio perit, & votum redit, cessat finis hujus impositionis, & obligationis; cùm ipsummet votum, quod redit, sufficientem sui memoriam excitet. Unde solvitur fundamentum contrariæ opinionis; satis enim Pontifex expressit commutationem non duraturam amplius, quàm duraret dispensatio facta solùm ad quemdam effectum; nam cùm contrarium non expresserit, censendus est naturam commutationis, & subrogationis noluisse mutare, & deflectere à regula generali. Quod

Conf. ex eo, quòd juxta communissimam DD. quando votum commutatur in rem minorem, licitum sit voventi omissâ materiâ subrogatâ redire ad priorem promissam, quia in favorem ventis fit hæc subrogatio: atqui quando votum castitatis commutatur in Confessionem menstruam, & alia quotidiana opera pietatis, commutatur in rem minorem: ergo.

Ad 4. Q. Pœnitere de voto 506
facto per se loquendo nullam continere culpam, censent Suarez *l. 5. de vot. cap. 7. n. 4. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 4. cap. 4.* & alii, saltem si tristitia, & pœnitentia efficax non sit, sed conjuncta cum firmo proposito exequendi votum; quia talis pœnitentia, & voti displicentia non versatur circa

ca objectum malum; nam sicut ab initio potuit homo non vovere, sic post votum factum potest optare, seu nolle vovisse; quia utriusque actûs est idem objectum: ergo ex parte objecti pœnitentia, & dolor de voto edito nullam malitiam continet; ex parte finis verò potest actus honestari, si cognoscas votum tibi fore damnosum. Palao tamen citt. D. 1. p. 21. cum aliis affirmat, regulariter dolere de voto facto peccatum esse veniale. Tum quia hic dolor aliquo modo infirmat propositum voti exequendi. Tum quia retrahit hominem à via perfectionis assumpta. Tum denique quia frequenter habetur ex proprio amore, quô vult onera, & obligationes utiles, & sanctas excutere, ac proinde ex fine non licito. Imò si ejusmodi actus doloris, & pœnitudinis conjunctus sit cum periculo prævaricandi, seu non exequendi promissum, etiam culpa mortali non vacabit, ut notat hîc Cajetan. a. 6. Dolere tamen de voto ob transgressiones factas, non tantùm culpa carebit, sed etiam actus virtuosus esse poterit, cùm sit actus doloris non tam de voto, quàm de ejus transgressione.



CA-

CASUS LXXXVII.

De voto castitatis, ejúsque dispensatione, & irritatione.

MArtinus in juventute votum castitatis emisit, quod etiam juramentô firmavit. Verùm cùm modò non modicas difficultates experiatur servandæ castitatis, cupiens inire matrimonium, dispensationem voti à Pontifice petit, nulla facta mentione juramenti, qua obtenta matrimonium contrahit cum Rosina pariter voto castitatis obstricta, sed ignorato à Martino.

QUÆR. I. An potestas delegata dispensandi in votis, vel ea commutandi se extendat etiam ad vota juramentô firmata, & an dispensatio voti à Martino, tacito juramento, petita, & obtenta subreptitia sit, & nulla?

QUÆR. II. An, & qualiter votum simplex castitatis ante matrimonium emissum, matrimonium, ejúsque usum impediat?

QUÆR. III. An maritus irritare possit votum simplex castitatis ab uxore ante initum matrimonium emissum, aut constante matrimonio editum, & quænam alia?

507 AD 1. Q. Membr. 1. respondent non nulli cum Soto *l. 8. de Just. q. 1. a. 8.* negativè; quia votum, & juramentum sunt duo vincula; duo autem vincula sunt unô fortiora, *C. 1. de treg. & pace:* Unde & S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. *ad* 1. ait juramentum addi voto, ut per duas res immobiles major firmitas habeatur. Ergo privilegium concessum ad dispensandum in votis non extenditur etiam ad juramentum, cùm facultas dispensandi sit odiosa, & strictæ interpretationis.

Alii cum Emm. Sà *V. votum n.* 16. docent habentem potestatem dispen-

dispensandi, vel commutandi vota posse etiam dispensare, vel commutare juramenta soli Deo præstita seu vota juramentô firmata. Moventur, quia dispositum in uno æquiparatorum censetur dispositum in altero, *l. Tantùm ff de servo corrup. l. si quis servo Cod. de furtis, Gl. C. si postquam Verb. Confirmatione de elect. in 6.* Atqui quoad hæc privilegia hujusmodi juramenta,& vota æquiparantur, eò quòd obligatio ex virtute Religionis tam voti, quàm juramenti soli Deo præstiti tantùm Deo acquiratur, tanquam Creditori; adeoque facultas concessa ad vota, etiam ad hæc juramenta extendetur, perindéque tunc esset, ac si idem votum repeteretur: atqui si idem votum tantùm repeteretur, potens dispensare, aut commuttare vota, posset utique etiam tale votum repetitum commutare, eò quòd sæpiùs repetitum nullam novam obligationem induceret, sed solam pristinam confirmaret, ut notat Azor *lib. 11. inst. mor. c. 14. q. 1.*

508 Sed meliùs, veriúsque alii cum Sanch. l. 8. D. 2. sub distinctione respondent, concedúntque privilegium commutandi, aut relaxandi vota extendi etiam ad vota juramentô firmata, quando juramentum præstatur ad voti emissi confirmationem; secùs si juramentum præstetur non in voti confirmationem,sed independenter ab illo. Ratio prioris partis est,quòd ad dispensandum in iis juramentis, illave commutanda nullâ opus sit facultate circa ipsa juramenta directè, sed satis sit facultas circa votum in eis virtute incluſum, quo sublato per dispensationem, aut eo commutato consequenter, & quasi per accidens destruitur, vel commutatur juramentum, utpote quod tanquam accessorium innitebatur illi promissioni, seu voto, tanquam fundamento, sive suo principali, quo proin principali, seu voti vinculo per dispensationem sublato, cessat juramentum, seu accessorium. Ratio posterioris partis est, quia, si juramentum non præstatur ad votum confirmandum, sed independenter ab illo, tunc sunt duo vincula diversæ speciei, nec unum pendet ab alio, unde sublato voti vinculo, non tollitur hoc ipso vinculum juramenti, sed manet, cùm duo vincula fortiora sint uno solo, quod privilegium duntaxat concedit.

509 Ad 1. Q. Membr. 2. R dispensationem voti à Martino, tacito juramento, petitam, & obtentam non subreptitiam, sed validam esse. Ratio colligitur ex suprà dictis, quia, cùm juramentum illud superadditum fuerit voto ad illud confirmandum, solum votum tunc indiget dispensatione, cóque sublato cessat juramentum, tanquam accessorium, quod corruit cessan-

cessante suo principali; Nec taciturnitas juramenti, quod etiam habet in se inclusam promissionem, versatur circa dispensationis substantialia. Aliud tamen est, quando juramentum, non in voti confirmationem, sed independenter ab illo emissum est, tunc enim ad vitandam dispensationis subreptionem necesse foret, utriusque vinculi mentionem facere orationes pro prima opinione relatas, quia cùm sint duo diversa vincula, utrumque dispensatione indiget, nec dispensatio, cùm sit odiosa, & Stricti juris, extenditur ad separabilia, qualia sunt votum, & juramentum; nec ipsa intentio dispensantis se ad vinculum extendit, quod verè ignoratur.

510 Ad 2. Q. R. votum simplex castitatis emissum ante initum matrimonium, illud quidem impedire, ne licitè ineatur, non tamen illud irritare. Patet id ex *C. Consuluit*, *C. Rursus qui Clerici*, *vel vovent*, *C. unico de voto in 6.* atque adeò licèt Ecclesia matrimonia ita contracta irritare potuisset, non tamen id fecit, sed valida esse declaravit. Et ratio ulterior est; quia votum simplex castitatis non corporis traditionem, sed solam promissionem importat, manente vero dominio apud voventem; promissionis autem natura ea est, ut impediat licitam translationem dominii rei promissæ in alterum, utpote quæ adversatur fidei alteri præstitæ, non tamen illam irritam reddit, utpote quæ facta est à vero Domino. Matrimonium tamen illicitè initur, ita ut non tantùm votô obstrictus graviter peccet, sed etiam scienter contrahens cum habente votum castitatis, utpote qui alterius peccato cooperatur, éstque Socius, & particeps illius. Imò cùm votum illud sit impedimentum matrimonii, quod necessariò debet inter duos consistere, utrumque contrahentem afficit, tenetúrque uterque ab eo ineundo abstinere.

Ad usum matrimonii quod attinet, qualiter nempe votum ante initum matrimonium emissum usum illum impediat? 511

R. Cum communi DD. consummato jam semel matrimonio obligari conjugem voto obstrictum petenti debitum reddere. Ratio est, quia non obstante voto verum corporis sui dominium transtulit in alterum conjugem, qui proin per tale matrimonium, ut ut Sacrilegum, verum in alterius corpus dominium, & jus ad debitum petendum acquisivit: Cùm autem major sit obligatio matrimonii, per quam fit hæc actualis corporum traditio, & dominii translatio, quàm sit voti simplicis, quod meram importat promissionem, ideò non obstante voto, petenti reddere tenetur.

An

An autem etiam debiti petitio licita sit conjugi voto astricto, non æquè liquet, sed controversum est. Non pauci cum Gloss. *C. fin. 27. q. 1.* Cardinal *cap. Rursus citt.* Alex. de Nevo ibi n. 22. Jo. Andr. n. 6. Anchar. n. 2. Gerson 2. *part. in regul. mor. tract. de matr. alphab. 25. littera I.* Angelo *matrim. 3. impedim. 5. n. 3.* Veracrux 1. *p. specul. a. 15. concl. 2.* Matienzo n. 151. aliísque, præsertim antiquioribus, teste D. Bonavent. *dist. 38. a. 2. q. 2.* asserunt, posse conjugem voto simplici castitatis obstrictum, ubi semel matrimonium consummavit, deinceps debitum petere, perinde acsi non vovisset. Rationem dant. 1. Quia consummato semel matrimonio non ampliùs potest vovens continentiam, quam promiserat, servare: ergo sicut non obstante voto non solùm potest, sed tenetur reddere, poterit etiam petere; cùm non minùs unum, quàm alterum adversetur castitatis voto.

2. Quia votum non obligat ultra voventis intentionem; voventis autem intentio non fuit servare castitatem in matrimonio, sed extra illud: ideóque inito, & consummato matrimonio petere poterit. 3. Quia major difficultas superveniens voto liberat voventem ab ejus obligatione: in posito autem casu supervenit, major difficultas, quia inito matrimonio longè difficilius est castitatem servare ob mutuam thori cohabitationem, sicque vovens maximo graviter peccandi periculo expositus erit, & matrimonium redderetur onerosum alteri conjugi, qui solus semper petere cogeretur. Et hanc sententiam ait citt. Alex de Nevo esse fortè veriorem, & æquiorem, quamvis petenda sit dispensatio, eò, quòd opposita sententia sit communis DD. ita ille; Angelus verò citt dicit, non minùs veram esse, quàm oppositam sententiam, quam non esse improbabilem censent Enm. Sà *Summ. Verb. debitum conjugal.* & Vega 2. *tom. c. 129. Cas. 118. & Cas. 51.*

Verùm tenendum, dicendúmque est, Conjugem ita voto ligatum toties mortaliter delinquere, quoties debitum petit sine legitima dispensatione. Ita D. Thom. *4. d. 38. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad 4.* D. Bonav. *a. 2. q. 1. in fin. & dist. 32. in princ.* Albert. Magnus *4. dist. 38. a 15.* Cajetan. *Summ. Verb. Matrimonium cap. ult.* Paludan *q. 3. a. 5.* Durand. *d. 15. q. 11. n. 12.* Tolet *l. 4. Summ. cap. 18.* Sotus *4. dist. 38. q. 2. a. 1. Concl. 3.* dicens oppositam sententiam esse improbabilem. Valentia 2. 2. *Disp. 6. quæst. 6. de voto, p. 4.* Sanch. *l. 9. D. 33.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3.* Emm. Sà l. c. Sylvest. *V. debitum q. 9.* Abb. 1. c. n. 6. Prap. n. 6. Nav. *Summ. 16. n. 30.* Covar. 512

4. *decret. 2. part. cap.* 3. §. 1. Scotus *4. dist.* 38. §. *consimiliter*, Adrian. Ledesm. uterque, Rosell. Tabien. aliique quàm plurimi, tum ex Theolog. tum ex Jurisperitis. Ratio communissimæ hodie sententiæ est; quia vovens castitatem simpliciter obligat se ad abstinendum ab omni actu venereo, & idcircò tale votum, imitatur naturam præcepti negativi, ejúsque obligationem includit, quod semper, & pro semper obligat, in quantum servari potest: atqui potest hîc servari à conjuge votum castitatis habente, abstinendo scilicet à debiti petitione; ergo. ac proinde licèt contracto jam matrimonio teneatur vovens reddere ratione vinculi fortioris, non tamen petere poterit, cùm id liberum sibi sit, nec ad id per se loquendo constringatur ; lege matrimonii, prout tamen constringitur ad reddendum petenti, & jure suo, cui per votum præjudicari non potuit, uti volenti, saltem post primum Bimestre.

Conf. ex *cap. quidam de convers. conjug.* ubi dicitur, eum, qui renitente uxore professus est, quamvis professio fuerit irrita, obligari ad votum castitatis in ea professione emissum, in quantum se potuit obligare, nimirum ad non exigendum debitum, quod in ejus potestate erat; non reddere autem non erat in ejus, sed in mulieris potestate: ergo & alius voto castitatis ligatus tenebitur non petere, cùm id sit in ejus libera potestate, & votum, quantum potest, servare. Unde

Ad rationes in contrarium adductas R. ad 1. talem conjugem, quamvis continentiam integrè servare non possit; teneri tamen ad partem sibi possibilem, & quantum potest; potest autem servare quoad debiti petitionem, cùm id sit in ipsius libera potestate, nec petere teneatur. Ergo.

Ad 2. N. min. quia vovens absolutè castitatem obligat se ad omnem sibi possibilem castitatem, & abstinentiam ab omni actu venereo, sive petendo, sive reddendo, & licèt etiam reddendo agat contra votum, id materialiter duntaxat se habet, cùm excusetur à culpa formali ob majus matrimonii vinculum, vi cujus juri alterius acquisito satisfacere tenetur.

Ad 3. R. difficultatem majorem extrinsecam, & quæ in objecto ipsius voti non includitur, excusare ab ejus obligatione; non item excusare difficultatem intrinsecam, & formaliter in ipsius voti objecto inclusam, qualis est abstinere ab omni actu venereo possibili respectu voti continentiæ; Nec refert, quòd ma-

matrimonium sic aliquantulum onerosum redderetur, nam ipse sui oneris, si quod est, in culpa fuit, & onus hoc facilè tollere potest petendo dispensationem, per quam & periculo peccandi, si quod foret, obviare poterit, eámque sine recursu ad Pontificem, & sine incommodo impetrare à Religiosis privilegio hac in parte dispensandi gaudentibus; quales sunt Religiosi mendicantes approbati ab Ordinario, & à suis Provincialibus ad hoc munus deputati, quibus à diversis Pontificibus, Julio II. Eugenio IV. Pio V. Martino V. &c. concessum est, ut in foro conscientiæ dispensare possint ad petendum debitum cum iis conjugibus, qui inter se affinitatem contraxerunt, ex adulterio scilicet cum alterius conjugis consanguinea commisso, atque cum iis, qui ante initum matrimonium castitatem voverant. Accedit, quòd ut notat Suarez l. 6. c. 4. n. 7. si onerosum sit marito semper petere, ídque ægrè ferat ita, ut ob eam causam minuatur amor, & discordia excitetur, dici possit, cessare pro tunc voti obligationem quoad debiti petitionem, ne sit majoris boni impleditiva.

513 Ad 1. Memb. Q. 3. R. cum communi DD. contra Joan de Friburgo *Summ. Confess. l. 1. tit. 8. q. 35.* non posse maritùm irritare votum castitatis ab uxore ante matrimonium emissum; esto alia uxoris vota saltem sibi præjudicantia, & non realia, juxta complurium sententiam irritare possit. Ratio est; quia tale castitatis votum continet obligationem non exercendi actum venereum, sive reddendo, sive petendo, sed abstinendi à petitione, & redditione, venereísque delectationibus: at qua parte continet abstinentiam à debiti redditione, non indiget irritatione; quia ad hunc effectum extendi non potest ob alterius præjudicium, cùm fortiori matrimonii vinculo constringatur reddere. Qua parte verò continet obligationem abstinendi à petitione debiti, votum firmum est, & à viro irritari nequit; tum quia, ut notat Suarez *tom. 3. de Relig. l. 9. c. 8.* Secundùm hanc partem marito non præjudicat; tum quia materia petendi non est viro subjecta, ita ut prohibere possit, aut præcipere debiti petitionem, sed mulier quoad hoc libera est, & sui juris, nec actus liber, quo mulier eam sibi obligationem imposuit, est sub viri dominio, ac potestate, cùm jam sit Deo consecratus, & quando fuit elicitus, non potuerit à viro prohiberi, ne eliceretur. Et hanc sententiam amplectitur etiam Sanch. l. c. D. 39. quoad votum ante matrimonium editum, licèt contrarium teneat quoad votum post matrimonium emissum, eò quòd tunc voluntas uxoris sit viro subjecta. Ex dictis collig. ex voto castitatis ante matrimonium edito tripli-

cem emanare effectum, ut notant S. Bonav. Sylv. Palud. Cajet. Perez, Sotus, Navar. Sanch. aliique. 1. Si conjux voto ligatus cum alia fornicetur, reum esse ultra adulterium Sacrilegæ violationis voti.

2. Teneri sub mortali abstinere à debiti petitione. 3. Altero conjuge defuncto teneri omninò castitatem servare, quia tunc jam cessavit fortius matrimonii vinculum, quod cogebat debitum reddere; vel, si velit ad secundas nuptias transire, petere dispensationem.

514 Ad 2. Membr. Q. 3. Complurium DD. sententia cum Soto *l.* 7. *q.* 3. *a.* 1. Abb. *in C. scripturæ n. 8. de vot.* Palud. *in 4. dist. 38. q. 3. a.* 1. *Concl. 6.* Emm. Sà *V. voti irritatio, n.* 1. Sanch. *l. 9. D. 39.* Rosell. *V. votum, n. 8.* Manuel, Ant. Gomez, Vega, Arrag. &c. affirmat, posse, maritum omnia vota uxoris constante matrimonio emissa irritare, atque adeò etiam votum castitatis, seu non petendi debitum. Moventur. 1. ex *cap. 30. Numer.* ubi textus eodem modo loquitur de voto uxoris, ac de voto puellæ existentis in domo paterna.

2. Ratione; quia uxor ex primæva matrimonii institutione subjecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia subjecta est Christo, ad *Ephes. 5.* ergo omnes ejus actiones viro subjectæ sunt. 3. Quia vir est caput mulieris, & uxor est sub viri potestate, *Gen. 3.* omnes autem actiones corporis capiti subduntur, ab eóque gubernantur: unde fit, ut viri sit dirigere, & gubernare voluntatem uxoris, ne imprudenter voveat, sítque ita consultum levitati, & inconstantiæ mulierum in vovendo: ideóque vir dominium, vel quasi dominium habet in uxoris voluntatem, & non tantùm in materiam promissam. Et quamvis quoad actum conjugalem vir, & uxor pares sint, at in cæteris vir est caput mulieris, exigítque mutuus amor, & pax, ut mulier plenè in omnibus sit viro subjecta, neque velle, neque nolle habeat, nisi secundùm viri beneplacitum: ac proinde poterit omnia ejus vota irritare, sicut Prælatus vota sui Religiosi, & pater vota filii impuberis. Et huic sententiæ favet etiam S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 8. *ad* 3.

Alii è contra quàm plurimi cum Navar. *cap. 12. n. 64.* Palao *D. 2. de vot. pun. 6.* Less. *l. 2. cap. 40, dub. 15.* Suarez. *l. 6. de voto c. 4. & l. 3. cap. 6.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7.* Valent. *2. 2. D. 88. & Disp. 6. q. 6. n. 6.* Azor. *l. 11. c. 17. q. 12.* Sylvest. *V. votum, 5. q. 1.* Bonacin. *D. 4. q. 2. p. 7. §. 2.* Cajet. *V. votum*, uterque Ledesm. Durand, Palud. Lop. &c. cen-

censent, sola ea vota uxoris posse maritum irritare, quæ usui matrimonii, educationi prolis, & gubernationi domesticæ præjudicant. Ratio est; quia ex nullo jure neque naturali neque positivo efficaciter colligitur, mulierem subjectam esse viro simpliciter, & in omnibus actionibus personalibus alioquin liberis, & quæ usum matrimonii, educationem prolis, & domesticam gubernationem non impediunt, sed solùm eatenus, quatenus vinculum matrimonii exigit, ut alter alteri conjugi conjugii jura tribuat, & in vitæ Societate, liberorum educatione, ac familiæ administratione mulier viro tanquam capiti subjecta existat; hæc enim subjectio oritur ex ipso matrimonii contractu, ac proinde commensurari debet fini ipsius matrimonii: atqui plures sunt actiones, quæ prædicto fini non officiunt, nempe observatio divinorum præceptorum, moderata pœnitentia, brevis oratio, S. communio, eleemosyna ex propriis bonis &c. quibus nec juri conjugali nec domesticæ gubernationi ullum præjudicium affertur: ergo ad hæc facienda absoluta libertate poterit uxor se voto firmiter obstringere.

515 Ex his duabus sententiis satis probabilibus, præplacet posterior; cùm ejusmodi uxoris subjectio, sive dependentia voluntatis nullo jure videatur esse satis fundata, non naturali, aut gentium (quo modo voluntas filii impuberis subditur voluntati sui patris) quia in mulieribus longè major rationis discretio reperitur, quàm in impuberibus, alioquin etiam ipsæ, si uxoratæ non sint, subjiciendæ forent tutoribus. Neque in jure positivo, cum nullum ex Stet; Neque ex mutuo conjugii pacto, & vinculo; quia illud tantùm se extendit ad corporis usum, & familiæ administrationem, ut dictum est suprà.

Neque argumenta in contrarium allata id evincunt.

Ad 1. enim ex illo *cap.* 30. *Nem.* desumptum, R. legem illam esse cæremonialem, latámque pro illo populo, ac proinde cessâsse, unáque cum aliis ejusmodi abolitam esse. Dein ibi fit tantùm mentio eorum votorum, quibus corpus uxoris affligitur, ac proin quæ marito jus in corpus uxoris habenti præjudicium aliquod afferunt: unde *vota abstinentiæ* appellabantur, ut indicat S. August. q. 59.

Ad 2. Exratione depromptum, R. tantam illam subjectionem ex nullo jure sufficienter probari; satísque esse, si uxor subjecta sit viro in omnibus, quæ ad usum con-

conjugii, & domûs gubernationem attinent, non in aliis: imò in usu matrimonii æquè vir subditus est uxori, ac uxor viro, cùm in hoc sint pares, *C. Gaudemus de divort. C. si quis uxorem, 32. q. 1.* ac proinde sola ea vota, quæ domûs gubernationi, & usui matrimonii præjudicant, poterit maritus irritare.

Ad 3. Idem R. naturali autem levitati, & indiscretioni, qua mulieres solent se votis implicare, sufficienter provisum est, si maritus potestatem habeat irritandi earum vota, quæ domûs gubernationi, & juri matrimonii præjudicant. Nec alia subjectio necessaria esse videtur ad pacem, mutuúmque amorem conjugum, etsi maritus non habeat potestatem omnia uxoris vota irritandi; quamquam & alia ejusmodi vota uxoris poterunt desinere obligare, si maritus contradicat, & iniquo animo ferat; non quòd mariti contradicentis auctoritate irrita reddantur, sed quòd majus tunc pacis bonum impediant, ut suprà ex Suarez notavimus; ac proin postea sublato impedimento, seu soluto matrimonio, reviviscere, cùm non fuerint legitimè, ac propriè irritata, sed duntaxat suspensa.

Ex hactenus dictis etiam patet, juxta hanc secundam probabiliorem sententiam non posse maritum irritare votum uxoris non petendi debitum constante matrimonio emissum; quia hoc votum quoad petitionem debiti non præjudicat marito, nec materia petendi illi subjecta est, ita ut prohibere, vel præcipere possit debiti petitionem, ut suprà dictum est; cùm mulier in hoc sit libera, & sui juris, nec per se loquendo petere teneatur.

CA-

CASUS LXXXVIII.

De potestate Abbatissarum erga suas subditas, & de earum Confessario, & participatione privilegiorum &c.

ROsalia Monialis Professa febre maligna laborans Ambrosium Confessarium, qui nec Ordinarius, neque Extraordinarius tunc erat, suppliciter ab Abbatisa vocari petiit, utpote cui, antehac aliàs Ordinario, tota ejus conscientia perspecta esset. Præterea votum emisit, si periculum evaderet, se nullos imposterùm arborum fructus comesturam. Paulò pòst convaluit, & ut securior, ac remotior esset à periculo votum transgrediendi, petiit ab Abbatissa, ut sub obedientia sibi præciperet, ne tempore Autumnali sola in hortum exiret.

QUÆR. I. An Abbatissa, aut Prioriss a possit aliquid suis monialibus præcipere in virtute S. obedientiæ?

QUÆR. II. An Abbatissa, vel Prioriss a possit suarum moniallum vota irritare, aut in iis dispensare?

QUÆR. III. An possit Episcopus concedere Moniali in mortis periculo constitutæ aliquem Confessarium Regularem, quem illa petit, ut loco Ordinarii Confessarii ei Sacramenta administret, & morienti assistat. Et an Abbatissa tempore Jubilæi possit eligere pro se, & alius Monialibus Confessarium ante hac quidem ordinarium, sed tunc specialiter non approbatum ab Episcopo?

QUÆR. IV. An Moniales uti possint privilegiis concessis Viris Religiosis sui Ordinis?

516 AD 1. Q. Teneri Moniales in conscientia obedire Abbatissæ, vel Priorissæ, cui subsunt, constat ex *cap. dilecta 12. de major. & obedient.* Habet itaque Abbatissa potestatem regendi suum Monasterium in iis, quæ pertinent ad directionem, & correctionem Conventûs, potéstque suis Monialibus præcipere, quid quid expediens esse judicaverit ad rectam sui Monasterii temporalem, seu politicam gubernationem, hoc ipso, quòd ab ipsa Religione constituta sit gubernatrix Monasterii, & hanc gubernationem convenienter præstare nequeat absque jurisdictione; atque adeò potest Abbatissa sub virtute voti obligare suas Moniales ad exequenda, quæ aliàs ex jurisdictione temporali, & politica præcipere potest, hoc ipso, quòd votum emissum fuerit de obedientia Abbatissæ præstanda in iis saltem, in quibus ipsa habet jurisdictionem; An autem vi voti non solùm præcipere possit supradicta, quatenus rectæ domûs gubernationi congruunt, sed etiam quatenus congruunt spirituali cujuscunque profectui, seu an præcepta Spiritualia imponere possit, iisque ea, quæ ad profectum Spiritualem, & animæ salutem spectant, præcipere, Controversum est inter DD. Non posse Abbatissam imponere spiritualia præcepta, quæ vim legis, & præcepti habeant, ut possunt Prælati Ecclesiastici, & consequenter non posse præcipere in virtute S. obedientiæ, tradunt Sanch. *tom. 2. Sum. lib. 6. c. 1.* Portellus *in dub. Regul. verb. Abbatissa, n. 1.* Sayrus *in clavi Regia l. 5. c. 10.* Ledesm. Ugolin. Baldellus, alíque apud, & cum Diana *part. 5. tr. 9. R. 16.* qui hanc sententiam probabiliorem pronuntiat. Ratio est; quia Abbatissa non habet potestatem spiritualem in Moniales, sed tantùm potestatem domesticam, & politicam, sicut habet Materfamilias: Unde sicut filiæ tenentur obedire Matri, & filii parentibus, ita tenentur Moniales obedire suæ Priorissæ, sive Abbatissæ, peccabúntque ejus præceptis non obtemperantes circa ea, quæ ad domesticam, & communem Monasterii pacem, & disciplinam conducunt, mortaliter, vel venialiter juxta gravitatem, vel levitatem materiæ præceptæ. Verùm

517 Contrarium, ídque probabiliùs, censent Suarez *t. 3. de Relig. l. 10. c. 11. in fin. n. 20.* Palao *tr. 16. D. 4. pun. 2. n. 3.* Lezana *tom. 1. c. 26. n. 10.* Passerinus *tom. 1. de Stat. q. 186. a. 8. n. 89. & seqq.* Azor. Con. alíque, docentes, posse Abbatissas seu Priorissas Monialibus sibi subjectis spiritualia præcepta, & ad finem spiritualem imponere, eáque omnia præcipere, quæ juxta Regulas, & constitutiones observare Moniales tenentur. Ratio est, 1. Quia prima

ma sententia docens Moniales vovere obedientiam Abbatissæ & negans omnem ipsi potestatem spiritualem, non satis convenienter loquitur, siquidem potestas, quæ est ex vi voti, non politica duntaxat, sed spiritualis esse debet; Abbatissa enim non est, veluti Pater, aut Mater, cujus potestas dominativa fundatur in subjectione naturali filii in impubertate constituti, sed fundatur in sacra traditione Monialis per votum facta ipsi Abbatissæ, eáque potestas pro objecto habet cultum divinum in directione Monialis; atque adeò habere Abbatissas, seu Prioriſſas potestatem aliquo modo spiritualem; quamvis jurisdictionem propriè dictam non habeant, cùm potestatis clavium, à qua illa descendit, de jure communi sint incapaces.

Confirmatur ex eo, quòd negari non possit, te posse voto simpli obligari fœminæ, vel lajco obedire in iis, quæ ipsi judicaverint ad tuum spiritualem profectum convenire, tametsi ex hoc voto nullam spiritualem jurisdictionem obtineant, quæ enim in hac obligatione est repugnantia, aut indecentia? ut arguit citt. Palao: ergo pari modo possunt Moniales vovere obedientiam Abbatissæ in iis, quæ convenientia fuerint juxta Religionis constitutiones earum spirituali profectui; adeóque credendum est, ea intentione votum emissum esse; cùm id sit Religioni congruentius, & ne aliàs meritum obedientiæ ex voto Monialibus auferatur. Certè si Abbatissa solùm præcipere potest ex voto, quæ rectæ domûs gubernationi conducunt, & in ordine ad hunc finem, sequitur, Moniales, quibus præcipit, ne absque ejus licentia litteras mittant, aut recipiant, vel ne cum externis colloquantur, &c. omninò vel saltem non nisi leviter peccaturas, si sæpè occultè, & absque ulla domûs perturbatione, & opinionis diminutione, hæc faciant, quia cessat finis, ob quem præceptum impositum est. Ex quo tamen Religiosa disciplina, & observantia regularis non parùm labefactaretur: ergo dicendum est, Abbatissam ex voto præcipere posse Monialibus, quæ eo titulo Prælatus localis potest suis subditis, & jurisdictionem spiritualem propriè dictam non requirunt.

Porrò licèt Abbatissæ & Prioriſſæ ex delegatione Prælatorum Ecclesiæ aliquando usum quemdam, seu exercitium jurisdictionis spiritualis habeant in Moniales, & Clericos sibi subjectos, ita ut istos in Beneficiis pleno jure sibi subjectis instituere, eósque ab his, & Moniales à suis officiis suspendere quotammodo possint, ut constat ex citt. *C. dilecta 12.* Suspensio tamen hæc non est propriè dicta, hoc ipso, quòd Abbatissa censuras

ferre nequeat, sed latè sumitur, & impropriè, pro simplici scilicet præcepto, ne celebrent, & muneris sui actus exerceant; ut colligitur ex *C. dilecta* citt. ubi ejusmodi suspensiones *salutaria monita*, & *mandata* vocantur.

Neque illa Clericorum institutio est propriè dicta seu authoritativa, per quam scilicet hujusmodi Clericis conferatur animarum cura, cùm hanc nequeat dare Abbatissa, sed est tantùm collatio tituli, & possessionis.

518 Ad 2. Q. respondet Palao *tr. 15. D. 2. pun. 8.* cum Azorio & aliis, Abbatissam ea sola Monialium suarum vota irritare posse, quæ domesticæ gubernationi obesse possunt; quia licet per votum obedientiæ Moniales Abbatissis, & Prioriss suis non minùs subjiciantur, quàm Abbatibus, & cæteris Superioribus suis subjiciuntur cæteri Religiosi; nullam tamen aliam in Moniales suas potestatem habent, nisi domesticam, & politicam & in ordine ad temporale bonum domûs, & familiæ hoc ipso, quòd careant jurisdictione Ecclesiastica; ergo solùm irritare poterunt ea vota, quæ gubernationem domesticam concernunt. Huic probabili sententiæ favent etiam Wisin. *tit. 34. de voto n. 8.* & Schmalzgr. hîc §. 3. *n. 86.*

519 Nihilominus probabilior videtur, & doctrinæ in primo Q. traditæ conformior aliorum sententia, qui Abbatissis, & Prioriss eam potestatem in ordine ad irritanda vota concedunt, quam habent Prælati comparatione Religiosorum, quam sententiam tradunt, ac tuentur Suarez *l. 6. c. 7. in fin.* Sayr. *in Clav. Regia l. 6. c. 10.* Less. *l. 2. c. 40. dub. 18.* Sanch. *tom. 1. p. 2. l. 4. c. 33.* Bonacin. *de præcept. Decal. D. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. n. 25. vers. Addo quartò.* Lezana *tom. 1. p. 1. c. 16.* aliique. Ratio est 1. quia quamvis Abbatissa, seu Prioriss nequeat dispensare in votis Monialium eò, quòd careat jurisdictione Ecclesiastica, non tamen sequitur, eas non posse vota irritare; quia irritare vota non pertinet ad Ecclesiasticam Authoritatem, sed directè spectat ad potestatem dominativam, seu quasi dominativam; Unde non minorem potestatem habere debet Abbatissa in actus Monialium, quàm mater tutrix impuberum. 2. Quia votum Obedientiæ ipsi emittitur, sicut aliis Prælatis, vi cujus potestatem habet præcipiendi, & Moniales vi illius pendere debent ex ipsius nutu, & voluntate; ut adeò sufficiat hîc ratio obedientiæ Religiosæ ad impediendam firmitatem voti, sicuti ratione subjectionis, & obedientiæ sufficit in Religioso, qui idcircò sine superioris sui consensu nihil firmiter vovere potest, quin ab isto revocari valeat. Accedit, quòd Abbatissæ, & Priorissæ possint Monialibus sibi subjectis, spiritualia præ-

præcepta, & ad finem spiritualem imponere, eáque præcipere, quæ secundùm Religionis Constitutiones directioni, & spirituali profectui Monialium conveniunt, ut patet ex dictis ad primum Q. ut adeò earum potestas non sit duntaxat domestica, & politica: Unde non videntur satis convenienter loqui, qui priorem doctrinam admittunt, & respuunt hanc posteriorem. Dispensare tamen cum Monialibus Novitiis, vel professis non possunt Abbatissæ ob rationem insinuatam, prout docent Sotus Reginald. Less. Suarez, Sanch. & alii.

520 Ad 3. Q. Membrum 1. R. non videri, cur Episcopus auctoritate propria ad spiritualem talis Monialis consolationem concedere nequeat Confessarium prudentem,& pium, qui in eo articulo morienti assistat; si enim aliquid obstaret,in eo casu, esset lex clausuræ; hæc autem non obstat, quia ratione necessitatis,& utilitatis spiritualis Monialis morituræ potest in ea dispensari; cùm enim Episcopus licitè possit concedere Confessarium extraordinarium alicui Moniali particulari, non obstante Decreto Sacræ Congregationis, quod adducit Gavantus verb. *Monialium cura spiritualis*, cùm illud Decretum procedat de una designatione pro pluribus vicibus, ut observat Diana cum aliis in *Sum. verb. Prælati Regulares n. 43.* à fortiori dispensari poterit, aut debebit in casu posito, cùm magis urgeat necessitas, & utilitas spiritualis Monialis morientis, quàm sanæ, & benè valentis. Ut notat Passerinus *tom. 2. de Statu, q 187. a. 1. n. 921.* Et ita apud Pellizar. *in tract. de Monial. c. 10. S. 3.* practicatum fuit Romæ à Cardin. Bellarmino, dum erat Protector Monasterii Sanctæ Marthæ, & post illum ab aliis Cardinalibus ejusdem Monasterii Protectoribus.

Ad 2. Q. 3. Membrum,an quivis 521
Confessarius ab Ordinario approbatus excipere possit Confessiones Monialium tempore Jubilæi sine expressa Episcopi licentia, respondet Bonacina affirmativè de *Sacram. D. 5. q. 7. pun. 4.* §. 1. Sed contrarium absolutè dicendum, tenendúmque est; quia etiam Confessariis prohibitum est accedere ad Monialium Monasteria, & consequenter dum Pontifex Jubilæum publicat, non intendit jurisdictionem conferre sacerdotibus impedimentum habentibus,nisi id exprimatur. Præterea juxta Constitutionem Greg. XV. quæ incipit, *Inscrutabili*, Confessarius Monialium specialiter ab Ordinario approbari debet, & Sacra Congregatio apud Lezanam *tom. 1. p. 1. c. 25. n. 46.* declaravit; Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Monialium sibi subditarum Confes-

siones, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: imò Regularis ab Episcopo approbatus ad excipiendas Confessiones Monialium unius Monasterii, non potest audire Confessiones Monialium alterius Monasterii; Nec Confessarius extraordinarius semel deputatus, atque ab Ordinario approbatus ad Monialium Confessiones audiendas pro una vice, potest pluries vi talis approbationis, illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo approbandus est, quoties casus deputationis contigerit, ut patet ex alibi dictis, & ita declaratum est à Sac. Congregatione,& Clemente X. in Constitut. quæ incipit: *Superna.*

522 Ad 4. R. affirmativè,siquidem talia sint privilegia, quæ ipsis etiam Monialibus adaptari possint. Ita Suarez *l. 8. de leg. c.* 10. *n.* 7. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 13. *a.* 22. Palao *tr.* 3. *de priv. D. 4. p. 2.* §. 9. Diana *tr.* 13. *Miscell. R.* 24. Pellizar. *tom.* 2. *Man. Regul. tr. 8. c.* 1. aliique. Ratio est; quia ex una parte in dispositione favorabili sub nomine masculino comprehenditur fœminium in iis,quæ etiam fœminis conveniunt, nisi aliud in concessione privilegii exprimatur; ex altera parte Moniales sunt verè Religiosæ, ideóque dispositio facta Religiosis, etiam Monialibus Religiosis suffragatur in iis, quæ ipsis accomodari possunt. Accedit Privilegium Bullatum Leonis X. apud Dian citt. & Casarub. verb. *communicatio privileg. n.* 18. quô Pont fex absolutè concedit Monialibus Fratrum Minorum, ut possint uti omnibus,& singulis privilegiis,& indultis spiritualibus, & temporalibus per ipsum Leonem,& Sedem Apostolicam ipsis Fratribus quomodolibet concessis, & concedendis, perinde ac si ea ipsis Monialibus fuissent concessa. Id, quod Pasqual. *decis.* 178. *de celeb. Miss.* Pellizar. l. c. Diana l. c. Bordonus & alii contra Barbos. Sanch. Portel. & alios extendunt probabiliter ad eas quoque Moniales, quæ non subsunt juri Regularium, sed Episcopis sunt subjectæ, eò quòd per exemptionem à Superioribus Regularibus, & subjectionem Episcopis, aut per fundationem Monasterii sub jurisdictione Episcopi non desinant esse sub Instituto,& Regula suæ Religionis, adeóque adhuc gaudeant privilegiis sui Ordinis.

(o)

CA-

CASUS LXXXIX.

De Missa, ejúsque legendæ obligatione, & applicatione.

LOcupletus vir nobilis satis pinguem fundavit Capellaniam, ea conditione, ut quotidie in loco à se designato Missa legeretur. Capellania hæc post mortem Fundatoris obtigit Antimo Clerico vitæ non optimæ, qui non obstante conditione à Locupleto adjecta, semel in hebdomade intermittit offerre Sacrum ad intentionem Fundatoris, illúdque modò pro se, aut defunctis consanguineis suis legit, modò celebrat ad intentionem Calisti Stipendium dantis, ut in altari B. V. M. Missà de *Requiem* dicatur pro animabus in purgatorio, quam tamen subinde legit de festo currente.

QUÆR. I. An Sacerdos, obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomade Sacrum omittere, & legere pro se, aut Stipendium dantibus?

QUÆR. II. An plus prosit Missa boni, quàm mali Sacerdotis, & plus Missa de Requiem, *quàm alia, qualéque peccatum sit accipere Stipendium pro Missa de* Requiem, *& legere de festo currente?*

QUÆR. III. An magis expediat, ut quis, se adhuc vivente, sacrificia pro se fieri potiùs curet, quàm post mortem?

QUÆR. IV. An, & quomodo peccet Sacerdos, qui pro Stipendio nova onera Missarum celebrandarum suscipit, oneribus jam susceptis non persolutis?

Ad

523 AD 1. Q. Affirmativè respondet P. Vidal; *in Arca Theol. mor. de Justit. Inquisit.* 1. putans, sacerdotem obligatum quotidie celebrare, posse tuta conscientia semel in hebdomade intermittere celebrationem unius Missæ, illámque non ad intentionem Fundatoris, sed ad suum beneplacitum licitè applicare, etiam secundùm intentionem Stipendium dantis. Rationem dat, quia obligatio quotidie celebrandi secundùm determinatæ personæ intentionem intelligenda est moraliter, rationabiliter, ac regulariter, & non adeò Strictè, aliàs evaderet onus intolerabile, quod Fundator imponere voluisse censendus non est.

Confirmatur ex eo, quòd juxta probabilem complurium DD. sententiam cum & apud Dianam *tr. 14. de celebr. Miss. R.* 28. & Naldum *in Summ. verb. Missa*, possit Capellanus, obligatus ad quotidie celebrandum ex aliqua urgente necessitate ter, quater, aut pluries per annum celebrare pro se ipso, vel alio sibi valdè conjuncto, puta, patre, vel matre, &c. quia Capellaniæ Institutor, si de tali casu interrogatus fuisset, utique annuisset, & non denegâsset: ergo idem dici potest in priori casu de una Missa in hebdomade, quia si etiam de hoc interrogatus fuisset, annuisset, ne aliàs onus intolerabile imposuisse videretur. Nihilominus

Contrarium omninò tenendum 524
est cum Suarez *D. 80. S. 2.* Sylvest. Azor. Bonac. & communi DD. cum & apud Dianam *l. c. R.* 37. quia ejusmodi Missæ dicendæ sunt juxta conditionem, seu pactum, & obligationem adjectam, & impositam à Fundatore, & à Capellano liberè susceptam, nisi aliud prudenter præsumi possit de mente ejusdem Fundatoris: atqui prudenter præsumi non potest, quòd Fundator tot Missas liberas relinquere voluerit Capellano, & quidem legendas pro Stipendio ab aliis elargiendo, quòd ipse liberaliter suppeditavit. Certè si à citt. AA. aliisque ægrè excusatur Sacerdos, qui ex tacita Institutoris concessione ter, vel quater in anno ex causa rationabili pro casu speciali sibi, vel propriis parentibus Sacrificium applicat, quid dicendum putas de eo, qui tot in anno Missas omittit, quot sunt, in anno hebdomades? Unde non est credendum, hanc fuisse mentem pii Fundatoris, sub ea conditione, & pacto Capellaniam instituentis. Aliud est de eo, qui quotidie ad celebrandum obligatus ter, quaterve in anno pro se, vel aliis valdè sibi conjunctis ad specialem aliquam gratiam obtinendam, aut pro anima defuncti patris, vel matris celebrat; cre-

credibile enim est, pium Fundatorem, si de tali casu prægogitâsset, vel interrogatus fuisset, minimè id negaturum fuisse, nec omnem viam obligationi naturali erga se ipsum, propriósque parentes præcludere voluisse: Hæc autem omnia locum non habent in altero casu, in quo Capellanus ille non ex justa causa, sed potiùs ex avaritiæ motivo procedit: Nec onus intolerabile id censendum est, quod obligatio Justitiæ est ex pacto cum Capellano quotidie celebrandi, quódque liberè susceptum, & conjunctum est cum magno ejusdem emolumento; Considerandæ tamen hîc est Ecclesiarum consuetudo, siqua in aliqua Ecclesia vigeat, ut unus vacationis, ut vocant, dies concedatur; cùm enim obligatio quotidie celebrandi Missas intelligatur salvâ decentia, & honestate, ut notant communiter DD. id est, salvâ conscientiâ ipsius Sacerdotis, & salvâ reverentiâ Sacramento debitâ; honestas autem, & decentia postúlet, ut aliquando Missa intermittatur; inde fit, ut possit, vel potuerit introduci consuetudo Sacrum aliquoties prætermittendi ita postulante honestate; quæ tamen honestas & decentia id non postulant, ut quando ex honestate potest Sacrum intermittere illud applicet alteri, sed posito, quòd possit & velit celebrare, debet Missam applicare juxta mentem Fundatoris, & institutum Capellaniæ.

Ad 2. Q. R. duo in Missa con- 525
siderandæ esse, ut advertit Angelicus Doctor 3. *p. q.* 82. *a.* 6. videlicet ipsum sacrificium, & orationes, seu preces, quæ in ipsa Missa funduntur. Si sacrificium considereturr, quod est principale, tunc non plùs prodest Missa boni, quàm mali Sacerdotis; quia valor, qui in sacrificio ex opere operato provenit, non major est in uno, quàm in altero sacerdote, cùm non dependeat ex dispositione & bonitate Ministri juxta unanimem DD. consensum & C. intra 1. q. 1. si verò orationes considerentur, & preces, tunc possunt hæ dupliciter considerari, uno modo quatenus procedunt à Sacerdote, ut à persona quadam privata, & particulari; altero modo quatenus procedunt, & funduntur à Sacerdote, ut Ecclesiæ Legato, seu ut repræsentante Ecclesiam, in cujus nomine celebrat, & offert. si priori modo considerantur, plùs utique prodest ac valet Missa boni Sacerdotis, quàm mali, cùm bonus potiùs ac magis à Deo exauditatur, quàm malus, bonique preces vim, & valorem suum retineant, illíque, & aliis prosint, non item preces mali offerentis in Statu peccati mortalis, utpote cujus oblatio infructuosa est, etiam secundùm vim

impetrandi, C. *in gravibus*, 3. *q.* 7. & merendi saltem de condigno, etiam quando pro se orat. Si verò posteriori modo considerentur, quatenus scilicet Sacerdos est offerens nomine Ecclesiæ, cujus ad Deum Legatum agit, eámque repræsentat, utriusque preces æqualem habent valorem, tantámque efficaciam habet oratio mali, quantam boni, quia is, cui mittitur aliquid, non respicit, per quem mittatur, sed quis, & quid mittat; & quia etiam in peccatoribus manet ministerium, ut ait S. Thom. Omnibus ergò consideratis dicendum est, plùs valere Missam boni Sacerdotis, quàm mali; non solùm, quia boni Missa & illi, & aliis prodest, sed etiam quia ejus preces, & orationes valent non tantummodo ut Ecclesiæ nomine procedunt, sed etiam ut sunt ab homine Dei amico, & grato, qui faciliùs, sæpiùs, & ampliùs à Deo impetrat, quàm malus: Unde & S. Th. l. c. meritò asserit, magis fructuosam esse Missam dictam à meliore Sacerdote cum majore devotione, quàm Missam dictam ab alio.

Ex his patet etiam responsio ad alterum 1. Q. Membrum; nam si valor Sacrificii ex opere operato spectetur, æqualiter prodest Missa de *Requiem*, quàm alia; si autem simul orationes, & preces considerentur, plùs utique prodest defunctis Missa de *Requiem*, quàm alia, quia in Missa de *Requiem* orationes, & preces ad ipsarum animarum liberationem directè funduntur tam ex intentione Ecclesiæ, quàm ex intentione propria Sacerdotis sacrificantis. Unde Sylvest. *in Summ. verb. Missa q.* 8. *d.* 5. cum aliis censet graviter Sacerdotem delinquere, qui Stipendium accipit pro dicenda Missa de *Requiem*, & legit Missam de Festo currente. Verùm contrarium alii tenent apud, & cum Diana *p.* 2. *tr.* 14. *R.* 31. & *p.* 3. *tr.* 6. *R.* 62. videtúrque probabiliùs, non excedere id culpam venialem, cùm proximus non notabiliter damnificetur, eò quòd omnes Missæ sint ejusdem, æqualísque valoris, & quamvis cæteris paribus Missa de *Requiem* magis prosit defunctis, ut paulò ante dictum est, supplere tamen potest major Sacerdotis devotio, Indulgentia, vel Sancti illius intercessio, cujus suffragium imploratur.

Ad 3. Q. R. magis expediens 526
ac consultius esse, ut quis adhuc in vita curet pro se Missas celebrari, sibíque applicari, quàm post mortem. Ratio est, tum quia talis majorem habet certitudinem de Missarum celebratione, & actuali applicatione; cùm persæpè hæredes magis soliciti sint de hæreditate adeunda, possidenda, aut dividenda, quàm

de

de voluntate Defuncti fideliter, & debito tempore adimplenda. Tum quia major inde fructus percipitur, eò quòd Missæ vivis applicatæ non solùm satisfactoriæ sint, uti Missæ pro defunctis, sed etiam propitiatoriæ pro peccatis conferendo gratias prævenientes, meritoriæ, & impetratoriæ variorum beneficiorum, & gratiarum, ut adeò magis prosint non solùm in vita, sed etiam post mortem. Tum quia magis augetur meritum, si ultrò spontè, ac liberè terrenis te prives, dum eis adhuc frui licet, quàm si coactus, morte imminente, eis valedicas. Ex quibus satis elucet, tutiùs, magisque, expediens esse, si Fideles pro se Missas celebrari curent ante potiùs, quàm post mortem, id, quòd rectè observavit S. Gregorius Papa *lib. 4. Dialog. c. 58.* ubi, *tutior*, inquit, *est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit per se: beatiùs quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere.*

Porrò licèt quod modò dictum est tutiùs, magisque fructuosum sit, attamen valde utique laudabile est, & proficuum, quòd quisque etiam Missas de *Requiem* post mortem legendas sibi applicari curet in suffragium animæ suæ, & satisfactionem residui debiti, si quod in Purgatorio adhuc expungendum restaret.

527 Ad 4. Q. Satis convenit inter DD. talem Sacerdotem graviter peccare, si hujusmodi Missarum celebrationem ad longum tempus differat, secùs non delinquere, si *infra modicum* tempus eas legat, posítque sic omnibus satisfacere.

Quid autem per to *infra modicum tempus* intelligatur, non determinatur à Sac. Congregatione Concil. quæ in Decretis Urbani VIII. respondens ad undecimum ita loquitur: Quid autem intelligat Sac. Congregatio per ly *infrà modicum tempus*, explicant Doctores; qui tamen in eo explicando in varias abeunt opiniones, aliis minùs, plùs aliis admittentibus. Thesaur. *in praxi p. 2. verb. Missarum onera cap. 1.* censet, per modicum tempus intelligi spatium octo duntaxat, vel decem dierum. Pasqualig. *de Sacrific. Miss. q. 965.* putat modicum tempus complecti duos menses, quando Missæ legendæ committuntur sine temporis determinatione; si verò tempus sit determinatum, non posse ultra illud differri. Diana *p. 2. tr. 14. R. 25. & p. 9. tr. 6. R. 55.* cum Ledesm. Lug. & aliis ait, modicum tempus extendere se ad quinquaginta, aut sexaginta dies. Alii cum Lezana *tom. 2. verb. Missa n. 39.* nihil determinant, sed relinquunt id arbitrio prudentis Viri, (quod melius videtur) pensatis circumstan-

ſtantiis loci, temporis, numero Miſſarum dicendarum, intentione petentium, & Sacerdotum, quibus celebrandi obligatio incumbit: Unde longius utique temporis ſpatium conceditur, ſi Miſſæ dicendæ committantur absque celebrationis celeritate, ſed veluti pro celebrantis commoditate; è contra ſi Miſſæ præſcribantur dicendæ pro aliquo recenter defuncto, quàmprimùm, & ſine dilatione celebrari debent, ut rectè notant Pasqualig. l. c. Sylveſt. *verb. Miſſa*, *q.* 10. Petr. Navar. *l. 2. c. 2.* Layn. *l. 5. tr. 5. c. 1.* qui ultimus ait, Sacerdotem illum meritò timere poſſe, ne gràviter delinquat, qui accepto Stipendio pro Miſſa legenda pro aliqua neceſſitate, vel defuncto, ſine juſtæ excuſationis cauſa eam differt, eò, quòd interea magno ſpirituali fructu & commodo priventur ii, quorum debitor exiſtit: Unde quando AA. citt. à peccato excuſant Sacerdotem, qui infrà modicum tempus Miſſarum dicendarum obligationi ſatisfacit, caſum excipiunt, quo Miſſa dicenda eſt pro aliqua neceſſitate, quæ moram non patitur, v.g. pro præſenti infirmitate, aut expeditione alicujus negotii magni momenti &c. Demùm alii cum Bonac. *de Sacram. d. 4. q. ult. pun. 7.* & Tambur *l. 3. c. 1. §. 9.* de Sacrif. Miſſ. eos Sacerdotes graviter peccare affirmant, qui magnum Miſſarum legendarum numerum accepto anticipato Stipendio, promittunt, earúmque celebrationem ſine legitima cauſa diu & notabiliter differunt, aut ſe periculo exponunt, promiſſas Miſſas vel omninò non perſolvendi, vel non niſi tempore inopportuno:

Sed quid ſi Miſſam non ex 528
Stipendio, ſed ex liberalitate legendam alteri promittas, & non legas? erisne dicendus graviter peccare? Affirmant Bonac. de contr. d. 3. q. 12. p. 1. & Petr. Navarr. l. 2. de reſtit. c. 2. diſt. 7. putantes unicum duntaxat Sacrum ex liberalitate promiſſum non celebrare peccatum eſſe mortale.

Verùm probabiliùs id negant Tambur. l. c. §. 6. Rebell. Sanch. Mald. Fagund. aliique apud Marchin. de Ord. tr. 3. p. 2. c. 18. Rationem dant, quia in hujusmodi promiſſionibus non eſt attendendum ad damnum ſpirituale, aliàs omittens promiſſam ſalutationem Angelicam peccaret graviter, cùm ejus omiſſio majus damnum ſpirituale afferat, quàm quodcumque damnum temporale; ſed ſpectanda eſt quantitas ſtipendii, quæ communiter dari ſolet, ut, qui Miſſam promittit, perinſe habeat, ac ſi promitteret Stipendium pro Miſſa elargiri ſolitum;

tum; Cùm ergo in promissionibus ad peccatum mortale constituendum major quantitas requiratur, quàm in furto, imò juxta Sanch. *de matr. l. 2. d. 5.* quatruplo major, eò quòd in furto tollatur alienum, in promissione detur voluntariè suum, ideò non erit mortale in casu posito, nisi tot Missæ liberaliter promissæ negentur, quot quatripliciter superant in Stipendio materiam furti gravis. Accedit, quòd secundùm satis probabilem multorum sententiam non servare promissionem simplicem in materia notabili non inducat peccatum mortale, nec obligationem restitutionis; quia non delinquitur contra Justitiam, sed solùm contra fidelitatem, quæ non obligat cum tanto rigore, uti Justitia, nec obligationem restituendi per se inducit.

CASUS XC.

De defectibus Sacerdotis Missam celebrantis, & alienum Sacrificium supplentis.

OBlivius Sacerdos ante accessum ad Missam sæpè non lavat manus; sæpè omittit preces inter induendum; non nunquam omittit Credo, cùm dicendum esset, vel dicit, cùm esset omittendum; aliqua subinde variat, vel omittit etiam in Canone; nonnunquam aliqua addit ex devotione, & quæ submissâ voce dicenda essent, recitat altiore voce, aut viceissim. Semel dum ex sacristia Sacrum facturus egreditur, inaudit, Ambrosium Sacerdotem in altari majori sacrificantem post sumptam S. Hostiam apoplexiâ tactum fuisse, non sumpto S. Sanguine: Unde ad altare majus illicò accedit inceptum Sacrificium perfecturus, sumptóque S. Sanguine ea supplet, quæ in Missâ post sumptionem sunt supplenda, & novum Sacrum subjungit.

QUÆR. I. An Sacrificium Ambrosii fuerit in eo casu omninò absolvendum, & an Oblivius benè egerit sumendo tantùm species S. Sanguinis?

QUÆR. II. An, & quale peccatum sit non lavare manus ante Missam, vel omittere preces inter induendum, aut aliquid omittere in decursu Missæ.

QUÆR. III. An, & quomodo peccet, qui in Canone aliqua addit ex privata devotione, aut ea, quæ alta voce dicenda sunt, recitat submissè, aut vicissim?

529 AD 1. Q. Prima opinio Bonacinæ, & aliorum affirmat, non tantùm nihil esse supplendum, si Celebrans deficiat post sumptionem utriusque speciei, eò quòd expleta jam sit tota essentia Sacrificii; sed etiam non opus esse, aliquid ab alio suppleri, si Sacerdos deficiat post sumptas species panis, sed S. sanguinem posse tunc sumi postea in alia Missa, quia, cùm jam utriusque speciei consecratio præcesserit, videtur jam essentialiter completum Sacrificium.

Secunda Opinio cùm Ruyz *p. 7. §. 9. n.* 8. Dicastill. de Sacram. tom. 1. tr. 4. D. 4. dub. 16. & Diana *tr.* 12. *Miscell. R. 5.* contendit, perficiendum esse Sacrificium, posséque Sacerdotem, qui Sacrum alterius post sumptionem S. Hostiæ deficientis supplet, sumere solùm sanguinem jam consacratum absque nova consecratione panis & vini, quam opinionem in praxi tutam esse affirmat citt. Ruyz.

Tertia opinio cum S. Th. *in 3. par. q. 83. a. 6. ad* 4. docet, debere Sacerdotem supplentem in eo casu consecrare novum panem, novúmque vinum, idque simul sumere unà cum S. Sanguine à priori Sacerdote deficiente non sumpto.

Quarta denique opinio cum Henriq. tenet, non posse in tali casu Sacerdotem, qui supplet, sumere solas species sanguinis, nec debere consecrare novum vinum, sed novam duntaxat Hostiam, sumendam à supplente unà cum speciebus vini à primo Sacerdote consecrati.

Ex hisce opinionibus præplacet secunda affirmans, Missam in eo casu perficiendam esse ab alio Sacerdote, sumendo solùm S. sanguinem; nam esto, quòd substan- 530

stantia sacrificii consistat in sola consecratione, quod tamen negant alii cum Aversf. *q.* 11. *S. 16.* § *quare* Toleto *l.* 2. *c.* 5. Pasqual. *q.* 325. La Croix *l. 6. p.* 2. *n.* 548. volentes, substantiam Sacrificii complecti etiam utramque sumptionem; nihilominùs sumptio adhuc pertinet ad integritatem & consumationem Sacrificii, sub præcepto sumendi id, quod in Sacrificio oblatum est, quia naturâ suâ servit ad significandum Symbolicè Deum, vitæ mortisque Dominum, quatenus tendit in destructionem rei Sacrificatæ quoad esse Sacramentale, seu sub ea ratione, quam per consecrationem accepit; Unde Toletus l. c. cùm in pyxide, inquit, conservatur Hostia consecrata, Sacramentum est, non Sacrificium; cùm verò in Missa consecratur, & sumitur, non tantùm Sacramentum est, sed etiam Sacrificium, utpote quod in ipsa consecratione, & sumptione consistit: quæ proin sumptionis actio ita necessariò exigitur, ut neque Ecclesia circa illam dispensare possit, sed deficiente primo Sacrificante, ab alio Sacerdote suppleri debeat; perficere autem, & supplere inceptum sacrificium, non est novum panem novúmque vinum consecrare, & sumere; nam id esset novum Sacrificium, sed est id superaddere, quod deest jam incepto, incepto autem Sacrificio in casu posito sola deest S. sanguinis sumptio: ergo hæc sola supplenda erit: Unde rectè egit Oblivius Sacerdos sumendo in posito casu solas species S. Sanguinis.

Ad 2. Q. 1. Membr. graviter 531
peccari ab eo, qui absque rationabili causa manus ante Missam non lavat contendit Ant. Cotonius *l. 2. controvers. 5. c. 4. n. 84.* ea ratione motus, quòd illotis manibus accedere ad hanc sacram mensam gravis sit irreverentia; tum ob significationem, quam in se continet lotio manuum; tum ob analogiam, quam mensa hæc sacra habet cum profana, ad quam lotio manuum præmittitur.

Verùm non delinqui graviter ab eo, qui ante, vel post Missam manus non lavat; imò probabiliter nec venialiter, interveniente rationabili aliqua causa, & nisi fortè manus essent valde immundæ, & sordidæ, tenet communis. DD. sententia. Ratio est, quia hujus gravis obligationis nulla efficax ratio ostendi potest; Rubricæ enim de lavandis manibus ante, & post Missam per se non continent ullum rigorosum præceptum, ut advertit Suarez D. 82. ante 1. S. & si aliquod continerent, ejus transgressio non nisi venialis foret; imò multæ ex Missalis Rubricis, quæ scilicet non versantur circa valorem Sacrificii, aut de-

defectus substantiales, nec continent aliquid, quod aliàs in jure, vel ex legitima consuetudine graviter præcipitur, sunt tantùm directivæ, ut notat Fag. cum aliis l. 3. c. 21. n. 9. & 32. quæ secundùm Tambur. l. 2. c. 5. §. 1. Gobat in Exp. t. 3. n. 737. & alios per se nec sub veniali obligant, nisi fortè negligantur animo inducendi novum ritum in Ecclesia, quod per se utique grave esset, & graviter prohibetur à Pio V. init. Missal. & Trident. Sess. 22. in Decret de observand. &c. vel nisi negligantur cum Scandalo, aut ex contemptu; imò etsi observatio Rubricæ contemneretur, quia nempe levis est, seu levitas Rubricæ, adhuc non nisi veniale esse, docent Gobat n. 738. Laym. Tambur, Sot. & alii; mortale verò si contemneretur potestas Ecclesiæ, vel legitimi Superioris ita disponentis, & ordinantis.

Unde sententia Cottonii sub eo rigore meritò unanimi DD. consensu rejicitur, nec apparet, qua verisimilitudine sustineri possit, nec allata ratio stringit, ut patet etiam ex Matth. 15. ubi Christus excusat, & liberos ab omni culpa pronuntiat Discipulos suos non lavantes manus ante comestionem; nec id soleat à multis fieri in jentaculis præsertim, & collaciunculis vespertinis diebus jejunii; nec periculum est irreverentiæ sacro huic convivio irrogandæ; cùm ante consecrationem alia adhuc subsequatur manuum ablutio ad *Lavabo*.

Ob insinuatam tamen rationem non pauci apud Dianam p. 1. tr. 12. R. 19. censent, omittere prædictam manuum lotionem peccatum esse veniale, quod satis probabile videtur, si absque omni causa id fiat, præsertim cùm Rubricæ etiam directivæ tantùm, secundùm Quarti, p. 2. t. 1. Avers. & alios, si absque causa non observentur, non excusent â veniali, eò quòd videatur neglectus temerarius rei non contemnendæ, sitque recessus, & deordinatio à communi praxi, & consuetudine Ecclesiæ sine rationabili causa in re meritò observanda.

Ad 2. Q. 2. Membr. an, & quale peccatum sit omittere preces inter induendum? Non convenit inter DD. esse peccatum grave, affirmant apud Bonac. de Euch d. 4. q. ult. p. 9. Navarr. c. 25. n. 73. Azor. c. 29. q. 5. Sylvest. Gavar. & alii; eò quòd negligatur gravis Ecclesiæ Ceræmonia. 532

Sed contrarium non immeritò sentiunt Gobat tr. 3. n. 387. Rodriq. Henriq. Avers. Castrop. & alii non agnoscentes in hoc nisi peccatum veniale; quia non apparet, unde id vel jure, vel con-

consuetudine cum tanto rigore præcipiatur: imò Tambur cum aliis *de Sacrif. Miss. l. 1. c. 7. §. 1.* nec peccatum veniale facilè admittit eò, quòd nullum de hoc extet præceptum: Verùm communis sententia affirmat, peccari leviter, quia est id contra Rubricam saltem consuetudine receptam, & deviatio à communi praxi; si tamen loco prædictarum precum aliæ substituantur, & recitentur, putat Fagund. nullum esse peccatum, testatúrque id fieri à quibusdam, nec improbat.

533 Ad 2. Q. 3. Membr. notandum est, partes Missæ alias esse ordinarias, quæ scilicet semper, seu in omni Missa dicuntur, cujusmodi sunt Confessio, Epistola, Evangelium, Præfatio, Pater noster, &c. Alias verò esse non ordinarias, quæ scilicet non semper dicuntur in omni Missa, uti est *Gloria, Credo*, sequentia, lauda Sion, dies iræ, plures Epistolæ &c. Hoc notato

R. cum Suarez de Sacr. d. 18. S. 3. Lug. de Euch. d. 20. S. 4. Palao tr. 22. p. 11. Tambur. l. 2. c. 5. §. 2. Gobat n. 762. Dian. Fill. Quarti, aliisque communiter contra Avers. omittere partem non Ordinariam v. g. Gloria, Credo, Communicantes, hanc igitur, Evangelium S. Joann. in fine &c. peccatum esse dun-

taxat veniale, eò quòd sint partes Missæ valde accidentariæ, aut non notabiles, id, quod Pasqual. q. 200. Quarti, & Quintenado. affirmant, etsi plures ejusmodi partes non ordinariæ in magna, etiam quantitate omittantur, v. g. omnia *flectamus genua* cum omnibus secundariis orationibus, & Epistolis secundariis.

Omittere verò partem Missæ Ordinariam per se loquendo peccatum esse mortale, nisi parvitas materiæ excuset, aut inadvertentia leviter culpabilis, v. g. omittere *Kyrie eleison*, tractum, orationem principalem in uno tantùm loco &c.

In Canone tamen omittere unum, alterumve verbum putant aliqui cum Cottono controv. 5. c. 3. n. 98. peccatum esse mortale, sed nimis rigidè; nam licèt minor omissio sufficiat ad constituendum mortale in Canone propter ejus reverentiam, quàm in aliis Missæ partibus, nulla tamen ratio apparet tanti rigoris: Unde communiter meritò sentiunt DD. omittere unum, alterumve verbum non excedere lineam levitatis; imò Suarez l. c. cum Tambur. & aliis rectè negant peccatum esse mortale omittere ea, quæ interponenda sunt in oratione *Communicantes*, vel in oratione, *Hanc igitur*, quin nec omittere in consecratione illud *enim*, peccatum

esse grave, meritò censet Tambur. cum aliis contra alios; quia in omissione unius particulæ, quæ non est de substantia consecrationis non apparet ulla gravitas; omittere tamen tantùm aliqua verba in Canone, vel ea variare, aut corrumpere ita, ut immutetur sensus, culpam esse lethalem censent Fill. Dian & alii, uti etiam si talis omittatur ritus, qui ob speciale mysterium valde sit notabilis, quam ob causam Suarez cum aliis *D. 85. S. 2.* arbitratur, peccatum esse grave, omittere fractionem Hostiæ, aut illius cum sanguine mixtionem; id quod aliqui cum Tambur. *l. 2. c. 5. §. 2.* affirmant etiam de omissione solius affusionis aquæ in media Missa, eò, quòd illa singulare mysterium repræsentet, effusionem scilicet sanguinis, & aquæ è latere Christi mortui; imò Aversa §. 5. putat sine illa ob nullam necessitatem celebrari posse.

534 Ad 3. Q. R. in Missa nihil per se addendum, nihilque omittendum esse, patet ex prohibitione Pii V. initio Missal. & Concilii Trident. *Sess. 22. in Decret. de observand.* atque ex alibi dictis, & quidem majori jure nihil addendum est; quia, ut notat Suarez *d. 83. s. 2.* gravior est culpa commissionis, quàm omissionis, majúsque periculum superstitionis est addendo, quàm omittendo. Unde Tambur. *l. 2. c. 5. §. 3.* ait peccaturum eum, qui ex privata devotione, etiam secretè, adderet Orationem Dominicam, aliamve similem; quia addit aliquid, quod non est in Missa, & non nisi à parvitate materiæ à gravi excusatur. Interim conatur excusare S. Franc. Xaverium, qui ante Communionem solitus erat addere orationem à se latinè compositam pro conversione Indorum, varias adducens rationes; quia videlicet potuit id fecisse ex inspiratione divina, vel id à Sede Apostolica obtinuisse, vel tanquam hujus Legatus secumipso in hoc dispensasse.

Nihilominus rectiùs affirmant alii cum Navarr. Quarti, La Croix n. 431. nullum esse peccatum ante Communionem intermiscere considerationem aliquam circa ea, quæ fiunt in Missa, séque aliquamdiu detinere in piis affectibus excitandis, dummodò longa mora, præsertim in publico, evitetur; tum quia mens manet interim Missæ applicata, censetúrque esse moralis adhuc continuatio, quamvis brevis interruptio interveniat; tum quia videtur hæc esse consuetudo Virorum piorum, & timoratorum & ipsæ Rubricæ brevem aliquam meditationem, seu considerationem SS. Sacramenti admittant post sumptionem sacri Corporis; tum demum quia licèt constet id à pluribus factitari, scientibus Superioribus, à nemine tamen eorum constat id reprehensum, aut prohibitum fuisse; Unde non est audiendus hîc Dica-

still.

still. dum *d. 4. dub.* 13. in ejusmodi sacrificantes insurgit tanquam nimis devotos.

535 Ad verborum expressionem quod attinet, aliqua juxta Rubricas altâ, alia verò submissâ voce sunt efferenda, ita quidem, ut si quis omnia, quæ altè legenda sunt, legat submissa voce, juxta Sanch. *l. 7. Cons. c. 2. dub. 8.* Navarr. & alios, peccatum committat veniale, eò, quòd Missa officium sit publicum, quod ad excitandam in populo devotionem cum eodem communicari debet; Pasq. tamen *q.* 230. Quarti *dub.* 1. Beja *p.* 1. *Cas.* 21. cum aliis rectè excusant sic legentem ab omni culpa, dummodò ita legat, ut Minister audiat, quæ altè dici debent, quibus accedit consuetudo Virorum timoratorum, quod vel maximè tunc locum habet, cùm Missa legitur in altari laterali. Contrà verò partem notabilem eorum altè recitare, quæ submissa voce dicenda sunt, peccatum esse grave docent Pasq. citt. Gavan Quarti, & alii; proferre tamen verba Consecrtionis ita altè, ut solùm audiantur ad 6. vel 8. passus, peccatum esse duntaxat leve communiter affirmant DD. lethale vero esse, si ita verba efferantur, ut ad 40. passus audiantur. Verùm meliùs hîc ad populum adstantem attenditur, utpote qui magis vel minùs distare potest ab altari, & sacra verba ad aliquot tantùm passus audire; ratio enim, ob quam graviter vetatur alta pronuntiatio sacrorum verborum, est, ne populus ea audiens, & sciens ea postea temerè, aut ad jocos usurpet; hæc autem ratio æquè probat, etsi populus ad aliquot tantùm passus distet, dummodò intra talem distantiam adhuc verba illa audire possit.

Sed quid, inquis, dicendum de iis, qui verba Consecrationis ita proferunt, ut unum verbum bis, vel ter repetant, vel unum verbum post alterum longiore interposita mora pronuntiant? R. ad hoc Gobat, peccatum esse ex genere suo mortale, eò quòd tales inducant novum ritum circa actionem omnium gravissimam, mutent formam sacramentalem & Christum ridiculè loquentem, repræsentent; excusari tamen eos persæpè à mortali per accidens; quia ad id faciendum adiguntur à nimiis scrupulis, quibus agitantur.

(o)

CASUS XCI.

De Missæ Sacrificio interrumpendo, S. Viatico, & Hostiæ fragmentis à celebrante post ablutionem repertis.

VAlentinus Parochus durante adhuc Missa statim post Consecrationem monetur ab Ædituo, Susannam in proxima domô ægram, morti proximam esse, & S. Viaticum expetere. Valentinus Sacrô interruptô, acceptâque ex tabernaculo S. Hostiâ ab altari discedit, & ad Susannæ domum festinat, eámque jam jam expirantem S. Viatico munit, & ad altare reversus incæptam Missam prosequitur, dúmque S. Hostiam à se consecratam frangit notabilem hostiæ particulam decidentem videt, quam tamen ut ut diligenter quæsitam invenire, non potest: Unde Missam absolvit, & ad Sacristiam redit, dúmque S. vestes exuere parat, Hostiæ particula (quæ S. vestibus adhæserat) in terram decidit, quam è terra reverenter sublatam ipsemet ibidem sumit.

QUÆR. I. An Valentinus Sacerdos rectè egerit S. Viaticum ad Susannam deferendo, Sacrô interruptô?

QUÆR. II. An rectè fecerit Sumendo in Sacristia talem Hostiæ particulam?

QUÆR. III. An à Sacerdote celebrante post ablutionem sumi possint reperta fragmenta, seu reliquiæ in alio Sacrificio ab alio consecratæ?

536 AD 1. Q. resolutio ex eo pendet, an, & quando Missa à Sacerdote inchoata interrumpi possit; & quidem non esse eam absque gravi causa abrumpendam, sed continuò ad finem usque

usque perducendam, patet ex C. *illud*, & C. *nihil*, 7. q. 1. ubi in fine can. dicitur: *Nullus absque patentis proventu molestiæ, Minister, vel Sacerdos, cùm cæperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere: Si quis hæc temerariè præsumpserit, Excommunicationis sententiam sustinebit.* idque meritò exigit reverentia tanto Sacramento debita, ne illud mutilum, & imperfectum relinquatur, cùm id fieri potest absque gravi incommodo;

537 Causæ porrò legitimæ, ob quas Sacrificium ante consecrationem, vel Consecratione facta interrumpi potest; variæ sunt; minorésque sufficiunt ante consecrationem, vel oblationem, uti si concio ad populum habenda sit, vel propter Ordines conferendos, aut adventum Episcopi, Ducis, Principis &c. vel propter populi ad ventantis processionem, quos decet integrè Missam audire; ubi si non adsit alius Sacerdos, qui celebret, & oblatio nondum sit facta, poterit Missa inchoata rursus à principio inchoari, ut docent Navar. *cap. 25. n. 86.* Em. Sà *V. Missa* Palao *tr. 22. D. unic. p. 11.* Laym. *l. 5. tr. 5. cap. 7.* Henriq. & alii. Præterea potest cœptum Sacrificium vel relinqui, vel interrumpi, si Sacerdos recordetur, se non esse jejunum, excommunicatum, irregularem, si Canon nondum sit cœptus; vel si excommunicatus, & non toleratus Missæ Sacrificio interesse præsumat, & expelli nequeat, dummodò Canon nondum sit inceptus, uti notant citt. DD. cum S. Thom. *q. 83. a. 6.* Item si morbus, vel alia gravis corporis necessitas cogat Sacrificium Missæ interrumpere, ubi si consecratio jam facta fuit, & incæptum Sacrificium nequeat ampliùs per ipsum celebrantem perfici, nec alius jejunus reperiatur, debet alius Sacerdos substitui etiam non jejunus, qui suppleat, & Sacrificium perficiat, ut communiter docent DD. cum S. Th. citt. & colligitur ex C. *illud* citt. & C. *nullus Episcopus d. 1. de consecr.* eò quòd perfectio Sacrificii, utpote juris divini, Strictiùs obliget, quàm quodlibet præceptum Ecclesiasticum. Quòd si Sacerdos defecerit ante consecrationem cœpto jam canone juxta Angelum *V. Eucharistia*, Henriq. *l. 8. c. 50.* Laym. l. c. aliósque poterit alius Sacerdos jejunus accedere, & supplere, non tamen id necessarium est. Demum potest Sacrificium etiam facta consecratione relinqui, postmodum perficiendum, ut necessitati alienæ maximè spirituali consulas; quando scilicet tanta est necessitas, ut dilationem non patiatur recipiendi aliquod Sacramentum ad salutem moraliter necessarium, etiamsi ex templo exire debeas, ut dictæ necessitati succurras. Unde si Sacramentum ægro morti proximo

sit administrandum, qui moraliter non censetur exspectare posse finem Sacrificii, poterit Sacerdos ab altari discedere, & accepta secum S. Eucharistia in domum moribundi se conferre, ut ei Sacramentum ministret, omissis precibus, & orationibus in administratione Sacramentorum præscriptis, post peractum Sacrificium recitandis; debet enim Sacerdos operam dare, ut quàm citissimè potest, se expediat, & ad perficiendum Sacrificium redeat.

Idem quoque est, si pœnitentiæ Sacramentum suscipere non posset, posset tamen Eucharistiam, vel extremam Unctionem; quia eo casu Eucharistia, vel extrema Unctio est infirmo moraliter necessaria. Quòd si necessitas tanta non sit, uti si v. g. paulò antè Sacramentum pœnitentiæ infirmus suscepisset; non decet tunc sacrificantem post consecrationem, vel etiam inceptum Canonem, exutis S. vestibus, Sacrificium relinguere, sed permittere posset infirmum absque Viatico mori, cùm moraliter tunc ad salutem illi necessarium non sit, uti docent Zambran. *cap. 4. dub. 6. n. 5.* Palao l. c. Laym. l. c. Henriq. aliique. Si quidem, ut ajunt, è templo exire debeas: nam si homo in ipso templo existens sacro Viatico indigeat, quia subito morbo correptus, mox moriturus timetur, poterit, imò juxta alios debebit, etiam post consecrationem ab altari discedere, & Sacramentum ministrare; quia brevis illa interruptio ex necessitate proximi honestatur, & cùm in templo existas, ab altari non censeris moraliter discedere. Ex modò dictis colligitur, Valentinum rectè egisse Sacrum Viaticum ad Susannam deferendo, illúdque eidem ministrando, saltem si non paulò antè Susannæ Confessionem excepisset, & Sacramentum pœnitentiæ eidem administrâsset, secundùm superiùs dicta.

Ad 2. Q. R. cum Suarez. *D.* 538
68. Vasq. *D.* 211. c. 6. Lug. *D.* 15. *S.* 4. Fagund. *l.* 3. *a.* 5. *n.* 24. Dicastill. *D.* 9. *quæst.* 7. Arriaga de *Eucharist. D.* 44. *n.* 51. Navar. *c.* 25. *n.* 89. Bonac. Vasq. Coninck, aliisque communiter posse à Sacrificante etiam post ablutionem sumi reliquias S. Hostiæ à se consecratæ in corporali, vel Patena repertas. Ratio est; quia reliquiæ, seu fragmenta illa pertinent ad eandem actionem, seu ad complementum ejusdem Sacrificii, ad quod consumandum Sacrificans jus habet, & ratio ulterior est; quia sufficit, si Sacrificans jejunus inchoët actionem, licèt non ad omnes, & singulas ejus partes sit jejunus, ut sæpè contingit, quando particula S. Hostiæ missa in Calicem adhæret adhuc Calici, vel

vel palato post sumptam ablutionem, quam particulam adhibita nova ablutione trajicere licet. Imò ex principio illo communiter recepto, quòd satisfaciat legi, qui sumptionem inchoat jejunus, Suarez, Vasq. Lugo, Diana Dicastillo, Palao, Coninck, aliique docent, licere etiam post longam Eucharistiæ distributionem, in fine Sacri sumere deciduas micas; quia non censetur esse nova Communio, sed pertinere ad complementum tum Sacrificii, tum communionis, quam jejunus inchoavit. Quin imò plures apud Dianam 3. *p. tr. 4. R. 45.* & Burghab. *cent. 3. cas. 37.* post Granadum *in 3. p. contrav. 6. tr. 10. D. 8.* docent etiam adhuc in Sacristia posse à Sacrificante, Sacris tamen vestibus induto, ejusmodi particulas, seu fragmenta sumi, tum ob insinuatam modò rationem; tum quia, si nondum fuit Sacris vestibus exutus, non censetur Sacrificans omninò, ac totaliter absolvisse Sacrificium & communionem, cujus talis particula est complementum. Alii tamen apud Dianam, & Dicastill id negant, eò quòd post recessum ab Altari, & loco Sacrificii jam censeatur absolutum convivium, & Sacrificium.

Unde melius, si absque irreverentia, & aliorum turbatione ejusmodi fragmenta asservari possunt, reservantur, ad altare reportanda, & ab alio postea Sacerdote ante ablutionem sumenda, præsertim si sint particulæ valde notabiles, vel media hostia, uti contigit in casu Valentini Sacerdotis.

§39 Ad alterum Q. an, si hujusmodi reperta fragmenta in alio Sacrificio ab alio Sacrificante fuerunt consecrata, post ablutionem sumi possint, controversum est inter DD. Complures probabiliùs negant cum Suarez, *D. 68. Sect. 6.* Vasq. *D. 211. c. 5. n. 57.* Coninck *q. 80. a. 8. n. 67.* Bonac. *D. 4. q. 6. p. 2. n. 14.* aliisque citt. Quia horum sumptio non pertinet ad Sacrificium, & communionem hujus Sacerdotis Sacrificantis, nec unam efficit cum sumptione præcedente ablutionem; adeóque non habet jus sumendi non jejunus eas particulas, quarum sumptio non est aliqua consumatio sui Sacrificii: Unde si commodè asservari possunt, servandæ sunt.

Alii tamen cum Palao *tr. 21. D. unic. p. 13.* Marchi *de Sacram. Ord. tr. 3. p. 3. c. 3. R. 19.* Tambur. *de Exped. Commun. c. 2. §. 8. n. 38.* Burgh. *cent. 3. Cas. 37.* asserunt probabiliter, ejusmodi particulas ab alio Sacerdote consecratas, & in Corporali, vel patena post ablutionem repertas adhuc sumi posse à tali Sacrificante. Rationem dant; quia

quia omnes Sacerdotes ab uno, eodémque Christo sunt quotamodo unus hujus Minister, sicut etiam unum est veluti specie Sacramentum, & licèt particulæ illæ non pertineant ad complementum Sacrificii, complent tamen eandem moraliter communionem; quia dum Sacerdos ab altari non recedit, sed est adhuc in illo, non censetur moraliter finita consumptio, nec convivium peractum, ut notat Palao l. c. Id, quod practicari ajunt à Viris eximiæ sanctitatis, & doctrinæ, ac Sacerdotibus purificantibus pyxidem Hostiarum pro renovando Sacramento.

540 Sed meliùs hîc distinguit Dicastill. l. c. inter reliquias parvulas, & majores, & has, & quæ commodè ante ablutionem accipi possunt, vel ante illam accipiendas esse, vel servandas in Sacrario; parvulas autem, quæ vix moraliter accipi possunt, nisi adminiculo ablutionis, in purificatione pyxidis sumi posse, non solùm primâ, sed etiam repetitâ sæpiùs ablutione, nec aliter obligare probat præceptum non communicandi absque jejunio naturali.

Notant autem communiter citt. DD. ejusmodi reliquias dari non posse infirmo, si hæ, postquam ille jam communicavit, & ablutionem sumpsit, primùm in patena, vel corporali reperiantur; quia accepta communione, & sumpta ablutione, finitum jam est convivium, & aliàs talis infirmus bis communicaret. De quo alibi fusiùs dictum est in libello de Confessione, & Communione p. 2.

CA-

CASUS XCII.

De Missæ auditione, loci distantia, & integritate.

CRispinus agricola, cùm per horam distet ab Ecclesia Parochiali, diebus Dominicis sæpè Sacrum omittit; non rarò primùm ad Offertorium venit, vel si ad initium Missæ veniat, sæpiùs Missâ nondum absolutâ ante Communionem discedit, & non rarò duas solùm Missæ medietates audit à diversis celebrantibus.

QUÆR. I. Qualis viæ distantia ab auditione Missæ excuset diebus ab Ecclesia præceptis, & quænam alia causa?

QUÆR. II. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui die festo primùm venit ad Offertorium, vel qui solùm audit Missam ab initio usque ad Communionem?

QUÆR. III. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ de Sacro audiendo, qui unam duntaxat partem Missæ audit ab uno, aliam verò ab alio celebrante?

541 AD 1. Q. R. Causæ, quæ juxta communem DD. ab auditione Missæ die festo excusant, ad quatuor capita, velut regulas generales reduci possunt. 1. Est impotentia Spiritualis, quoties scilicet ex auditione Missæ sequeretur damnum, seu detrimentum spirituale, puta peccatum proprium, aut alienum, seu proximi, ex quo capite excusantur excommunicati, & interdicti nominatim. Mater, si domi maneat ad vitandum damnum filiarum spirituale, si quidem sit periculum probabile talis damni. Item, si quæ sciret alteri, à quo perditè amaretur, secuturam occasionem peccati, si foras prodiret. &c.

2. Est impotentia corporalis, sive simpliciter talis, qualis est in carceratorum, lecto affixorum &c.

sive moralis, quoties scilicet sequitur, aut timetur damnum corporale aliquod notabile, seu jactura bonorum animi, corporis, fortunæ &c. Ex quo capite excusantur infirmi, qui absque detrimento nequeunt è lecto surgere, aut foras exire; & qui infirmis inserviunt, quos solos sine gravi incommodo deserere nequeunt. Item matres, & ancillæ, quæ infantibus assistere debent, quos solos absque probabili periculo alicujus damni relinquere non possunt. Similiter, qui iter faciunt cum aliis Sociis sibi utilibus, & opportunis, quos, si Missam audirent, deberent deserere non sine detrimento, eò quòd v. g. viam nesciant, aut timeant latrones. Item qui longè distant à loco, ubi Missa audiri potest, habita ratione personarum, viæ, temporis, & consuetudinis loci, vel si ex consuetudine patriæ fæminæ egredi non soleant tempore luctûs, vel etiam post partum.

3. Ad evitandum damnum honoris, & famæ, quoties scilicet non potest quis absque læsione honoris, aut famæ propriæ, vel alienæ audire Sacrum, ex quo capite excusantur, qui sine pudore, ac infamia domo exire non possunt, v. g. honesta mulier non honestè vestita, mulier ex occulta fornicatione prægnans, & timens, ne id advertatur, si foras prodeat &c.

4. Cùm timetur damnum rei propriæ, vel proximi, quoties scilicet aliquis in re propria, vel proximi notabile detrimentum patitur; ex quo capite excusantur, qui custodiunt castra, arces, vineas, gregem, & similia, quæ sine detrimento deserere non possunt. Item qui negotia majoris momenti ex officio tractant, ut Consiliarii, & hujusmodi, nec possunt ea differre absque detrimento. Item qui timent damnum si sibi â latronibus vel aliis inferendũ, si domum sine custodia deserant, ut Missam audiant; uti & famuli, qui non possunt alios invenire dominos, seu patronos, & ab his, quos habent, non conceditur tempus audiendi Sacrum, quamvis in hoc delinquant patroni, quando sine detrimento possunt eis tempus concedere Missam audiendi, & non faciunt; famuli verò tenentur oblata opportunitate tale ministerium relinquere, & alteri domino inservire, ubi Ecclesiæ præcepta servare possunt, siquidem continuò, vel perquam frequenter ab illis observandis impediantur, quòd si id non continuò, vel frequenter fiat, sed aliquando duntaxat, ad id non tenentur, nec peccant obediendo, præsertim si non facilè alios dominos, quibus serviant, invenire possint, dummodo patroni id

non

non faciant in fidei contemptum.

Porrò in his, & similibus casibus observandum est. 1. Ut quantum fieri potest, scandalum caveatur. 2. Ut si causa excusationis Manifesta appareat, non opus sit petere licentiam à Superiore, licet id securius, & decens sit, præsertim si impedimentum diu, aut ordinariè duraturum sit; si verò causa sit dubia, vel non satis sufficiens videatur, prudentes consulendi erunt,& eorum judiciô Standum.

542 R. 2. Quamvis distantia à loco, ubi Missa audiri potest, sit una ex causis excusantibus, qualis tamen, & quanta esse debeat, ut ab auditione Missæ die festo excuset, non convenit inter DD. aliis minus, aliis plus admittentibus. Dicastillo *de Sacram. tom. 1. tr. 5. cap. 5.* docet fæminas nobiles, delicatas, & alicujus authoritatis, non teneri pedestres ire ad Missam audiendam ultra unum milliare, seu mille quingentos passus; alias verò valentiores ad longius Spatium. Bonacin. *de Euch. D. 4. q. ult. p. ult. n. 12.* ad excusandum quemlibet ab audiendo Sacro expostulat spatium sex, vel septem milliarium Italicorum, quorum quodlibet continet mille passus. Marchinus *de Sacram. Ord. tr. 3. p. 3. cap. 17.* docet, satis laxè, milliare sufficere ad quemlibet excusandum à Missæ auditione. Leandrus *de præcept. Eccl. tr. 2. D. 2. q. 21.* ait distantiam unius leucæ sufficere ad hoc, ut quis à Missa audienda excusetur; quia cùm hæc distantia duplicari debeat eundo ad Ecclesiam, & redeundo ad locum, unde exivit, non debet censeri brevis, sed satis longa, ac sufficiens ad excusandum quemlibet à Missæ auditione. Idem de distantia unius leucæ, loquendo saltem de hominibus mediocriter valentibus affirmant Villalob. *tr. 8. D. 36. n. 5.* Suarez *D. 88. S. 6.* Fagund *l. 2. cap. 9. n. 10.* Diana, Tabien. Gobat & alii. Tannerus n. 38. & Busenb. ajunt spectandam esse loci consuetudinem.

Nobis respectu hominum mediocriter valentium, abstrahendo à malignitate tempestatis, videtur ad excusandum sufficere per se loquendo, distantiam unius bonæ horæ; respectu verò benè valentium, ac robustorum sesquihoram, siquidem Sacri omissio ob dictam causam subinde per annum contingat, & non frequenter. Ratio prioris partis est; quia distantia unius bonæ horæ computato itu & reditu, non videtur sanè brevis, nec carere notabili incommodo; præceptum autem piæ matris Ecclesiæ non censetur cum magna difficultate obligare, ut ex communi do-

cet Arriag. *de Euchariſt. Diſp. 57. n. 30.*

2. Quia diſtantia loci à templo excuſans à peccato benè deſumitur ex prudentum,& DD. judicio; atqui complures DD. cum Suarez l. c. Villalob. Fag. Fill. Lacroix *l. 3. p. 1. n. 687.* Palao, *Tr. 22. D. unic. pun. ult.* & hoc teſte,communis aliorum, cenſent ad excuſandum peditem regulariter ſufficere diſtantiam unius Hiſpanicæ leucæ, id eſt unius bonæ horæ, ut explicat Dicaſt. n. 182. ſeu quinque circiter horæ quadrantium. Ratio poſterioris partis eſt; quia videtur hîc faciendum eſſe diſcrimen inter minùs, & mediocriter valentes, & inter benè valentes, ac robuſtos, & minus viæ illis, quam iſtis aſſignandum: Unde Henriq. n. 10. non excuſat ruſticos, & operarios robuſtos propter diſtantiam unius leucæ. Dixi ſuprà per ſe loquendo; nam per accidens ratione aſperitatis viæ, malignæ tempeſtatis, aut alterius circumſtantiæ minor etiam diſtantia, proportionatè ad difficultatem, ſufficere poterit ad excuſandum. Dixi 2. Si omiſſio Sacri ſubinde per annum contingat; nam ſecùs dicendum eſſet, ſi ea frequens foret, aut quaſi continua, utpote, quæ nimis magnum aliàs cultûs divini neglectum, & imminutionem argueret, atque exiguam ſalutis curam, nec id fieret ſine ſcandalo, aut affectata ſcandali data occaſione.

In omnibus porrò ſupradictis caſibus notat Tolet. *l. 6. cap. 9.* quòd quamvis aliquando de facto non adſit vera cauſa excuſans, ſi tamen aliquis bona fide putet, eſſe veram, & ſufficientem cauſam, eum non peccaturum mortaliter, ſi tunc Miſſam omittat.

Ad 2. Q. Supponendum eſt ex §43
C. omnes fideles, C. Miſſas, C. cùm ad celebrandas, diſt. 1. de Conſecr. Miſſam integrè audiendam eſſe, atque adeò eum, qui die præcepto aliquam Miſſæ partem ſine juſta cauſa prætermittit, peccare, venialiter quidem, ſi ſit pars exigua, mortaliter verò ſi pars omiſſa ſit notabilis; quænam autem pars Miſſæ dicenda ſit notabilis, & ſufficiens ad peccatum mortale conſtituendum, multæ, & variæ ſunt DD. opiniones, in eo tamen plerique conveniunt, teſte Laym. *l. 4. tr. 7. cap. 3.* & Suarez *D. 88. Sect. 2.* non eſſe partem notabilem, ideóque non peccari mortaliter, ſi quis à principio Epiſtolæ, vel ſecundùm alios, à principio Evangelii usque ad Miſſæ finem interſit, vel à principio Miſſæ usque ad Communionem ſacerdotis. Inſuper ſatis convenit inter DD. peccari mortaliter ab eo,qui negligit culpabiliter Conſecrationem ſimul, & Communionem, eò quòd tunc ſubſtantia Miſſæ intermittatur, ſive hæc conſiſtat in ſola Conſecratione, uti multi tenent, ſive

sive in sola Communione, aut in utraque simul, ut alii contendunt. De cæteris tanta est DD. dissensio, ut nihil certi deffiniri possit. Complures ajunt omissionem tertiæ, vel quartæ partis Missæ fore mortalem. Palao *tr.* 22. *p.* 16. *n.* 6. censet, eum graviter delinquere, qui vel Consecrationem solam, vel Communionem solam omittit. Suarez *de Sacram. D.* 88. *Sect.* 2. cum Azor, Fagund. & aliis pluribus docet, absentiam ab initio Missæ usque ad Offertorium mortalem esse. Idem affirmat Marchant. *tom.* 4. *c.* 6. *q.* 4. de absentia tempore utriusque Consecrationis, & Coninck *q.* 83. *a.* 6. *n.* 285. de discessu ante peractam Communionem, qui unà cum Suarez l. c. Palao, n. 5. & aliis, eum quoque peccati mortalis reum pronuntiat, qui ad Missam venit finitâ quidem Epistolâ, sed nondum inchoato Evangelio, & reliquas Missæ partes audit solùm usque ad finem Communionis. Cardin. de Lugo *de Euch. D.* 22. *n.* 3. Henriq. *l.* 9. *c.* 25. *n.* 7. Laym. *l. c.* Burghab. *cen.* 2. *cas.* 86. & alii affirmant, non teneri fideles, sub mortali duo Evangelia in Missa audire, adeóque posse eos sine gravi culpa omittere principium Missæ usque ad Evangelium inclusivè.

544 Ego sentio cum benigniore sententia, quæ eum à peccato mortali excusat, qui venit ad Offertorium & ab offertorio reliquas Missæ partes attentè audit usque ad Evangelium S. Joannis inclusivè. Ratio est tum authoritas gravium DD. tum quia talis audit adhuc substantiam Missæ, & partes ejusdem principales cum uno Evangelio; non enim necessarium videtur audire duo Evangelia, ut notat Dicast. n. 38. cùm ultimum S. Joannis olim solitum fuerit penitùs omitti, prout notat etiam Laym. l. c. nec necesse est audire Evangelium proprium talis Missæ, sicut nec Missam proprii diei festi, sed sufficit quamcunque audire. Quam sententiam omninò probabilem pronuntiant etiam Suarez, Rodriq. Tamb. Palao, Dicast. Azor, Fill. & alii: imò Laym. l. c. refert, Amalarium *l.* 3. *de Eccles. Offic. c.* 36. significâsse fideles gravis culpæ damnari non posse, si ab Offertorio usque ad benedictionem Sacerdotis Missæ intersint, & licet Amalarius meritò, ferè ab omnibus deseratur, ipséque Laym. nihil contra communem hîc definire velit, addit tamen duriusculum videri, si hominem, qui circa Offertorium ad Missam accessit, peccati mortalis damnemus, quòd reliqua neglexerit, secluso contemptu, quando quæ principalia in Missæ Officio sunt, attentè audivit.

Ad 3. Q. Duplex potest esse 545
quæstio. 1. An satisfaciat præcepto qui *simul* Missam audit à duobus

Sacerdotibus, unam partem ab uno, alteram ab alio eodem tempore celebrantibus, ut si v. g. dum templum ingrederis, unus Missam incipiat, & alter in alio altari *jam* ad Consecrationem pervenerit, & dum hic Missam absolvit, alter ad Consecrationem perveniat, 2. An satisfaciat præcepto, qui *successivè* Missam audit à duobus Sacerdotibus partem scilicet ab uno v. g. â Consecratione usque ad finem, & partem alteram ab altero v. g. ab initio usque ad Consecrationem, aut viciſſim?

Et quoad primam quæstionis partem non modica fuit antehac controversia inter AA. & complurium gravium DD. probabilis sententia, affirmantium, eum præcepto Ecclesiæ satisfacere, qui à diversis celebrantibus duas tales Missæ partes *simul* audiret, non paucis ad id probandum adductis rationibus; verùm controversiam hanc, & Scholasticam litem diremit nuper Romanus Pontifex Innoc. XI. qui hanc proscripsit propositionem n. 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Idque meritò; nam Missa ex natura sua conflatur ex partibus successivis, ipsáque Ecclesia, dum Missæ auditionem præcipit, successivam partium Missæ auditionem intendit; sicut intendit in omnibus aliis similibus præceptis; sic dum præcipit recitationem Horarum Canonicarum, præcipit, ut successivè recitentur, aut audiantur: Unde non satisfaceret, qui simul audiret novem lectiones, quæ à novem simul legerentur, uti nec ille, qui recitaret unum Psalmi versum, quando Socius recitat alium: ergo neque satisfacit, qui à diversis plures Missæ partes simul audit; aliàs etiam satisfaceret, qui à diversis brevissimo temporis spatio 15. vel 20. partes Missæ simul audiret, quod esset præceptum eludere, & per se absurdum,

Nec obest, quòd complures, gravésque DD. antehac non sine ratione opinati fuerint, Ecclesiæ præcepto satisfieri per simultaneam plurium Missæ partium auditionem; nam ante hanc proscriptionem non liquidò constabat de mente Ecclesiæ, Missæ auditionem præcipientis, sicuti modò constat post factam proscriptionem.

Ad alterum Q. Membrum de partibus successivis, communis DD. apud Dian. *p. 5. tr. 14. R. 52. & p. 2. Tr. 17. R. 18.* tenet, præcepto audiendi Missam satisfieri ab eo, qui duas Missæ medietates à diversis celebrantibus successivè audit; quam sententiam amplectuntur Sotus *d. 13. q. 2. a. 1.* Navar. *c. 21. n. 2.* Medina *l. 1. c. 14. §. 9.* Dicast. *n. 39.* Saa *V. Missa auditio.* Nunus *q. 83.* 546

q. 83. a. 6. dub. 2. Gobat n. 143. Major, Henriq. Reginald. Trullen. aliique plures, Contra Suarez. Lug. Tamb. Coninck. Fagund. & alios.

Moventur ea ratione, quòd illa successiva auditio, licèt non terminetur ad unam Missam integram physicè, terminetur tamen ad unam Missam integram moraliter, & duæ tales partes æquipolleant uni unicæ integræ, nec Ecclesia præcipiat, ut audiatur tota Missa unius, sed ut tota; auditur autem tota, quando omnes partes illius sic audiuntur, esto non omnes legantur ab uno Sacerdote, sicut nec ab uno eodémque leguntur, quando uni non valenti ob supervenientem infirmitatem pergere in Missa jam cœpta, succedit alius, qui supplet.

Ex his patet, sententiam hanc nec ratione, nec magna authoritate destitutam esse, atque adeò verè, & practicè probabilem fore, quæ proin tamdiu in vera sua probabilitate manet, quamdiu aliud à Sede Apostolica non definitur.

CASUS XCIII.

De Missæ celebratione, applicatione, & obligatione Sacerdotis.

UGo Sacerdos, licèt nunquam, vel rarissimè per annum Missam legat, hoc tamen anno feria V. in Cœna Domini Missam celebravit in Sacello suo domestico, & die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum pro patre suo die præcedente defuncto.

QUÆR. I. An Liceat cuivis Sacerdoti privatim Missam celebrare die Jovis Sancto, & Sabbatho Sancto?

QUÆR. II. An in die animarum, seu Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum Sacerdotes Missas applicare debeant generaliter pro omnibus

bus fidelibus Defunctis, anve etiam in specie pro aliquo, vel aliquibus in particulari applicare possint?

QUÆR. III. An, & quomodo delinquat Sacerdos simplex, qui rarò, vel nunquam infrà annum Missam celebrat?

547 AD 1. Q. Licitum esse cuivis Sacerdoti die Jovis Sancto privatim & seclusoscandalo celebrare, saltem ante inceptam Missam solennem, docent Navar. *cap. 25. n. 88.* Vasq. *tom. 3. D. 232. cap. 2. n. 15.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tr. 3. p. 3. cap. 8.* Aversa *q. 11. S. 15.* Tamb. *l. 1. c. 6. §. 1.* Suarez *D. 80. S. 2.* Emmanuel Sà *V. Missa n. 23.* Gobat *t. 3. n. 219.* Sotus, Lugo, aliique cum & apud Dianam *p. 9. tr. 9. R. 24. & p. 4. tr. 6. R. 19.* & apud La Croix *l. 6. p. 2. dub. 3.* qui sententiam hanc satis communem appellat. n. 231. Rationem dat Vasq. l. c. quia neque jure scripto, neque consuetudine vetitum est hac die Missam celebrare.

Verùm ad consuetudinem quod attinet, hæc pluribus in locis obtinuit, ut uno celebrante reliqui communicent, in memoriam Christi Domini Apostolos communicantis, ejusdémque passionis, quam consuetudinem utique piè, ac laudabiliter servari convenit, quin & Tambur. l. c. fatetur, hanc esse praxim consuetam, & ipse Vasq. l. c. ait convenientius esse, ut eo die reliqui Sacerdotes præter solenniter celebrantem à celebratione abstineant, & ad imitationem Apostolorum de manu illius, tanquam de manu Christi, Eucharistiam accipiant. Imò Gavantus *Tit. VIII. de feria V. in Cœna Domini.* affert Rescriptum S. Rituum Congregationis datum 27. *sept. 1608.* jubentis, ut Clerus ea die in Missa communicet, quod servandum esse ait. l. c. n. 6.

Sabbatho Sancto cuivis pariter licere ob justam causam, & amoto scandalo, privatim celebrare censuerunt Sotus *dist. 13. q. 2. a. 2.* Sylv. Garc. Amic. Leand. Suarez l. c. Azor. Tambur. l. c. ubi ait nullam de hoc adesse prohibitionem, & si quæ fuit, jam abrogatam esse usu etiam timoratorum.

Verùm contrarium hodie cum aliis tenendum est tum ob consuetudinem, quæ jam invalvit, saltem in hisce partibus, tum quia sacra Rituum Congregatio *die 12. Febr. anni 1690. & die 11. Mart.* ejusdem anni censuit celebrationem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem Missarum die Sabbathi sancti omninò prohibendam in quibuscunque Ecclesiis & Oratoriis privatis, atque unicam Missam solennem celebrandam fore præcepit; sic enim loquitur: --- *In Sabbatho sancto omninò prohibentur Missæ privatæ in quacunque Ecclesia, aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine.*

548 Ad 2. Q. Communis sententia hactenus habuit apud La Croix *l. 6. p. 2. n. 515.* ut in festo animarum Missa ex intentione Ecclesiæ applicetur omnibus Defunctis in communi: Unde Gavantus *p. 4. in Rubr. Miss. tit. 15.* ita loquitur: Hoc loco monendi sunt Sacerdotes, sacrificium Missæ Defunctorum hac die applicandum esse omnibus defunctis ex intentione Ecclesiæ, neque ideò fit injuria iis, pro quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ; prævalet enim lex tacita rationabilis Ecclesiæ legi privatæ testatorum. Et licèt neuter Doct. ulteriorem rationem ibi afferat, suaderi tamen potest Ecclesiæ mens, & intentio hisce rationibus à Tambur. *l. 3. cap. 3. §. 1. n. 9.* adductis. 1. Quia hoc consuetudine ita introductum esse videtur. 2. Quia in titulo primæ Missæ Defunctorum dicitur: *Missa in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: si omnium*, ergo non unius, vel alterius in particulari; præsertim cùm & oratio in Missa illius diei sit generalis pro omnibus Defunctis. 3. Quia mens Ecclesiæ in tali solemni die videtur esse ut generaliter omnes Defuncti, etiam qui aliàs destituti sunt aliis suffragiis, sic adjuventur. 4. Quia etiam in Missis quotidianis Fundationum propter pietatem erga purgantes animas ita præsumi potest voluisse quoscumque Missarum Fundatores. Hæ tamen rationes non videntur Tambur. l. c. inducere obligationem, & præceptum, sed consilium duntaxat, & convenientiam, nec apparere, eam consuetudinem sub obligatione introductam esse, quod confirmat Responsum, quod legitur, datum à S. Rit. Congregatione 4. *Aug.* 1663. quòd eo die Missa applicari possit tum in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus Defunctis; cui, si authenticum est, poterit, qui vult, se conformare; ego in praxi sequor piam sententiam in suffragium, & auxilium tot animarum, quibus aliàs pauci, vel nulli suffragantur eo solenni die ab Ecclesia in solatium, & subsidium omnium Defunctorum piè ac sanctè instituto, idque menti piæ matris Ecclesiæ conformius esse censeo,

549 Ad 3. Q. An simplex Sacerdos vi solius Ordinis aliquando obligetur ad sacrificandum?

Non nulli etiam magni nominis DD. cum D. Bonavent. *in 4.*

dist. 12. *p.* 2. *a.* 2. Cajetan. *in* 3. *p. q.* 82. *a.* 1. Gabr. Soto, Victor. Angles, Dian. Tambur. aliisque censuerunt, non obligari Sacerdotem vi solius Ordinis ad sacrificandum, adeóque non peccare, saltem mortaliter, etsi intra annum, rarò, vel nunquam sacrificet, dummodo in Paschate communicet & abſit contemptus, eò quòd nullo jure id ſit expreſſum, nec appareat præceptum cum tanto rigore obligans, ut ait Tambur. *l.* 1. *cap.* 6. §. 2.

550 Verùm dicendum, quemlibet Sacerdotem ratione Ordinis, & Officii ſui Sacerdotalis graviter obligari ad hoc Sacrificium aliquoties offerendum, in præcipuis ſaltem feſtis, & maximè illis diebus, quibus fideles communicare ſolent. Ita S. Thom. *in* 3. *p. q.* 82. a. 10. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 88. Suarez *D.* 80. *S.* 1. Vasq. *D.* 252. *c.* 1. Averſ. *de Euch. q.* 10. *S.* 1. §. *Quarto.* Sylv. Regin. Durand. Palud. Tolet. Laym. aliique quàm plurimi, quorum ſententia inquit Sporer *n.* 461. communior, & ſine dubio probabilior eſt. Prob. 1. Ex Trident. *Seſſ.* 22. *c.* 1. *de Sacrif. Miſſ.* ubi loquens de Chriſto Apoſtolos Sacerdotes ordinante, *eisdem*, inquit, *eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* Et ideò etiam S. Pius V. contrariam doctrinam Cajetani expungi juſſit ex ejus Commentario.

Prob. 2. Ratione à S. Thoma adducta l. c. ubi ita loquitur: unusquisque tenetur uti gratiâ ſibi datâ, cùm fuerit opportunum ſecundùm illud 1. ad cor. 6. *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: Opportunitas autem Sacrificii offerendi non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrare, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur: unde Sacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omninò à celebratione ceſſare. Hæc ille; talis autem Sacerdos qui rarò, vel nunquam Miſſam legit, abutitur gratiâ ſibi conceſſâ contra citata Apoſtoli verba. Accedit, quòd eam obligationem ſatis interpretetur ſenſus communis, & praxis Sacerdotum timoratorum.

Certè talis, nomine duntaxat, Sacerdos exiguam ſanè ſuæ, & alienæ ſalutis curam oſtenderet, & minorem adhuc æſtimationem tam ſublimis, & excellentis dignitatis, qualis eſt Sacerdotium, quod ſuſcepit; ſi enim Sacrificare renuis, cur Sacerdotium aſſumpſiſti? ſi pauper es, cur theſaurum ſub terra latentem effodere

dere recusas? Si ex patrimonio Christi vivis, & fors opiparè, cur debitum servitium ei præstare negligis? Si æger es, uti planè es, cur medicinam respuis? Audi Bedam apud Gabriel. *lect. 87.* non de te, sed de Sacerdote non quotidie celebrante loquentem: *Sacerdos*, inquit, *non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidiô, & gratiâ, in Purgatorio existentes veniâ, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & se ipsum medicinâ, & remedio.* Neque dicas velim, S. Hieronymum Presbyterum Missas non celebrâsse; nam id falsum esse demonstrat Surius in ejus vita n. 22. Dein cùm & tu ad eum Sanctitatis, & humilitatis gradum perveneris, & tibi ita cordi fuerit eremus, & solitudo, faciliùs tunc veniam obtinebis, & dignitatem tuam, ac Officium pluris etiam æstimare disces.

CASUS XCIV.

De Dedicatione, seu Consecratione Ecclesiæ.

COnsecrata fuit nuper ab Episcopo nova Ecclesia quorumdam Religiosorum, ubi functio Consecrationis duravit ferè usque ad meridiem diei Dominicæ, quæ erat secunda post Pascha. Ubi exortâ inter ipsos Religiosos contentione, & controversiâ, quæsitum fuit.

QUÆR. I. Utrum Consecratio, & Dedicatio juxta Rubricas sint idem?

QUÆR. II. Utrum Religiosi illi pridie Consecrationis dicere possint Vesperas &c. & postridie Matutinum cum Laudibus &c. de Dedicatione?

QUÆR. III. Utrum privato in Sacello valeant Missam celebrare, (eo tempore, quo Consecratio actu durabat, & necdum erat completa) de Dedicatione?

551 AD 1. quæsitum R. *Consecrationem* & *Dedicationem* juxta Rubricas idem esse. Ita Gavantus in *Thesaur. Sacror. Rit. tom. 2. Sect. 8. cap. 5. n. 2. edition. recentioris.* Ubi ita loquitur: *Dedicatio Ecclesiæ est ipsamet Consecratio facta ab Episcopo, ut in Pontificali: quæ ita recolitur quotannis, ut Natalis dicatur dies dedicati templi- ex S. Leone Serm. de Machab.*

Aliud tamen est. *Dies Dedicationis*, & aliud *Dies anniversarius Dedicationis:* Unde *diversa tam* in Missali, quàm in Breviario assignatur pro illis *Oratio.*

Porrò ritum consecrandi,& dedicandi Templa ex veteri testamento sumpsit Ecclesia, ubi Moyses tabernaculum, & Salomon Templum Deo dicantes, precibus, & unctione Sacrârunt. Cæremonias in Consecratione observandas instituit S. Sylvester Papa, postquam Constantinus Imperator per Baptismum salutem, & sanitatem est consecutus, & lege à se latâ concessit Christianis per totum orbem, ut Ecclesias ædificare possent. Quod autem tam Episcopus consecrans, quàm Patroni Ecclesiæ consecrandæ sint jejuni tempore Consecrationis, & pridie quoque ejus diei jejunent, Statuit Leo Papa *in Epist. ad Diodor.*

552 Ad 2. Q. An scilicet in proposito casu Religiosi illi pridie Consecrationis possint dicere Vesperas, & Completorium, postridie verò Matutinum cum Laudibus &c. de Dedicatione?

R. affirmativè, loquendo de Casu, quo *Consecratio*, seu *Dedicatio* templi non fit in aliquo Festo, aut Dominica contra quodcunque aliud Officium privilegiatâ, v. g. Dominica in Albis, aut Feria II. vel III. Pentecostes, sed Dominica, vel Festo aliquo minore, uti hæc facta est Dominica secunda post Pascha.

Tametsi enim pro hac Resolutione non inveniam Authorem, aut Rubricistam, qui Casum hunc, ut ut frequentem vel obiter attingat, colligi tamen illa potest ex Rubrica, quæ extat tam in Breviario Romano *in Communi Dedicationis Ecclesiæ* (ubi de primis Vesperis, & Laudibus) quàm etiam in Missali Romano, post Missam *de anniversario Dedicationis*, §. 2. In quarum prima, cùm tam in 1. Vesperis (NB.) quàm in Laudibus *pro ipso Die Dedicationis Ecclesiæ*, & per hujus Octavam expressè præscribatur Oratio, in Officio recitanda, diversa ab ea, quæ in Officio dicenda est in Die Anniversario Dedicationis, ac per istius Octavam; & in secunda pro *ipso Die Dedicationis* non minùs præscribatur Missa in eodem dicenda, quàm *pro Die anniversario Dedicationis*,

tionis, cum diversis tamen Orationibus in utriusque Diei Missa dicendis, manifestè supponitur, Primò. Dari Casum, in quo tam Officium, quàm Missa dicenda sit de *ipso Die Dedicationis*, & *de hujus octava*; ad quid enim alioquin tam in *Officio*, quàm in *Missa* pro Die ipso Dedicationis, & pro hujus Octava in *Communi*, ut vocant, *Sanctorum* præscriberetur in Breviario, & Missali peculiaris oratio? Supponitur 2. etiam primas Vesperas in ejusmodi Casu dicendas esse pridie Consecrationis de *Die Dedicationis* subsequente, seu *Consecrationis*; ad quid enim aliàs Breviarium præscriberet etiam in primis Vesperis orationem dicendam pro *ipso Die*, ut ibi loquitur, *Dedicationis?*

Nec refert 1. Quòd pridie, & manè subsequente ante absolutam Consecrationem nondum sit consecrata Ecclesia: sicut enim pridie Diei Festi, quo Sanctus aliquis Confessor obiit, uti & per subsequentem octavam citra inconvenientiam, ac falsitatem dicitur: *Hoc die lætus meruit beatas scandere sedes*, (quia nimirum hæc verba dicuntur relatè ad tempus, quo re ipsa verificantur, & fictione Juris, ut ita dicam, Ecclesiastici, tam Vesper præcedens, quàm octava subsequens habentur pro uno, eodemque tempore, sive Die, licèt non pro singulis ejus partibus æqualiter verificentur) ita & hîc suo modo contingit.

Nec refert 2. quòd in Post communione Missæ, in ipsa Die Dedicationis dicendæ, verba illa: *Ut in hoc loco, quem Nomini tuo indigni dedicavimus &c.* Soli videantur Consecratori Celebranti convenire, aliis verò ad summum non nisi post Consecrationem celebrantibus; nam sicut in oblatione calicis ante hujus Consecrationem citra absurdum dicitur, ac sine omni falsitate: *Offerimus tibi Domine Calicem Salutaris*; ita etiam sine absurdo, & falsitate ante peractam templi Consecrationem in dicta oratione dicitur: *Quem Nomini tuo dedicavimus*; cùm sicut illud, ita & hoc in suo sensu verificetur; & sicut, quando in Canone dicitur: *pro quibus tibi offerimus*, vel *qui tibi offerunt*, tò *offerimus*, & tò *offerunt* alium sensum habet respectu celebrantis, & alium respectu procurantis Sacrum, aut cooperantis ad illud; ita & hîc tò *dedicavimus* suo modo & ei, qui re ipsa consecravit templum, & iis, qui ad ejus Dedicationem suâ vel operâ, vel intentione, aut votis, quibus illud divino cultui (eo ferè modo, quo quis aliquem librum suo Patrono) destinaverunt, ac dedicârunt, si non explicitè, implicitè omninò convenit. Quod autem Rubrica Breviarii, & Missalis

salis Romani assignans peculiarem orationem dicendam in *Officio*, & *Missa* Die ipsa Dedicationis, non concernat solum Episcopum Consecratorem; patet. 1. Ex eo, quia si hunc tantùm concerneret, non esset ratio orationem illam cum sua Rubrica ita absolutè ponendi in ipso Breviario omnibus communi, & quidem eô loco, ac modô, quô ponuntur Rubricæ, & orationes omnibus ad dicendas Horas obligatis communes, sed deberent potiùs poni vel in solo Pontificali, aut Cæremoniali Episcoporum inter alias Consecrationis cæremonias; vel addi deberet in ipso Breviario limitatio ad solum Episcopum consecrantem: Cùm ergo Rubrica, seu Jus Ecclesiasticum hîc non distinguat, nec nos distinguere debemus.

Patet ulteriùs 2. etiam ex eo, quòd Rubrica Breviarii sæpiùs allegata dicat: orationem illam dicendam esse *à Vesperis ipsius Diei Dedicationis, & per ejus Octavam*, Sed qui *Officium Diei Dedicationis* ab hujus primis Vesperis, & per ejus octavam dicere debent, non sunt Episcopus (quid enim ad hunc Octava) sed ii Sacerdotes, ad quos spectat Ecclesia consecranda: ergo hi, & non Episcopus, non modô possunt, sed debent illud recitare à primis Vesperis, & per octavam Diei Dedicationis, nisi aliud quid obstet.

Ad 3. Q. R. pariter affirmativè. Sequitur ex dictis; cùm enim die illo, quo dedicatur, seu consecratur Ecclesia, absolutè licitum sit celebrare Missam de Dedicatione illis Religiosis, ad quos spectat Ecclesia, ante consummationem Dedicationis, illicitum non erit in privato Sacello, aliove loco ad celebrandum idoneo die illo Missam dicere de Dedicatione, omissâ tamen in Oratione Secreta illâ parenthesi (si extra Ecclesiam celebretur) *ut quicunque intra templi hujus* &c. quemadmodum id aliquoties per annum contingit. Quantum tamen fieri potest Missæ privatæ non nisi post consecrata saltem altaria dicantur, quæ interdum Vespere præcedente, excepto Majori, solent consecrari. Cæterùm dixi suprà nisi aliud quid obstet; nam excipiendi sunt dies contra Officium quodcunque aliud vi Rubricarum privilegiati; quales sunt Festum Pentecostes cum primis duobus diebus sequentibus; nec non Dominica in Albis; item Dominica prima Adventûs &c. nam si in horum aliquo consecraretur aliquod templum, non nisi ab Episcopo Consecratore faciendum esset tali die de Dedicatione (dicendo in Missa solenni duas orationes 553

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nes sub una Conclusione, nempe & eam, quæ est de Dedicatione, & eam, quæ est de die currente) ab aliis autem die ipso, & per octavam nec Missam, nec Officium dicendum existimo in tali casu anno illo, quo tali die privilegiato dedicatur Ecclesia: & quia juxta recentiorem Missalis Rubricam hujusmodi dies sunt privilegiati contra quodcunque Officium, etiam primæ Classis, etiam Dedicationis, & Patroni, idcircò rogandus Episcopus Consecrator erit in tali casu, ut ad celebrandam *Anniversariam Dedicationem* Ecclesiæ decernat aliam diem, nempe vel diem Dominicam proximiorem, vel diem aliam magis commodam, & in tale festum, aut Dominicam privilegiatam non incidentem, ut sic non tantùm una alterius celebrationem non impediat, sed possint etiam Octavæ utriusque festi liberiùs celebrari, & populus, præsertim rusticus, majori frequentia colere diem Dedicationis anniversarium queat. Ita namque decrevit Sac. Rit. Congregatio 19. Februar. 1585. Extra actum verò Consecrationis non potest mutari ampliùs Festum anniversarium Dedicationis inconsultâ S. Sede Apostolica, ut eadem Sac. Rit. Congregatio apud Gavantum decrevit.



CA-

CASUS XCV.

De Jubilæo lucrando.

Titius lucraturus Jubilæum aliqua opera ex injunctis peragit in Statu peccati mortalis; ultimum tamen opus ponit in Statu quidem gratiæ, sed cum affectu vigente ad aliquod veniale peccatum, vel certè cum peccato aliquo habituali non retractato.

QUÆR I. An dici possit, quòd Titius, ultimum opus præscriptum faciens cum affectu ad aliquod peccatum veniale, lucratus sit Indulgentias Jubilæi?

QUÆR. II. An ad Jubilæum lucrandum requiratur Status gratiæ pro totò illo tempore, quo opera injuncta ponuntur, anne sufficiat Status gratiæ pro solo illo tempore, quo ultimum opus perficitur?

QUÆR. III. An, si ultimùm opus factum fuit in Statu peccati mortalis, recedente fictione, seu peccati obice, reviviscat postea Indulgentia?

554 PRo resolutione primi Q. adverto, Indulgentiam dividi in totalem, & partialem, *ex Extravag. Unigenitus de Remiss. & Pœnit.* Totalis dicitur ea, quæ homini justo applicata omnem omninò pœnam ex peccatis ejus reliquam extinguit. Partialis vel est indeterminata, ut si remittatur tertia vel quarta pars pœnæ; vel determinata, v. g. centum annorum. Porrò totalem Indulgentiam subdividunt aliqui in plenam, seu plenariam, pleniorem, & plenissimam, quorum omnium meminit Bonifacius VIII. in *Extravag. Antiquorum de pœnit. & remiss.*

Hinc D. Antonin. Navar. Reginald. Major, & alii apud Palaum *pun. 14.* putârunt, id discriminis inter eas intercedere, quòd plenaria totam relaxet pœnam eorum

rum duntaxat criminum, quæ per Confessionem expressa fuêre: Plenior verò totam eorum omnium, quæ fuerunt expressa per Confessionem, & simul eorum lethalium, quæ fuerunt omissa in Confessione per inculpabilem oblivionem. Plenissima denique totam omnium tam expressorum, quàm omissorum non lethalium solùm, sed etiam venialium.

555 Hinc autem dicunt iidem AA. concessâ Indulgentiâ plenariâ simpliciter nunquam censeri concessam pleniorem, aut plenissimam; cùm concessio Indulgentiæ sit Strictè interpretanda: At concessâ Indulgentiâ omnium peccatorum, aut plenariâ in forma Jubilæi censeri datam esse plenissimam.

Plenissima autem est, cùm datur contritio, vel attritio, cum Sacramento Pœnitentiæ ex motivo universali extendente se ad omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, ut omnia simpliciter aliquis detestetur, vel ex motivo contritionis quatenus opposita bonitati Dei, vel ex motivo attritionis, quod diversum esse debet pro peccatis mortalibus, & aliud pro peccatis venialibus, nisi forsan quis ex motivo turpitudinis peccati illa detestaretur; nam hæc reperitur in quavis malitia veniali, & mortali.

Jam ex hac sententia patet, Titium non potuisse lucrari Jubilæum, in quo conceditur Indulgentia plenissima; plenissima enim esse non potest, ubi viget aliquis affectus ad peccatum veniale, quippè quo supposito respectu hujus peccati non potest remitti pœna; cùm certum sit apud AA. non remitti pœnam, nisi remissâ priùs culpâ; remitti tamen posse pœnam debitam peccatis, de quibus est dolor, & Confessio saltem peccatorum mortalium, si hæc requiratur, prout requiritur in omni Jubilæo, sive ut conditio, sive ut requisita aliàs ex Tridentino, antequam quis Eucharistiam sumat, & tunc fore non Indulgentiam plenissimam, sed plenariam, vel pleniorem juxta Superiùs dicta.

Hi itaque AA. non repugnabunt, Titium, quantumvis non lucraturus esset Jubilæum, hoc est, Indulgentiam plenissimam, lucraturum tamen esse Indulgentiam plenariam.

Verùm hæc Navarri, & aliorum doctrina non probatur plerisque aliis AA. Suarezio *D. 50. Sect.* 4. Bellarmino, Tolet. Lug. Coninck, Sot. Cardub. Medin. Henriq. &c. idque saltem his temporibus, & spectato præsenti usu Ecclesiæ, ut ait Viva, quidquid fortasse in usu antiquitùs fuerit.

556 Hi itaque AA. omnes docent plenariam, pleniorem, & pleniſſimam nihil inter ſe penitus diſcrepare, vocarique aliquando pleniſſimam ſolùm ad exaggerationem, & majorem commendationem; præſens quippe uſus Eccleſiæ, & ut ait Gobat, modernus Stylus Curiæ Romanæ docet per plenariam id ipſum deſignari, quod per pleniſſimam intellexit Navarr. cum aliis citt. ut proinde quoties datur Indulgentia plenaria, toties jam cenſeatur dari, & fieri relaxatio omnium pœnarum, quas quis in Purgatorio luere debet.

557 Verùm hinc non levis difficultas inſurgit ad 1. Q. imò non obſcurè deduci videtur, Titium in Caſu poſito nihil Indulgentiarum obtinuiſſe; cùm enim pleniſſimam obtinere non potuerit, ut patet, ergo nec plenariam obtinuit, ſi plenaria, & pleniſſima in idem recidant.

Sed neque partialem obtinere potuit; quia Pontifex partialem non impertit, ſed plenariam; Indulgentiæ autem tantum valent, quantum ſonant, ut habet commune axioma: atqui in Bulla ſonant Indulgentias plenarias: ergo &c.

Conf. Quia ſi partialem ſaltem obtinere poſſet, tunc vel eſſet decem, centum, vel mille annorum; nam ut obſervant AA. Indulgentiæ, ex quarum formula non conſtat quantitas pœnarum remittendarum, irritæ ſunt, & nullæ, ut ſi diceretur: qui hoc fecerit, conſequetur Indulgentiam plenariam, vel ſi quid obſit, quò minùs ſit plenaria, conſequetur Indulgentiam partialem, nihil definiendo, quanta pars remittenda ſit, talis conceſſio juxta Suarez d. 56. Sect. 1. Coninck, & alios irrita eſſet; quia effectus in re non datur, niſi determinatus: atqui id ipſum contingeret in caſu noſtro, ſi Titius ob affectum vigentem ad peccatum veniale non poſſet lucrari plenariam, prout re vera non poteſt: ergo &c.

Conf. 2. Quia hîc non valet dicere, quòd qui concedit, quod eſt plus, cenſeatur concedere etiam quod eſt minus in eodem genere, ſi illud plus obtineri non poſſit; nam præterquam quod univerſale non ſit illud effatum, ut patet in Deo, qui per pœnitentiam remittit pœnam æternam, non tamen etiam temporalem in Purgatorio luendam, & conceſſa poteſtate in corpus Chriſti reale, non hoc ipſo cenſetur conceſſa in corpus myſticum, niſi illa ſpecialiter concedatur; ita etiam conceſſa facultate lucrandi Indulgentiam totalem, non hoc ipſo cenſetur data facultas lucrandi partialem, niſi hoc ipſum expri-

non tamen visitâsset unam ex præscriptis Ecclesiis, partialem saltem aliquam Indulgentiam lucraretur; nam opera omnia integrè perficere est conditio, sub qua implenda conceditur Jubilæum, & non aliter, ac proinde si opera non perficiantur integrè, conditio non est impleta, & ideò concessio nihil operatur; at verò omnium peccatorum retractatio, est quidem conditio, ut quis totaliter Indulgentiam lucretur; non verò ut partialem; cùm ergo partialis esse possit, & quidem non indeterminata, & vaga, sed determinata eorum peccatorum, de quibus est dolor, & retractatio, admitti potest ex mente, aut præsumptione Pontificis, ne ejus voluntas omninò frustretur, quòd Titius lucratus sit Indulgentiam partialem, seu relaxationem pœnæ debitæ peccatis, de quibus est dolor, & retractatio.

Secunda ratio est, quòd AA. ad lucrandum Jubilæum solummodò requirant, ut saltem ultimum opus fiat in gratia, ut patebit ex dicendis, non exigentes dolorem illum universalem, quò quis retractet omnia simpliciter peccata etiam venialia: ergo concedunt posse Titium Jubilæi fructum consequi, saltem secundùm ea peccata, quæ retractat, & hic DD. sensus cum ratione præcedente insinuata opinionem hanc valde probabilem facit.

Ego utrique sententiæ aliquid 559
deferendum puto, & quidem priorem sententiam locum habere, si Titius voluntate reflexa vellet habitualiter permanere in aliquo peccato veniali, & multò magis si cum actuali affectu vellet in aliquo veniali perseverare; tunc enim videtur, Titium nihil de Indulgentia lucraturum; quia dignus non est accipere partem, cui offertur totum, si & totum possit habere, & illô indigeat, & per ipsum stet, quominùs accipiat.

Accedit, quòd, prout advertit P. Gobat, Indulgentiæ dentur à Pontifice ea intentione, ut quis lucretur eas integrè: ergo cùm Titius possit integre eas lucrari, si se disponere velit, & tamen non faciat, non erit intentio Pontificis, ut nolens illas integrè lucrari, lucretur illas saltem partialiter, & eo modo, quo ipse vult.

Contrà verò censeo, Titium lucraturum partialiter saltem Indulgentias Jubilæi, si præter quasi intentionem, & ex fragilitate objens ultimum opus v. g. Communionem, aut visitationem unius ex Ecclesiis laberetur in aliquod peccatum veniale, v. g. vanæ gloriæ, impatientiæ, aut distractionis.

exprimatur; nam si partialem vellet, posset Pontifex & deberet sub disjunctione concedere plenariam, si quis plenariam velit, vel partialem centum, vel mille annorum vel tertiæ partis pœnarum, si tantùm partialem lucrari velit; quis autem hucusque Bullam Jubilæi ita interpretatus est? Accedit, quòd cùm nullam determinatam pœnam exprimat Pontifex, quæ remitteretur casu, quo plenaria non obtineretur, irrita esset concessio juxta suprà dicta, quia effectus in re non datur, nisi determinatus.

Conf. 3. Si quis poneret medietatem operum injunctorum v. g. visitationem Ecclesiæ, & dationem Eleemosynæ, non lucraretur medietatem Indulgentiæ, quia hæc conceditur indivisibiliter: ergo pari modo si non remittitur pœna alicujus venialis non remissi, nulla simpliciter pœna remittitur; quia aliàs Indulgentia daretur divisibiliter.

Porrò quamquam allatæ rationes probabilem reddant sententiam affirmantem vi Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ plenariè concessæ vel obtineri Indulgentiam plenariam, vel nullam.

558 Nihilominus opposita sententia non caret sua probabilitate, & rationibus. Prima ratio est; quia ut ait Gobat fol. 254. n. 278. haud dubiè potest efficaciter velle Pontifex, ut Titius nihilominus obtineat remissionem omnium pœnarum cæteris peccatis, de quibus dolet, debitarum: imò non tantùm posse, sed etiam re ipsa velle Pontificem, ut earum pœnarum obtineatur eo in casu remissio; tum quia voluntas Principis non debet frustrari, *cap. in his de privil.* tum quia in dubio potiùs est accipienda præsumptio, ut actus ex parte valeat, quàm ut penitùs pereat, ut adeò si dispositio pœnitentis non sit sufficiens pro plenaria, saltem sufficiens sit pro non plenaria; verba enim aliquid operari debent: *cap. si Papa de privil. in 6.* ergo etiamsi dispositio pœnitentis non sit sufficiens pro plenaria, erit saltem pro non plenaria; quando enim à Pontifice conceditur Indulgentia plenaria sub ratione totalis, & plenissimæ, sensus est, ut ait Dominic. Viva Quest. 6. a. 2. quòd concedatur plenissimè juxta capacitatem subjecti; subjectum autem capax non est, ut ei remittatur pœna debita veniali non remisso: ergo Indulgentiam plenariam non simpliciter, sed quoad ejus fieri potest juxta propriam dispositionem lucratur is, qui habet venialia, quamvis per illam omnis omninò pœna non remittatur.

Nec tamen hinc sequitur, quòd qui pro Jubilæo v. g. jejunâsset,

nis voluntariæ, quod nec formaliter, nec virtualiter deteſtaretur non advertens ad neceſſitatem illud retractandi ex hypotheſi, quòd plenarias Indulgentias velit lucrari. Ratio autem eſt; quia tametſi nulla Indulgentia remittat unquam culpam aliquam ne venialem quidem directè juxta communem DD. cùm Indulgentia ſit relaxatio, & remiſſio pœnæ, & non culpæ, & remiſſio pœnæ ſupponat remiſſionem culpæ, indirectè tamen ſæpè dimittitur culpa per exercitium orationis, & maximè Dominicæ precationis, in qua petimus dimitti peccata quotidiana, quæ etiam à juſtis non nunquam committuntur: Unde fieri poteſt, ut qui orationem inchoavit cum peccato aliquo veniali, illud tamen ſibi remittatur per ultimam partem illius orationis, v. g. per ultimum Pater, & Ave, quod cum attentione recitat, atque adeò cùm ultimam partem exequitur, immunis quoque ſit à peccato veniali per retractationem ſaltem virtualem, qualem ex mente S. Aug. continet recitatio devota precationis Dominicæ, quo poſito etiam plenariam poterit Titius obtinere, niſi aliunde aliud obſtet.

Quod ſi autem ponamus Titium non carere omni culpa veniali habituali, cujus nimirum per negligentiam, vel inadvertentiam non pœniteret; nihilominus tenendum eſt, eum lucrari non quidem plenariam Indulgentiam, quia plenaria eſſe non poteſt ob præſentem culpam venialem non retractatam, ſed partialem de peccatis omnibus, de quibus dolet. Ratio præter ſuprà allatas eſt, quòd non ſit credibile, Pontificem non aliter voluiſſe Jubilæum obtineri, niſi ab iis, qui omninò mundi & immunes eſſent à culpa etiam veniali, quod vix ſperari poteſt, ſaltem à communi hominum fece, & ab homine ſæcularibus negotiis implicito, attenta quoque hominum fragilitate, & in leves culpas proclivitate; nec expectare potuit à Sæculari, quod deſiderari poteſt in Religioſo, ut ita quis liber ſit ab omni affectu, ut tota ejus mens feratur in Deum, & præter Deum nihil cupiat, nihil inordinatè amet; ut adeò rectè dicatur cum citt. Viva, Pontificem plenariam Indulgentiam concedere juxta capacitatem ſubjecti. Ex ſuprà relatis colligi hîc poteſt, vel maximè conſultum eſſe, ut, dum ultimum opus injunctum peragitur, conetur unusquisque eos actus elicere, & exercere, quibus venialia omnia retractentur, ac remittantur, ut ſimpliciter, & abſolutè plenaria Indulgentia obtineatur.

560 Ad 2. Q. An requiratur Status gratiæ pro toto illo tempore, quô opera injuncta ponuntur? Affirmativè reſpondet Cajetanus in Tract. de Indulg. cap. 9. ubi contendit, eum, qui Indulgentiam conſequi cupit, charitate ornatum eſſe debere, tum tempore uſus, tum tempore operis, quod fieri præcipitur. Cajetani ſententiam amplectuntur Navarrus in lib. de Jubil. & Indulg. notab. 17. n. 11. Armilla V. Indulgentia, n. 14. Comitol. q. 37. Hadrianus, & alii. Moventur 1. Quia juxta tenorem Bullæ Jubilæum iis duntaxat conceditur, qui verè pœnitentes, & Confeſſi viſitaverint Eccleſias præſcriptas, jejunaverint, oraverint &c. ergo videtur, quòd hæc fieri debeant à verè pœnitentibus &c. adeóque in Statu gratiæ exiſtentibus.

2. Quia opera, quæ à Pontificibus in Jubilæo præſcribuntur peragenda, injunguntur in Dei obſequium, ad Deum placandum, ad ejus juſtiſſimam iram avertendam, ad aliquod ingens bonum promerendum &c. atqui opera, quæ extra Statum gratiæ fiunt, cùm ſint opera inimici Dei, non poſſunt eſſe in obſequium Dei, & ad Deum placandum: ergo non ſunt opera requiſita ad obtinendum Jubilæum, præſertim cùm opus ad lucrandam Indulgentiam requiſitum, debeat eſſe meritorium, ut cum aliis notat Navarr. citt.

Nihilominus communis DD. ſententia cum Suarez D. 52. Sect. 5. D. Antonin. in 1. part. Summ. tit. 10. cap. 3. §. 5. Sylveſt. Palao pun. 8. Laym. Bonac. Felin. Palud, & aliis veriùs docet ſufficere Statum gratiæ, dum ultimum opus injunctum perficitur, quô applicatur Indulgentia, attenta ſcilicet communi forma concedendi Indulgentias; quia dubium non eſt, quin poſſit Pontifex poſtulare Statum gratiæ etiam pro tempore, quô injuncta opera peraguntur ſub tali pia conditione, prout ipſe voluerit, & expedire judicaverit, uti advertit Suarez l. c.

Probatur communis ſententia 1. Quia Summus Pontifex poteſt Indulgentiam concedere ſub conditione talis operis abſtrahendo ab hoc, quòd in gratia, vel ex gratia fiat; cùm hoc non obſtante adeſſe adhuc poſſint conditiones ad Indulgentiam requiſitæ, ſcilicet utilitas, & honeſtas finis, auctoritas in concedente, & capacitas in recipiente, quam ſufficit habere, ſi tempore, quo applicatur Indulgentia, ſit in gratia: ergo quoties expreſſè aliud non declarat Pontifex, prout in communi forma concedendi Indul-

dulgentias contingit, conceſſio Pontificia ita eſt interpretanda, tum quia cùm Indulgentia favorabilis ſit; latè eſt interpretanda, quantum verba patiuntur; hæc autem Confeſſionem, vel contritionem requirit duntaxat ad effectum Indulgentiæ; non verò ad ſingula opera, & aliàs quando in Jubilæis plura opera peragenda præſcribuntur, deberet ſimul exigi, ut Confeſſio anteponatur reliquis operibus, ut hæc in gratia fierent; quod tamen nunquàm fit, ſed potius contrarium apud plerosque contingit, qui ante Confeſſionem peragunt alia injuncta opera, & quàm plurimi antequam confiteantur, non ſunt in Statu gratiæ conſtituti, ſícque pauci Indulgentiam lucrarentur. Unde Laym. l. 5. tr. 7. cap. 7. Conſultiùs eſſe ait, opera injuncta priùs perfici, tum ut animus hominis ad Sacramenta digniùs & cum majore reverentia, & fructu ſuſcipienda præparetur; tum quia probabiliſſimum eſt, Indulgentiam peccatorum accipi, cùm omnia præſcripta fideles impleverunt, ſi eo tempore ſunt in Statu gratiæ; de quo & Indulgentiæ conſecutione certiores, & ſecuriores erunt, ſi ultimo loco ritè de peccatis confeſſi Sacram accipiant communionem; quamquam utique etiam conſultius ſit ante omnia de peccatis confiteri, ut reliqua opera in Dei gratia peragantur.

Prob. 2. Quia Status gratiæ non requiritur propter meritum ita ſcilicet ut opus meritorium, aut ſatisfactorium ſit de condigno, quia ratio Indulgentiæ non fundatur in proprio merito, vel Satisfactione recipientis; ſi enim Indulgentia eſſet ex propriis meritis, jam non eſſet Indulgentia, ut notat Gloſſ. in *Extravag. Antiquorum de Pœnit. & Remiſſ.* Sed Status gratiæ requiritur duntaxat ad hoc, ut ſubjectum capax ſit talis effectus, quando Indulgentiæ effectus eſt ponendus, ſcilicet quando ultimò perficiuntur opera injuncta, & applicatur Indulgentia. Unde

Ad rationes in contrarium R. ad 1. per verba Bullæ indicari duntaxat exigi Confeſſionem tanquam diſpoſitionem neceſſariam ad Indulgentiam obtinendam; non verò expreſsè requiri, ut priùs quis confiteatur, & ponatur in Statu gratiæ, & deinde viſitet Eccleſias, oret &c. adeóque ſufficere, ſi quis in Statu gratiæ ſit eo tempore, quo Indulgentiæ effectus ponendus eſt, ad quem obtinendum Confeſſio, & reliqua opera injunguntur, & poſtulantur.

Ad 2. R. Opera peccatoris poſſe eſſe in Dei obſequium non quidem tanquam meritoria ex condigno, ſed tanquam meritoria, & impetratoria ex congruo, utpo-

utpote quæ sunt ex auxilio supernaturali, ac propter finem ultimum supernaturalem ac in Dei obsequium, Deúmque placantia; & licet sint opera peccatoris, seu inimici; sunt tamen opera inimici tendentis ad reconciliationem cum Deo, hominémque disponunt saltem remotè ad relinquenda vitia & ad gratiam impetrandam, & idcirco Deo placent, quatenus sunt ex motione ipsius convertentis hominem ad se. Accedit, quòd ad concedendam Indulgentiam sufficiat, quòd opera injuncta ex se sint honesta, & bona, ut ex iis redundet utilitas communis, & Dei gloria, etiamsi ex fine extrinseco sint mala, & vitientur, dummodo de se sint satisfactoria, ut elevari ad satisfactionem ex opere operato possint.

561 Ad 3. Q. An, si ultimum opus totum fiat in Statu peccati mortalis, remoto deinde obice, seu si postea pœniteat, reviviscat Indulgentia? Affirmant Diana *part. 4. tr. 12. R. 4.* Henriq. *l. 2. cap. 4.* Quintado. Granad. Palud. & alii; saltem pro casu, quo Titius confiteretur, & dolorem aliquem conciperet, bona fide existimans, se legitimè confessum, & contritum, & tamen non justificaretur, eò quòd dolori deficiat aliqua qualitas requisita; quo in casu putant, eum, qui in Statu peccati mortalis omnia opera injuncta posuit, deinde recedente fictione per contritionem, vel Confessionem effectum Jubilæi consequi. Rationem dant 1. Quia quamvis propter occultum, & inculpabilem defectum non receperit gratiam, credendum tamen est de pietate Ecclesiæ, eam ita dispensâsse thesaurum, ut Titio prosit, cùm primùm fuerit justificatus; quòd enim Ecclesia ita thesaurum dispensare possit, non est impossibile; imò re ipsa dispensare suadet ejus pietas, quæ non patitur fideles tanto bono privari propter prædictum effectum.

Confirmatur; quia Baptismus in Statu peccati mortalis susceptus, recedente fictione, sortitur suum effectum, saltem quando bona fide receptus fuit ab eo, qui credebat esse se benè dispositum. Ergo idem videtur dicendum de Indulgentiis. Prob. conseq. quia dictum Sacramentum Sortitur postea ideò suum effectum; quia ille est ex opere operato: atqui effectus Indulgentiæ est etiam ex opere operato: provenit enim ex applicatione operum Christi, & Sanctorum &c. ergo.

Oppositum tamen, tenent Suarez *D. 52. S. 2.* Coninck *D. 12.* 562
de Sacram. cap. 7. Sotus, Palao, Filliuc. Sà, aliíque communiùs; quia, ut ajunt, non habetur sufficiens

ciens fundamentum credendi hanc esse Summi Pontificis intentionem; Indulgentiæ enim effectus pendet ex voluntate concedentis: ergo si Pontifex velit tunc poni effectum Indulgentiæ, quando primò posita sunt omnia opera requisita, interjecto obice ipsi effectui, nequit tunc effectus poni, stante illo impedimento, ut patet; sed nec poni potest recedente fictione, seu obice; quia Pontificis voluntas, quæ est causa talis effectûs, solùm vult illum causari, quando primò posita sunt opera injuncta, non verò deinceps, & quandocumque quis justificabitur; hoc ipso enim quòd Pontifex tempori determinato Indulgentiam annectat v. g. anno sancto, si quis post annum Jubilæi, seu tempus determinatum per contritionem, aut Confessionem justificaretur, deberet obtinere Indulgentiam post illud tempus, quod est contra mentem concedentis, & verba Bullæ; & licèt possit Pontifex, (quod tamen non nulli negant cum Cajet. apud Suarez l. c.) concedere Indulgentiam, quæ tali modo conferat effectum; dicendum tamen non est ita defacto contingere, tum ob allatam rationem, tum quia, ut inquit Coninch l. c. valde liberalis sic fieret remissio pœnarum peccatori, si ei conferretur hujusmodi remissio sub conditione, quòd justificetur, quandocumque id fecerit, hoc enim, ait ille, videtur dedecere prudentem dispensatorem Thesauri Ecclesiastici.

Confirmatur, vel Pontifex applicat Thesaurum Ecclesiasticum homini pro eo tempore, quo est in gratia, vel pro eo tempore, quo gratia caret? si hoc posterius, talis intentio est irrationabilis, & contra jus divinum, hoc ipso, quòd talis homo sit incapax effectûs Indulgentiæ. Si prius fiat, tunc statim applicatio habebit suum effectum in homine existente in gratia; in eo verò qui caret gratia nunquam habebit; quia ad illum non dirigitur intentio, & applicatio, cùm defacto ex mente Pontificis, & verbis Bullæ contrarium colligatur, uti etiam ex *L. pecuniam, ff. si certum petatur.* Ubi concessum sub una conditione censetur ademptum sub oppositâ: cùm ergo Pontifex Indulgentiam concedat sub conditione statûs gratiæ, sub privatione gratiæ censeri debet hujusmodi beneficium adimere, & Indulgentiam non concedere.

Nec paritas est cum iis Sacramentis, quæ recedente fictione reviviscunt; cùm id fiat ex speciali privilegio, & propter specialem causam, quæ in Indulgentiis locum non habet; & Baptismus quidem reviviscit recedente fictione, & gratiam cau-

sat; quia cùm talis effectus sit simpliciter necessarius ad salutem, & Baptismi Sacramentum sit irreiterabile, debuit ita institui, ut effectum causaret, vel quando primò posita sunt constitutiva Sacramenti, si tunc non interponatur impedimentum, vel quando post constitutiva posita tollitur impedimentum per aliquod medium aptum v. g. contritionem &c. quæ ratio non pugnat pro Indulgentia, nec hoc modo à Pontifice concessa fuisse censetur. Præterea Sacramentum verè perficitur, & applicatur homini absque effectu propter fictionem, quâ postea sublatâ datur effectus propter Sacramentum priùs applicatum; Indulgentia verò in se re vera non perficitur, neque applicatur, quia nec conditio ad illam requisita impleta est, nec etiam facta est applicatio Thesauri, donec contritio habeatur juxta formam concedentis. Ex his patet etiam responsio ad rationes in contrarium allatas.

Illud tamen hîc concedendum arbitror, si quis pœnitens, & contritus obicem removeret durante adhuc Jubilæo, Indulgentiam reviviscere, etsi non repetantur opera injuncta, quia, ut suppono, omnia opera requisita peregit, & modò est in Statu gratiæ, & capax, ut obtinere possit relaxationem pœnæ ac remissionem, quæ adhuc fieret intra tempus assignatum, & concessum ad Indulgentiam lucrandam.

CA-

CASUS XCVI.

De scandalo, & subministrantibus indifferentia &c.

ADonius caupo venientibus ad se hospitibus Catholicis, & Lutheranis etiam diebus aliàs prohibitis cibos, & potum ministrat, etsi sciat, & videat, eos jejunium, & abstinentiam à carnibus violare; & sæpiùs se inebriare: imò eos invitat, ut sæpiùs redeant.

QUÆR. I. An, & quomodo peccet, qui vendit, aut ministrat indifferentia, ex quibus proximus sumit occasionem peccandi?

QUÆR. II. An graviter peccet Caupo invitans die jejunii hospitem ad cœnam, qui alibi aliàs est jejunium violaturus?

QUÆR. III. An, & quomodo delinquant tabernarii, & Caupones ministrantes die jejunii cibos hospitibus, quando credunt eos à jejunio non excusari, vel vinum vendentes se inebriaturis?

563 ANte 1. Q. resolutionem notandum est. 1. indifferentia hîc vocari ea, quæ bono, & malo usui deservire possunt, è quibus alia sunt, quæ regulariter in malum usum omni tempore destinantur, ut venditio veneni, clavis falsæ, idoli &c. esto aliquibus personis in bonum usum deservire possint. Alia, quæ solùm aliquo tempore ad malum usum adhibentur, ut carnium comestio in Quadragesima, quæ omnibus communiter prohibetur, ac proinde earum præparatio, & venditio communiter illo tempore in malum usum destinatur. Alia denique quæ potiùs in bonum destinantur, ut venditio armorum, animalium, & aliarum rerum, quæ communiter venduntur, & emuntur, in bonum usum destinantur, licèt non nulli subinde illis malè utantur.

Notandum 2. Ad peccatum concurrere, seu cooperari materialiter ministrando materiam, ac facultatem peccandi, non semper malum esse, ac prohibitum, sed interdum licitum esse, si hæc tria concurrant, ut communiter notant DD. 1. Ut cooperatio secundùm se moraliter bona sit, vel saltem indifferens. 2. Ut bona intentione sive ex motivo alicujus virtutis fiat, & nequaquam intentione movendi alterum ad peccatum; quia licèt nefas sit cooperari alterius peccato formaliter, ut peccatum est; fas tamen est interdum ex causa cooperari materialiter operi, quod peccatum est. 3. Ut proximi peccatum impedire nequeas, vel saltem impedire non tenearis, sed ob aliquam causam intervenientem permittere possis; ubi gravior cæteris paribus causa requiritur, si peccatum, ad quod materialiter cooperaris, adversus justitiam sit, seu aliis perniciosum; major item requiritur, quando cooperatio materialis ad peccatum magis per se, ac propinquior est; minor verò si cooperatio sit tantùm per accidens, & remota; id quod prudentis judicio pensandum erit omnibus consideratis. His notatis.

564 R. 1. Ministrantem quantumvis indifferentia eis abusuro, ea intentione, ut alter pravam suam voluntatem exequatur, participem fore ejusdem culpæ juxta unanimem DD. consensum cum S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2. quia id est directè ad malum cooperari. Secùs, si ministrans indifferentia ad bonum, & malum usum, aut ea vendens, inscius sit pravæ voluntatis alterius, nec justam malè suspicandi causam habeat, quòd suum non sit discutere, an benè, vel malè alter utatur, nec ipse malum de proximo præsumere debeat.

565 R. 2. Non est tibi fas, vendere, aut præparare res, quæ communiter ad malum usum destinantur, nisi tibi moraliter constet, eum, cui venduntur, aut præparantur, benè illis usurum. Ita Suarez. *d. 10. de Charit. Sect. 4. n. 6.* Sanch. *l. 1. in Decal. c. 7. n. 3. & 7.* Navar. *c. 17. n. 36.* Palao *tr. 6. D. 6. p. 8.* Eman. Sà. *V. peccatum n. 10.* aliique. Et ratio est, quia si tibi id moraliter non constat, peccatum alterius tibi imputabitur, cùm tu ei materiam subministres: sic non licet vendere venenum, quod coloribus, & medicinis conficiendis deservit, nisi illis personis, de quibus ex officio, aut ex aliis circumstantiis constat, illud velle ad ejusmodi usus bonos. ut cum aliis notat Molina to. 2. de just. D. 340. Constare autem poterit de similium rerum usu ex qualitate personarum, & modo petendi; communiter tamen præsumen-

sumendum est de bono usu, si publicè absque affectatione secreti talia petantur, eò quòd rarò quis ita audax sit, ut si peccare intendat, non curet secretum, ut notat Palao.

566 R. 3. Si res communiter in bonum usum ordinentur, fas erit tibi eas vendere, & subministrare, quoties tibi non constat de abusu petentis. Ita rursus citt. DD. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. & *q.* 169. *a.* 2. Ratio est; quia horum venditio, & subministratio eatenus solùm mala esse potest, quatenus intentioni pravæ deservit; atqui hæc intentio de nullo præsumi debet. Quòd si credas, proximum iis indifferentibus malè usurum esse, obligaris, si commodè, & absque tuo detrimento potes, ea illi non vendere, vel subministrare; quia cùm ex charitate obligeris proximi peccatum impedire, si commodè possis, à fortiori obligaris materiam peccati non subministrare, ut cum aliis rectè notat Sylvest. *V. infidelitas, q.* 4. Quòd si non possis absque tuo incommodo, & detrimento à tali venditione, vel subministratione abstinere, non peccas subministrando, ut cum aliis docent Suarez l. c. n. 4. Sanch. l. c. n. 9. 11. & 13. Palao l. c. Bonac. D. 2. de peccat. *q.* 4. *p.* 2. §. *unic.* & alii; quia cùm res sit indifferens, & tibi talis subministratio sit valde utilis, aut necessaria, non censeris causare peccatum alterius, sed potiùs censeris uti jure tuo, & libertate, ac peccatum alterius duntaxat permittere non absque rationabili causa.

Ad 2. Q. an graviter delinquat 567 invitans ad cœnam præparatam aliàs jejunium violaturo? Non nulli cum Cajetan. 2. 2. *q.* 147. *a.* 4. Petr. Ledesm. 2. *tom. Summ. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 4. Less. *l.* 4. *de justit. c.* 2. *dub.* 4. censent, invitantem ad cœnam die jejunii, vel porrigentem illam ei, qui aliàs alibi cœnaturus est, & jejunium violaturus, excusari à gravi peccato. Rationem dant; quia illæ actiones ex se malæ non sunt, aliàs nunquam possent honestari: ergo solùm malæ sunt, quia movent, & ad malam operationem adjuvant: atqui hoc non fit tunc, quando operans eodem modo malè operaturus esset, etiamsi tuæ actiones abessent: ergo actiones illæ non videntur esse causa malæ operationis, sicut non tenereris ad restitutionem, si furem associares tunc, quando eodem modo furtum committeretur, ac si tu socius non fuisses; quia tunc non censeris furti causa: ergo neque in priori casu.

Alii verò, idque probabiliùs, 568 cum Suarez *l. c. Sect.* 3. *& Sect.* 4. *n.* 5. Palao l. c. Sanch. l. c. n. 16. loquendo de invitante ad Cœ-

nam, eum à mortali culpa non excusant ex eo solùm, quòd proximus aliàs peccaturus sit, & jejunium alibi violaturus.

Ratio est; quia eo casu invitare ad cœnam, est invitare ad id, quod hîc, & nunc nulla ratione honesta fieri potest, ac proinde est invitare ad peccatum; secùs verò esset, si tantùm cœnam præparares; nam eâ præparatâ, non obligatur hospes illam sumere, sed potest abstinere, & relinquere, tradendam aliis ad jejunandum non obligatis &c. Et ratio ulterior, quòd talis non excusetur à mortali solùm ex eo, quod proximus alibi esset peccaturus, etiamsi tuæ actiones abessent, est; quia hæc conditio, si tuæ actiones non adessent, non tollit, quominùs tu causa existas illius peccati, sísque eodem modo causa, ac si proximus aliis aliorum actionibus adjutus peccaturus non esset; quia si proximus non esset alibi soluturus jejunium, & tu, nulla causa excusante, cœnam subministrares invitato, peccares, ut plerique concedunt, quia tunc aliquo modo concurris ad peccatum alienum, sed quòd alibi proximus sit violaturus jejunium, non immutat tuum concursum, qui in ministratione Cœnæ consistit: ergo eodem modo concurris. Accedit, quòd, proximum esse eodem modo peccaturum, etsi tu necessaria peccato non ministrares, sit tantùm contingens, & fortè non sit peccaturus, pœnitentiâ ductus, vel alio modo impeditus, quantumvis nunc sit ad peccandum determinatus: ergo quantum est ex te obligaris hunc effectum possibilem promovere, & impedimentum illi non apponere per cœnæ ministrationem, quam si non suppeditares, impedires hoc numero peccatum, quod nunc committitur, quódque proin tibi modò imputabitur tanquam causæ indirectæ. Unde

Ad rationem in contrarium allatam R. negando, te per actiones illas indifferentes non concurrere ad peccatum alterius, ac si alibi proximus peccaturus non esset; esto enim, quòd nequeas impedire peccatum, eò quòd alius eadem esset administraturus, hoc tamen non facit, quominus verè concurras, ut dictum est. Hinc ad instantiam de furis socio, vel ponitur, quòd tua Societas necessaria, vel utilis non fuerit ad furtum patrandum, vel ad illud animosiùs, & securiùs patrandum, & tunc obligatus non eris ad damna ex furto secuta resarcienda, quia tunc ad furtum positivè non concurristi: secùs, si tua societas, licèt indeterminatè necessaria, vel utilis fuit; quia scilicet sine illa, vel alia furtum patratum non esset; quia tunc positivè ad furtum con-

concurristi, sicut non excusaretur admovens scalam, vel humeris sustentans volentem furari, nisi interveniente gravissima causa. Demum ex eo quòd non tenereris ad damna, tantùm sequeretur, te non peccare contra justitiam, non autem te non delinquere contra charitatem, si posses peccatum proximi tunc impedire.

569 Ad 3. Q. Satis convenit inter DD. tabernarios, & caupones ministrantes hospitibus cibos die jejunii, quibus solvitur jejunium, excusari à culpa, quando certò sciunt, aut probabiliter credunt, petentem cibos esse à jejunio excusatum; imò etiam quando dubitant, ut cum aliis docet Valentia 2. 2. D. 9. q. 2. pun. 3. quia ex una parte suum non est id discutere, neque commodè id efficere possunt; ex altera parte benè de proximo præsumere possunt, maximè in hac re, ubi tot causæ excusantes à jejunio concurrere possunt. An autem hi etiam excusentur à culpa, quando credunt, alterum, cui cibos suppeditant, à jejunio non excusari, controversum est inter DD.

Hos non excusari, sed delinquere affirmant non nulli cum Gabriel. 4. dist. 16. q. 3. a. 3. dub. 6. & Navar. Summ. lat. cap. 21. n. 26. Alii verò cum Cajetan. 2. 2. q. 147. a. 4. Solon. 2. 2. q. 77. a. 4. Manuel cap. 23. n. 8. utroque Ledesm. à culpa excusant, eò quòd non inducant ad jejunium violandum, sed peccato alterius utantur, ut res suas vendant per actionem de se indifferentem, deservientem sustentationi naturæ.

Alii, idque meliùs, ac veriùs, 570
distinguunt cum Valent. l. c. p. 3. Sanch. l. c. Less. l. 4. de justit. c. 2. dub. 4. n. 24. Palao l.c. pun. 8. eósque non excusant tunc, quando sine suo damno alicujus momenti possunt cibos illos denegare, sicque peccatum proximi impedire; secùs si absque tali damno petitos cibos negare non possint. Ratio prioris partis est; quia quamvis illa ciborum ministratio de se sit indifferens, alter tamen ea abutitur, & peccat, ac proinde ministrans, si commodè potest, tenetur eam occasionem ruinæ proximi vitare, solúmque tunc excusabitur non vitando, quando commodè vitare non potest; siquidem obligatio occasionis peccati alterius vitandæ non ministrando hæc indifferentia illîs abusuro oritur ex præcepto charitatis generali, quô tenemur scandalum generaliter acceptum proximi vitare, nisi justa causa excuset. Ratio posterioris partis est; quia cùm hæ res non sint de se malæ, sed indifferentes,

tes, & sola circumstantia scandali generalis dando occasionem ruinæ spiritualis proximi vitiet illarum suppeditationem, tunc tantùm erit mala, quoties suppeditans tenetur id scandalum vitare: atqui hoc pendet ex eo, an suppeditans habeat causam sufficientem, vel non; quia non tenetur quis cum gravi suo detrimento eam occasionem vitare; secùs verò quando potest absque tali detrimento: ergo quando, & quoties justa causa detrimenti proprii vitandi subest, licebit eam occasionem permittere ministrando res indifferentes; causa verò deficiente, non licebit; Quæ autem causa, aut necessitas sufficiat ad excusandum ministrantem indifferentia, quibus proximus malè utitur, nequit certa regula præscribi, sed prudentis judicio relinquendum, considerata gravitate peccati committendi, occasione à te data, præparatione illius, aliúsque concurrentibus circumstantiis, ubi major desiderabitur, vel minor sufficiet; solam tamen amissionem lucri, quod ex cibis divenditis jejunium violaturis provenire potest, non esse sufficientem causam, censet citt. Palao, quia hoc est quid leviſſimum, ut propter illud permittendum sit peccatum grave, & materia illius subministrari possit, aut debeat; sed majorem requiri, ut si aliàs ex denegatis cibariis non parùm timenda sit diminutio emptorum, & defectus hospitum ad se confluentium &c. putat tamen hîc Th. Sanc. l. c. ejusmodi tabernarios, & Caupones rarò, vel nunquam peccare mortaliter per suppeditationem hujusmodi ciborum, tum ob rationem insinuatam, tum quia ex eo quòd ab ea venditione abstineant, terè nunquam est spes fore, ut alter jejunium servet, quia alibi cibos inveniet, & comparabit, tum quia confluentes ad hos sunt communiter viatores, operarii, & pauperes, quos jure optimo existimare possunt, probabilem causam habere jejunii solvendi.

Ad alterum membrum de vendentibus vinum se inebriaturis, Cajetan. *tom.* 1, *tr. ult. resp.* 13. *dub.* 4. Valentia 2. 2. *D.* 5. *q.* 21. *pun.* 4. Sanch. l. c. Manuel. *cap.* 176. *n.* 15. aliique, eos peccati mortalis damnant, qui vendunt vinum bibere volentibus in ea quantitate, ut probabiliter credant, vel experti sint, fore, ut illi inebrientur; quia absque justa causa omittunt impedire grave peccatum proximi, negando ei tantam vini quantitatem, prout poterant, & tenebantur, siquidem lucrum inde cessans non est tanti momenti, ut maximum damnum corporis, & animæ propterea permittatur; cùm enim ebrietas peccatum sit non solùm ebrio 571

ebrio damnosum, sed sæpè etiam aliis pernicioſum, & scandaloſum, ſubminiſtratio materiæ illius gravem cauſam expoſtulat, qualem eſſe putat Palao, ſi timeres, te aliàs ab emptoribus injuriâ afficiendum eſſe, vel multùm inde diminuendos emptores non ſine gravi detrimento proprio; quâ proin juſtâ causâ poſitâ, cùm venditio ſit de ſe indifferens, honeſtari illa ſufficienter, poterit, ut à peccato excuſeris.

572 Ex ſuprà dictis colliges 1. non licere cauponi in Civitate Catholica carnes die interdicto coquere hæretico poſtulanti, niſi gravis neceſſitas, minarum v. g. urgeat, & abſit ſcandalum, atque periculum alterius majoris mali.

Colleges 2. fas non eſſe patrifamilias die jejunii cœnam familiæ miniſtrare, ſi conſtet, vel valde credibile ſit, eos lege jejunii obligari, præciſa legitima cauſâ.

Colleg. 3. Non licere pictori pingere imaginem puellæ petitione amaſii, quem credit illâ probabiliter abuſurum, niſi cauſa legitima excuſet.

Colliges 4. non eſſe tibi licitum deferre ad amaſiam internuntia, & ſcripta, non ſolùm quando conſtat, ea continere turpia, aut amatoria, ſed neque tunc quando tibi non conſtat quidem quid illa contineant, certus tamen es de turpi amore, aut perſonæ ſunt valde ſuſpectæ; quia communiter ejusmodi ſcripta continent plurima turpia, & amatoria, & ita ex communiter contingentibus potes id præſumere. Secùs quando perſonæ ſuſpectæ non ſunt, nec ſubeſt ratio aliquid de turpi amore ſuſpicandi.

CASUS XCVII.

De Reſcriptis executioni mandandis.

REdeunti in patriam Juvenali poſt abſoluta Romæ in Collegio Germanico ſua Studia Theologica vult Papa Canonicatum, quem antea promiſerat, conferre; ideóque mandat Vicario Epiſcopi A. ut Canonicatum tunc vacantem, eidem Juvenali conferat, eundémque, cùm primùm advenerit, in actualem ejusdem poſſeſſionem immittat. Juvenalis acceptis litteris quàmprimùm Româ diſcedit, ſed mox altero à ſuo diſceſſu die inaudit, Pontificem defunctum eſſe, & poſt ſuum in patriam adventum etiam Vicarium Generalem Epiſcopi A. eíque in officio ſuffectum eſſe Ambroſium Canonicum, cui proin litteras Pontificias porrigit executioni mandandas, ſed hic eis lectis dubitare incipit, an id à ſe præſtari poſſit.

QUÆR. I. An, & quando Reſcriptum gratiæ, & Juſtitiæ cum morte delegantis exſpiret?

QUÆR. II. Et an, & quando cum morte delegati, aut finito ejus officio?

QUÆR. III. An Ambroſius Succeſſor defuncti Vicarii Generalis Epiſcopi A. Commiſſionem Pontificiam illi factam exequi potuerit?

QUÆR. IV. An Vicario amoto, vel mortuo commiſſionem illi factam exequi poſſit ipſe Epiſcopus, vel Vicarius Capituli ſede vacante?

573 ANte reſolutionem 1. Q. notandum eſt, alia eſſe Reſcripta *Gratiæ*, alia *Juſtitiæ*, alia *Mixta*, ſeu quæ gratiam ſimul, & Juſtitiam continent, ut ſi executori mandetur, ut v. g. conferat

ferat Beneficium, & simul ei detur potestas compellendi resistentes. Rescripta *Justitiæ, sive ad lites* dicuntur, quæ ad Justitiæ administrationem referuntur, faciendam ferè secundùm Jus commune, ut quando Papa cognitionem causæ ad se delatæ committit Judicibus delegatis. Rescripta *Gratiæ* vocantur, quibus ex liberalitate Principis aliquid præter vel contra Jus commune conceditur, ut sunt, quæ expediuntur super Beneficiorum resignationibus, collationibus &c. Hæc Gratiæ Rescripta rursus alia sunt gratiæ jam factæ, & alia gratiæ faciendæ. Rescriptum gratiæ jam factæ, dicitur, quotiescunque facultas, seu licentia alicui in ipsiusmet favorem à superiore concessa, est, quamvis mera executio interdum ab alia adhuc persona dependeat, v. g. si ipse Pontifex Romæ certum Beneficium alicui conferat, quod tunc vacat, vel proximè vacaturum est; ipsam verò realem executionem hujus collationis, seu ipsam installationem alteri mandat, v. g. Episcopo, Vicario generali &c. Rescriptum gratiæ faciendæ dicitur, quando illi, in cujus favorem gratia tendit nihil directè datum, aut concessum est à Principali, sed alteri mandatur, ut talem gratiam illi conferat, tunc enim nondum est gratia facta, sed mera commissio, & mandatum faciendi, v. g. si non ipse Pontifex Beneficium conferat, sed ipsi Episcopo mandet, ut incertum quoddam vacans, vel vacaturum Beneficium alicui conferat, Rescriptum erit gratiæ faciendæ, utpote quod ex parte Papæ nullam continet collationem, sed merum imperium conferendi, ac providendi. Hoc notato.

R. Ad 1. Q. Gratia jam facta, seu Rescriptum gratiæ factæ per 574
mortem concedentis, etiam re integra, non exspirat; secùs verò si Rescriptum habet rationem gratiæ faciendæ. tunc enim si, re adhuc integra, concedens moriatur, Rescriptum gratiæ faciendæ extinguitur. Ita communis, & certa DD. regula cum, & apud Palaum *tr. 3. de Rescript. D. 4. §. 4.* Sanch. *l. 8. D. 28. n. 87.* Molin. *tr. 5. D. 19.* Navar. *cap. 27. n. 253. vers. 9. & l. 1. Consil. in 2. edit. consil. 2. de Offic. d leg.* Sà. *V. gratia.* Bonac. *de LL. D. 1. q. 3. p. 8. §. 1.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23.* Colligitur id ex *cap. si super gratia de Offic. deleg. in 6.* & *cap. si cui nulla de præbend. in 6.* Ratio discriminis est; quia in priori casu de gratia jam facta, obtinens Indultum, aut Rescriptum jam acquisivit jus ad rem sibi concessam, nec res est amplius integra: In posteriori autem casu, nullum est adhuc illi jus acquisitum, cùm Rescriptum sit de

gratia primùm facienda, quod proin, re integra, morte concedentis exspirat.

Neque obstant hîc *l. mandatum, C. mandati.* & *cap. relatum de Offic. deleg.* ubi habetur, quòd mandatum morte mandantis exspiret. Neque *cap. citt. si cui nulla* &c. Nam ad primum R. cum citt. DD. exspirare quidem mandatum morte mandantis, quando non est gratiæ jam factæ annexum; secùs verò si sit annexum gratiæ factæ, & datum sit duntaxat pro illius executione. Cap. quoque *si cui nulla*, loquitur de casu, quando non pro certo beneficio, sed incerto, & posito in electione mandatarii conceditur mandatum; quia tunc non videtur gratia facta certa, & determinata, sed facienda; imò ut notant citt. DD. ibi non loquitur, quando datur propriè mandatum, sed solùm licentia, & facultas; quia tunc executor non est necessarius, sed voluntarius, ac proinde cessat morte concedentis re adhuc integra.

575 Ex dictis colliges, quando Papa mandat Episcopo, Vicario Generali &c. ut Beneficium conferat determinato Clerico, ut factum est in posito casu cum Juvenali, mandatum non exspirare cum morte concedentis Papæ; quia tale mandatum, seu Rescriptum est de gratia, non facienda, sed jam facta, & talis Clericus ex eo mandato acquisivit jus ad rem ad tale Beneficium, quod jus maxima gratia reputari debet, ac proinde non cessat morte concedentis, re integra.

576 Ad potestatem delegatam ad lites seu ad litteras Justitiæ exequendas quod attinet, communis pariter, ac certa est DD. regula, Jurisdictionem hanc exspirare, quando moritur concedens, re adhuc integra, hoc est, antequam delegatus cœperit uti jurisdictione; secùs autem si res non sit amplius integra, seu si Judex cœperit jurisdictione uti exercens aliquem actum judicialem. Prius de re adhuc integra, habetur expressè in *cap. Gratum*, cap. *Relatum*, & *cap. Licet undique de Offic. deleg.* Et ratio est, tum quia tunc non est gratia, vel favor, sed quoddam mandatum de Justitia administranda; mandatum autem exspirat morte mandantis re integra. *leg. Mandatum citt.* Tum quia per actum delegationis non transfertur efficaciter jurisdictio in delegatum, donec ea uti cœperit, uti expressè habetur *cap. quamvis de Offic. deleg. in 6.* Cùm igitur jurisdictio, re integra, sit cum effectu penes delegantem, prout exprimit citt. cap. & per ipsius mortem extinguatur sua jurisdictio, extinguitur quoque jurisdictio delegata.

Poste-

Posterius colligitur à sensu contrario ex citt. *cap. quamvis*, quia per jurisdictionis exercitium ante delegantis mortem, jurisdictio jam radicatur in persona delegati, ita ut efficaciter in eum transierit; atque ideò hæc delegata jurisdictio morte ipsius delegantis non extinguitur, quando res non erat integra, sed ipsâ uti jam cœptum est.

Idem affirmant Gloss. *cap Licet undique &c.* Abb. ibi n. 7. Imola n. 9. Bald. n. 8. Sà *V. delegatus n. 3.* aliique plures cum citt. de terminatione Officii delegantis, videlicet sicut morte delegantis, re integra, perit jurisdictio delegata, ita hanc perire finito Officio delegantis re integra, quia ratio suprà insinuata æquè procedit in utroque eventu & cum finito Officio perinde extinguitur jurisdictio, ac morte naturali, re integra existente; Limitanda tamen est hæc doctrina, ut notant citt. DD. nisi jurisdictio delegata sit accessoria gratiæ jam factæ, tunc enim imitatur naturam sui Principalis, atque adeò sicut gratia facta non perit morte concedentis, re integra, ita nec ea potestas accessoria, uti expressè definitur *C. si super gratia de off. deleg. in 6. de potestate executori data ad exequend. grat. &c.*

577 Ad 2. Q. conveniunt DD. delegationem personalem, seu quæ personæ facta est ob illius industriam, aliámve ob causam, exspirare cum morte delegati, eo quòd subjectum, cui inhærebat, deficiat, & hinc ad alium, seu successorem non transit; secùs verò realem, seu quæ dignitati, vel officio concessa est; quia cùm illa dignitas, seu officium, cui delegatio est facta, perpetua sit, non extinguitur morte delegati, sed transit ad successorem in eo officio, aut dignitate, & licèt individua quotidie extinguantur, uno tamen defuncto, dignitas vacat, & transit ad alium. Quare tota Q. difficultas ex eo pendet, undenam, & ex quibus conjecturis delegatio censenda sit personalis, vel realis. Ubi notandum est, triplici modo fieri posse delegationem. Primò expresso nomine delegati tantùm, 2. Illo tacito, expresso tamen officio, & dignitate. 3. Expresso utroque, nomine scilicet proprio & dignitatis. Hoc notato.

R. 1. Si commissio expresso 578
nomine proprio v. g. Petri, Pauli &c. fiat, tacita dignitate, regulariter censenda est commissio personalis, nisi ex circumstantiis, & subjecta materia aliud manifestè desumi possit. Ita plerique cum Abb. in *C. quoniam 14. n. 4.* Menoch *lib. 1. q. 68. de arbitr. n. 21.* Sanch. *l. 8. D. 27.* Palao l. c. §. 6. Bonac. *D. 1. q. 3. p. 8.*

Ratio est; quia si solum nomen proprium delegati v. g. Petri, est expressum, censetur electa industria personæ nominatæ, eo ipso enim quòd solum nomen delegati expressum sit, & non officium, delegans satis explicuit suam voluntatem esse, ut ad alium non transeat, sed sit commissio personalis. Dixi nisi ex circumstantiis, & subjecta materia aliùd colligatur; nam si verba, vel materia subjecta satis indicent, dispositionem esse personalem, ita erit censendum, etsi solius dignitatis delegati mentio fiat, v. g. si Papa committat causam Episcopo Madritano, solúmque dignitatis nomen exprimat, declarans in litteris se illi hoc committere ob peculiarem scientiæ, & sanctitatis notitiam, quam de illo habet; ex quibus verbis constat, non habitam esse dignitatis considerationem, sed personæ industriam electam fuisse, atque adeò commissionem esse personalem, & non realem. Sic si excommunicatus fuit Episcopus v. g. Moguntinus solo dignitatis nomine expresso, manifestum est ex subjecta materia Excommunicationem esse personalem, nec transire ad successorem. Et ratio est, quia una præsumptio tollit aliam, & major minorem, major autem, ac fortior est præsumptio, quæ ex ipsis verbis peculiaribus commissionis, & subjecta materia sumitur, utpote quæ specialis, ac peculiaris est, quàm generalis desumpta ex proprii nominis, aut dignitatis expressione, ut notant citt. AA. cum Abb. *cons. 93. n. 1. & 2.* Imola *n.* 8. Cov. *l. 3. var. c. 15.* Jo. And. *reg. privilegium de reg. Jur. in 6.* aliisque.

R. 2. Si commissio, tacito proprio nomine delegati, facta sit sub nomine dignitatis, v. g. Episcopo Augustano, Decano hujus, vel illius Ecclesiæ Cathedralis &c. commissio est realis, & ad successorem transit; quia tunc commissio non est factæ personæ ratione illius, sed ratione dignitatis sibi inhærentis, quæ dignitas cùm perpetua sit, ut dictum est, & ad successorem transeat, transit & commissio, uti expressè habetur *C. quoniam 14.* & tenent citt. DD. qui cum Panormit. in citt. *C. quoniam* Abb. n. 12. Menoch. n. 22. docent, hoc ipsum procedere, etiamsi res sit adhuc integra; quia integritas rei non immutat concessionem, quæ cùm dignitati potiùs, quàm personæ facta sit, sicut dignitas non obstante rei integritate semper manet, & transit ad successorem; ita & illa cum hoc transit.

R. 3. Si in commissione exprimatur nomen proprium delegati, & simul ejus dignitas in dubio reputanda est commissio personamini

lis, & non realis, etſi nomen proprium fuerit poſtpoſitum nomini dignitatis, niſi fortè aliud ex aliis circumſtantiis de mente delegantis conſtaret. Ita Imola in *C. quoniam*, n. 25. Flamin. *l.* 1. *q.* 11. *n.* 12. Salas *D.* 20. *de leg. Sect.* 17. Sanch. *l.* 8. *D.* 27. Gutier. *de matr. cap.* 125. *n.* 1. & 9. Palao l. c. Bonac. l. c. §. 1. & alii contra alios volentes, commiſſionem perſonalem eſſe, ſi præcedat nomen proprium delegati; realem verò ſi præcedat dignitatis nomen. Ratio eſt, quia cùm nomen dignitatis generale ſit ad omnes eâ fulgentes, nomen autem proprium ſit ſpeciale illius perſonæ nominatæ, illud per hoc reſtringitur, ut non excedat perſonam nominatam; nam quoties genus, & ſpecies in unius perſona concurrunt, genus expoſitum per aliquam ſpeciem reſtringitur ad illam, *C.* 2. *de reſcript. C. ſtatuto de crim.* in 6. & aliàs ſi additio nominis proprii commiſſionem non reſtringeret ad perſonam nominatim expreſſam, tunc additio nominis proprii eſſet fruſtranea, & inutilis, & confuſionem cauſaret, & ſic ſingula Reſcripti verba non haberent ſemper ſuum effectum, & aliquid operarentur, quod eſt contra leg. *ſi quando*, ff. *de legat.* 1.

Conf. ex *C. quoniam Abbas de Offic. deleg.* ubi declaratur quænam ſit commiſſio realis, & dicitur, illam eſſe, quæ *ſub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum fit*: ergo à contrario, ubi ſub expreſſis nominibus perſonarum fit commiſſio, non realis, ſed perſonalis cenſenda eſt.

Limitat tamen Sanch. cum aliis, ut duntaxat intelligatur commiſſio eſſe perſonalis, niſi ex circumſtantiis aliàs redderetur vel damnoſa alteri, & injuſta, vel inutilis; quia ſemper in caſu dubio præſumendum eſt, delegantem non velle ſuam diſpoſitionem injuſtam, vel inutilem eſſe, adeóque talem cenſendam eſſe, quæ, ſive ſpectato nomine proprio, ſive dignitatis, valida & utilis eſt, ita ut ſi talis ſit ſpectato nomine perſonæ, ſit perſonalis, ſi verò ſpectato nomine dignitatis, ſit realis.

Ad 3. Q. utrum Ambroſius 579
eam commiſſionem expedire potuerit, ſolutio pendet ex eo, an dignitas Vicarii Generalis Epiſcopi ſit perpetua, adeóque hujus commiſſio tranſeat ad ſucceſſorem. Ubi

Dignitatem Vicarii Generalis Epiſcopi non eſſe perpetuam defendunt Menochius *l.* 4. *præſumpt.* 121. & *l.* 1. *de arbitr. q.* 68. *n.* 24. Flamin. *de reſignat. l.* 7. *q.* 24. Sanch. l. c. n. 8. Palao l. c. §. 7. Barboſ. *de poteſt. Epiſc.* 2. *p. alleg.* 54. Garcia,

cia, Mantic. aliíque plures. Rationem dant, quia dignitas seu Officium Vicarii non est talis, quæ Successorem expostulet, cùm Episcopus, amoto, vel mortuo Vicario, non teneatur alium substituere, sed pro libitu, & beneplacito suo possit alium substituere, vel non constituere, vel constitutum amovere pro sua libera voluntate, ut constat ex *cap. 1. & 2. de offic. Vicar. in 6. & Clement. 2. de rescript.* ergo Vicariatus non est dignitas perpetua, sed ad arbitrium Episcopi terminabilis, ac temporanea; Unde Vicarii dignitas, quæ nulla alia est, quàm jurisdictio ab Episcopo delegata, perit Vicario mortuo, vel ab officio remoto, & quando alius loco defuncti assumitur, non debet dici subrogari in eadem prorsus dignitate, sed in alia simili, ita ut iste de novo creetur, non autem subrogetur ut propriè Successor. Quod

Conf. ex eo; quia si Vicariatus haberet propriè successorem, diceretur vacare per mortem, & ea dignitas esset necessariò perpetua in Ecclesia, & consequenter non penderet ex libera Episcopi voluntate constituere Vicarium, sed teneretur eum creare, quod repugnat citatis suprà capit. & aliàs si non constitueret, elapso legitimo termino potestas creandi devolveretur ad Papam, *C. 2. de consuet. in 6.* ex quibus haud obscurè sequitur, Commissiones factas Vicario Episcopi, etiam sub nomine dignitatis, de rigore Juris tantùm personales esse, quia ejus dignitas personalis est, & non perpetua, adeóque ad successorem non transit.

Nihilominus, licèt spectato juris rigore res ita se habeat, attenta tamen consuetudine, & Stylo Curiæ Commissiones factæ Vicario Generali sub nomine Officii, & dignitatis juxta communem DD. transeunt in Vicariatu ad Successorem. Ratio est praxis, & quia meritò id præsumitur de mente Pontificis rescribentis, quòd scilicet nolit cum maximo incommodo suo, & partium, has, postquam Rescriptum impetrârunt ad Vicarium Episcopi, hoc mortuo compellere ad redeundum Romam pro novo Rescripto non sine magnis expensis impetrando; & licèt hæc Vicarii dignitas non sit perpetua, perpetua tamen, & continua reputatur, eò quòd decedenti, vel amoto Vicario, alius, aliúsque substituatur, & Episcopi vices in se suscipiat. 580

Ex quibus colligitur, Ambrosium successorem defuncti Vicarii Generalis Episcopi A. potuisse commissionem Pontificiam illi ante mortem factam executioni mandare, & Juvenalem mittere in possessionem Beneficii.

Ad

581 Ad 4. Q. An commissiones factas Vicario Generali Episcopi, eo mortuo, vel amoto possit ipsemet Episcopus executioni mandare? R. negativè cum Navar. l. 1. *Consil. in 2. edit. de offic. deleg. cons. 5. n.* 4. Sanch. l. c. n. 29. Palao l. c. n. 7. Bonac. l. c. n. 12. aliisque communiter.

Ratio est; tum quia dum Vicario commissa est executio, ejus dignitas, & Officium habet rationem conditionis, *sine qua non*, seu qualitatis requisitæ: tum quia Episcopus non est Vicarius, neque dignitas Episcopi est dignitas Vicariatûs, sed omninò distincta, ac diversa, ut constat ex *cap. Venerabilibus, in princ. de sent. Excommun. in 6.*

Neque obstat, quòd idem Tribunal, & Jurisdictio sit utriusque; quia Episcopi & Vicarii est quidem idem Tribunal, sed in iis duntaxat, quæ Vicario competunt ex commissione Episcopi, & jure ordinario, non autem quæ ei competunt ex commissione, & delegatione Pontificis.

Ad alterum Q. membrum, an Vicarius Capituli, sede vacante, veniat intelligendus nomine Vicarii Episcopalis, atque adeò commissiones factas Vicario Episcopi, hoc mortuo, possit expedire Vicarius Capituli, controversum satis est inter DD. Affirmant Sanch. l. c. n. 10. 32. 33. Salas *D. 20. de leg. Sect. 17.* Card. q. 13. n. 15. Imola, Zech. aliique; quia Capitulum sede vacante succedit non Vicario Episcopi, sed ipsimet Episcopo; at Vicarius Capituli succedit in dignitate Vicarii Episcopi, ideóque Vicarius Capituli sede vacante dici potest Vicarius Episcopi, seu Vicarius jurisdictionis Episcopalis, vel ut ait Gloss. *Clement. 2. V. Episcopi de Rescript.* Vicarius habentis jurisdictionem Episcopalem.

Negativam tenent Palao l. c. n. 11. Garcia *6. p. de Benef. cap. 2. n. 41.* Fel. *C. eam te n. 17.* Bonac. l. c. n. 7. & 8. aliique. Moventur, tum quia Vicarius Capituli non est propriè, & in rigore Vicarius Episcopi; tum quia Capitulum sede vacante non potest expedire commissiones factas Vicario Episcopi, ut docent etiam affirmativæ sententiæ Patroni, ergo multò minùs poterit eas expedire Vicarius, seu Officialis Capituli juxta *regul. 79. de reg. jur. in 6.* nemo potest plus juris in alium transferre, quàm sibi competere dignoscatur. Et huic sententiæ favere Stylum Curiæ ajunt, loquendo saltem de Rescriptis, quæ dantur in forma *dignum.*

Unde alii faciunt discrimen inter commissiones, quarum executio ex Juris dispositione, vel Stylo Curiæ solis Episcopis, &

eorum Vicariis committitur, & inter illas, quæ aliis quoque in dignitate constitutis, & à parte nominatis committi solent, & harum executionem à Vicario Episcopi ad Vicarium Capituli transire concedunt; non verò illarum, idque propterea, quod posteriores vacante sede soleant à Curia committi Vicario Capituli; priores verò viciniori Episcopo.

582 Ex his sententiis probabilibus præplacet prior affirmativa; tum ob allatas suprà pro eadem rationes; tum quia in dubio & hîc videtur id præsumi posse de mente Pontificis, ne passim Rescripta Vicariis Episcoporum cõmissa pereant, & ne sumptus in novis Rescriptis impetrandis multiplicentur non sine suo, & partium gravi incommodo, quæ iterum Romam redire compellerentur ad nova Rescripta impetranda, prout utraque pars suprà discurrit de Vicarii defuncti successore. Nec obstat citt. regula, *nemo potest plus juris &c.* aliàs enim nec Vicarius Episcopi posset de illa causa cognoscere, cùm nequeat ipse Episcopus, qui illum constituit, ut dictum est suprà. Capitulum ergo, uti & Episcopus, non transfert jurisdictionem delegatam de ea causa cognoscendi in Vicarium, sed constituit duntaxat Vicarium, qui eo ipso quòd sit constitutus Vicarius, potest eam commissionem exequi virtute Rescripti Apostolici Vicario id cõmittentis.

CA-

CASUS XCVIII.

De litteris Dimissoriis.

LAurentius minorista cùm neque à suo proprio Episcopo nuper defuncto, nec hodie à Capitulo, sede vacante, litteras Dimissorias obtinere potuerit, eas tandem Româ obtinuit, vi quarum possit Sacros Ordines suscipere à quocunque legitimo Episcopo. Adit proin Statim Ambrosium Episcopum vicinioris Diœcesis, nullis aliis litteris à Capitulo, sede vacante, acceptis, à quo sacris Ordinibus initiatur. Post susceptos sacros Ordines inaudit, Summum Pontificem, altero mox ab acceptis litteris Pontificiis die, piè in Domino obiisse.

QUÆR. I. An Laurentius tenore illarum litterarum Papalium fuerit validè Ordinatus?

QUÆR. II. An si fuit ordinatus sine aliis litteris à proprio Episcopo, vel à Capitulo, sede vacante, acceptis, suspensionem incurrerit?

QUÆR. III. An, & quando Capitulum, sede vacante, Dimissorias dare possit?

583 AD 1. Q. posse Summum Pontificem etiam litteras dimissorias dare, ut quis à quocunque Episcopo Ordinari possit, imò & privilegium concedere, ut sine illis ordinetur, patet ex *C. sæpè 1. h. tit. in 6.* & ex eo, quòd summus Pontifex sit Episcopus Ordinarius omnium fidelium. Dubium autem, & quæstio est, an litteræ Dimissoriæ à Papa concessæ, si antequam executioni mandentur, & re adhuc integra

moriatur concedens, morte concedentis exspirent? Ad quod

584 Dicendum est cum Barbos. *alleg. 7. n. 23.* Navar. *in C. placuit de pœnis, dist. 6.* & aliis non exspirare, sed retinere adhuc suam efficaciam, & valorem, ut illarum tenore possit quis validè ordinari, quamdiu à Successore non revocantur. Ratio est, quia etiam litteræ Dimissoriales habent rationem gratiæ factæ, & beneficii; gratia autem facta, etiam re integra, non exspirat morte concedentis, sed durat etiam post mortem, nisi à Successore revocetur, ùt constat ex *C. si gratiosè 5. de rescript. in 6.* Cui consonat etiam Gloss. *in C. si cui de Præb.* ubi ait: Nota, quòd gratia facta non exspiret morte concedentis, etiamsi ejus effectus non sit adimpletus. Id ipsum procedit de Dimissoriis datis à proprio Episcopo, quæ, nisi fuerint revocatæ, morte concedentis non exspirant ob allatam rationem. Ex his constat, Laurentium validè ordinatum fuisse.

Porrò in litteris dimissoriis exprimi debet, quinam Ordines vi illarum sint conferendi; nam sub data licentia recipiendi solùm Ordines minores, vel ordines absolutè, non comprehenduntur Ordines majores, quia facultas hæc, ut notant DD. censetur esse stricti juris, *arg. C. 1. h. tit.* Præterea debent hæ continere testimonium de natalibus, ætate, scientia, & moribus, prout exigit, & declarat Trident. *Sess. 23. c. 8. de reformat.* Unde

Ad 2. Q. R. Si Laurentius 585
nullas alias litteras, sive testimonium proprii Episcopi, seu Capituli, sede vacante, de vita, & moribus secum attulit, neque id expressum fuerit in litteris Dimissoriis Pontificiis, juxta Trident. *citt. Sess. 23. c. 8.* suspensionem incurrit; nam licèt ordinari potuerit ab alio Episcopo sine Dimissoriis à suo Episcopo obtentis, necessarium tamen est, ut testimonium habeat de vita, & morum honestate, secùs & sic Ordinatus, & ipse Ordinans suspensionem incurrent secundùm citt. Trident. quod l. c. ita loquitur: *Unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur. Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam Statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, si secùs fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Hinc

Hinc ii, quibus Dimissoriæ dantur, priùs sunt examinandi de scientia, vita, & moribus &c. nisi absentes sint, vel nisi concedens Dimissorias malit id relinquere illi Episcopo, qui dimissum ordinaturus est; nam etiam à proprio Episcopo examinati, & approbati ab Ordinante adhuc alicubi examinari solent.

Porrò nomine proprii Episcopi venit tum Episcopus *Originis*, ut si quis oriundus vel natus in ejus diœcesi, in qua pater domicilium habuit, *C. 3. h. tit. in 6.* etsi per accidens natus sit extra talem Diœcesim, v.g. in itinere, vel in loco, ad quem mater excurrit negotii conficiendi causâ; quia spectatur id, quod per se, non quod per accidens contingit, censetúrque talis fictione juris natus esse in loco domicilii suorum parentum, *per l. 3. C. de Municipib.* Tum Episcopus *Domicilii*, quando scilicet quis in hujus diœcesi domicilium, seu sedem fixit, cum voluntate, & animo ibi Stabiliter manendi, nisi quid avocet, *l. 7. C. de incolis.* Unde non sufficit *quasi domicilium* ad suscipiendos Ordines, ut tenet communis DD. licèt id sufficiat ad recipienda alia Sacramenta. Denique nomine proprii Episcopi venit etiam Episcopus *Beneficii*, quando scilicet quis in talis Episcopi diœcesi verum beneficium jam actu collatum in titulum, & possideri cœptum adeptus est. Atque ex triplici hoc capite potest aliquis subditus fieri Episcopi, ut ab eo tanquam à proprio Episcopo Ordines suscipere possit.

Ad 3. Q. posse Capitulum Cathedrale, sede vacante concedere litteras Dimissorias videtur ex eo probari posse, quòd dare Dimissorias sit actus jurisdictionis; actum autem jurisdictionis possit Capitulum exercere, cùm sede vacante jurisdictio sit penes Capitulum. Eidem suffragatur etiam *C. cùm nullus 3. h. tit. in 6.* 586

Verùm dicendum omninò est, spectato jure novo Trident. *Sess. 7. c. 10. de Ref.* non posse Capitulum, sede vacante dare Dimissoriales infra annum à die vacationis, nisi duntaxat arctatis ratione Beneficii Ecclesiastici, seu iis, qui actu obtinent, vel electi, præsentati, ac nominati sunt ad Beneficium, quod exigit Ordinem sacerdotalem intra annum suscipiendum. Ut adeò restricta hîc sit Capitulo jurisdictio, ac potestas per Trident; quam olim antiquo jure habebat, citt. *C. cùm nullus.* Post annum tamen vacationis potest Dimissorias dare subditis diœcesanis; 587

imò & intra annum dare potest litteras testimoniales de vita, moribus, & doctrina, quia tales litteræ non sunt litteræ Dimissoriæ, cùm non contineant licentiam Ordines suscipiendi, prout tamen illam continent Dimissoriæ, sed solùm testimonium de vita, & moribus &c.

CASUS XCIX.

De negotiatione Clericis prohibita.

FAustinus Parochus cùm Beneficium habeat valde tenue, & insufficiens ad congruam sustentationem, pecunias paucas, quas ex reditibus Beneficii, & aliis rebus à se emptis, & venditis acquirit, tradit Fausto mercatori cognato suo, ut iisdem negotietur, & ut sic & ipse lucrum aliquod inde percipiat.

QUÆR. I. An, & quomodo peccet Faustinus Parochus negotiando per Faustum cognatum suum?

QUÆR. II. An graviter peccet una solùm, alterave vice negotiando per se ipsum?

QUÆR. III. An Clericus non habens, unde honestè vivat, licitè negotietur?

588 ANte resolutionem hujus Casûs notandum est, duplicem esse negotiationem, unam scilicet strictè ac propriè dictam, alteram impropriè, & latè sumptam. Hæc posterior est illa, quâ aliquid emitur, ut per industriam, artem, vel laborem res in aliam formam mutata, aut melior reddita, vendatur. Negotiatio verò propriè dicta, & de qua hîc quæritur, illa est, quâ res aliqua emitur eo animo, & intentione ut integra, & non mutata cum lucro vendatur, quæ negotiatio, licèt intrinsecè

secè mala non sit, sed indifferens, imò utilis Reipublicæ, si debito modo fiat; est tamen valde periculosa ob fraudes, aliáque inconvenientia, & peccata, quæ in hac solent intervenire, & idcirco hæc negotiatio Clericis, & Religiosis severè interdicitur, *C. consequens dist. cap. final. de vit. & honest. Cleric. C. sed neque 88. dist. Clementina 1. eod. tit. C. negotiatorem 9. C. secundùm, ne Clerici, & Monoch. C. placuit, 21. q. 3. C. Canonum 14. q. 4.* Pœnæ autem, quæ hisce negotiatoribus imponuntur, sunt Excommunicatio, Suspensio, Depositio, quæ tamen, ut probat cum aliis Molina *D.* 342. non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ: quas, & alias pœnas innovat Trident. *Sess. 22. c. 2.* Præterea Clerici negotiationem propriè dictam exercentes amittunt duplex privilegium; Primò enim amittunt immunitatem à vectigalibus, gabellis, & portoriis Magistratui lajco solvendis de rebus negotiationi subjectis, & per eam acquisitis, *Clem. fin. & C. quamquam 4. de censib. in 6.* & quidem etiamsi non præcesserit trina admonitio, ut tenet communior cum Molina citt. *D.* 342. Sanch. Felin. & aliis; ipsa verò bona per negotiationem acquisita, siquæ post obitum Clerici negotiatoris extant, tanquam spolia ad Fiscum, seu Cameram Apostolicam devolvuntur ex Constit. Pii IV. quæ incipit, *Decens.* Secundò, amittunt privilegium Immunitatis à tributis Magistratui lajco solvendis de suis bonis patrimonialibus, siquidem ter moniti ab Episcopo non destiterint ab exercenda negotiatione, *C. fin. de vit. & honest. Cleric.*

Ratio autem severæ prohibitionis Clericis, & Religiosis factæ, est, quia hæc negotiatio dedecet Statum Clericalem, & Religiosum, utpote quæ personas Ecclesiasticas specialiter ad agendum, & conversandum cum Deo obligatas, & obeundis rebus divinis deputatas in innumeras distrahit curas, & sollicitudines, & plurimis fraudum, & injuriarum periculis exponit. Unde & Apostolus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus.*

Porrò hanc prohibitionem, quatenus concernit solos Clericos, limitat communis DD. apud Lug. *D. 26. S. 3.* & Palaum, extenditque ad solos Clericos, qui sacris Ordinibus sunt initiati, vel beneficium habent Ecclesiasticum; non verò ad Minoristas, nullum habentes beneficium, eò quòd negotiatio respectu istorum, qui ad nuptias, & statum laicalem transire possunt, non ita indecens videatur, ac censeatur, quod desumitur *ex C. multa, & C. Clerici 1. de postuland.* His notatis, ac præmissis. 589

Ad

590 Ad 1. Q. responsio pendet ex eo, an Clerici, & Religiosi negotiationem sibi prohibitam exercere possint mediatè, & per alios? Ubi negativam sententiam tenent Ugolin. Megal. Ricc. & Salzedo apud Dianam *tom. 1. tr. de contract. Resol. 72.* quia juxta Regulam 72. in 6. quod quis per se ipsum non potest facere, neque per alium potest.

591 Verùm affirmativam sententiam rectè defendunt Molina *D. 342.* Lugo *D. 26. Sect. 4.* Less. *l. 2. de just. c. 21. n. 6.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 285.* Turrian. *2. 2. tom. 2. D. 59. dub. 2. n. 3.* alique communiter, docentes Clericum sic negotiantem nec graviter delinquere, nec pœnas incurrere in negotiatores in jure Statutas, modò Clericus totam curam relinquat laicis, ita ut solam pecuniam ipse exponat, laici verò operam, & industriam apponant. Ratio est, quia leges negotiationem Ecclesiasticis prohibentes de illis duntaxat negotiatoribus loquuntur, qui negotiantur per se ipsos, in quos solos latæ sunt pœnæ in jure sancitæ, ut colligitur ex *Clement. 1. de vita, & honest. Cleric.* Et ratio ulterior est, quia incommoda illa, & inconvenientia, propter quæ Clericis negotiatio prohibetur, non sequuntur ex negotiatione per alios exercenda; nam sic per alios negotiando non impediuntur à divinis officiis ritè obeundis, aliisque sacris functionibus peragendis, nec sic se immiscent negotiis, & curis Sæcularibus, neque se committunt periculis peccandi, quæ mercatura secum afferre solet.

Nec obstat citt. Regula 72. in contrarium suprà relata, utpote quæ duntaxat intelligenda est de iis, quæ sunt intrinsecè mala; de iis vero, quæ mala sunt extrinsecè ob prohibitionem tantùm pro casu, quo ratio prohibitionis non cessat; prout tamen cessat in præsenti talis ratio prohibitionis, utpote quæ est impedimentum, & distractio à Divinis, & S. functionibus, indecentia, & pericula inde peccandi, quæ omnia per negotiationem per alios exercendam cessant in personis Ecclesiasticis, ut dictum est suprà.

Dixi suprà Clericum per alios negotiantem non delinquere graviter; nam an non saltem leviter peccet, magis est controversum. Peccatum esse veniale affirmant Molin. citt. Malderus, Rebell. & alii. Lugo verò Less. Turrian. Fill. & alii: censent, spectato jure positivo, nullum esse peccatum, idque consequenter, & meliùs; nam si leges Canonicæ de hoc etiam casu loquuntur, peccatum erit grave;

si verò

si verò non loquuntur, neque peccatum veniale erit. Unde si aliqua culpa in hoc intervenit, hæc erit propter indecentiam contra legem naturæ, & reverentiam ipsius Statûs ratione scandali. Ex his patet quoque responsio ad 1. Q.

592 Ad 2. Q. Clericos, & Religiosos negotiando negotiatione propriè dicta per se peccare mortaliter, docet communis DD. cum Molina l. c. & Lug. l. c. n. 24. contra Cajetanum *V. Clericus*, id, quod patet ex pœnis censurarum in ejusmodi negotiatores Statutis. An autem Clericus una solùm, alterave vice negotiando peccet mortaliter dubium, & controversum est: Ubi non nulli apud Azor 2. *tom. l. 8. c. 2. q. 5.* censent semper peccatum esse grave, etsi semel solùm, vel iterum negotiatio exerceatur in materia gravi.

593 Sed communior, ac verior sententia negat, unam, alteramve emptionem ad lucrandum factam peccatum esse mortale, secluso scandalo, vel nisi negotiatio fortè esset in maxima Summa, & quantitate. Ita Lugo l. c. Barbos. *in c. 6. h. 4. n. 2.* Palao *n. 16.* Pellizz *tom. 1. tr. 6. c. 10.* Haun. *l. c. n. 281.* Less. *dub. 2. n. 4.* Turrian. l. c. n. 4. Filliuc. *t. 2. tr. 35. c. 1. q. 8.* Salas *dub. 2. n. 4.* dicens non delinqui graviter ab illo Clerico, qui semel, vel iterum libros, Cruces, & Reliquiaria occultè emit, ut carius vendat. Mulder; Diana, aliique, excusantes Clericum ratione parvitatis materiæ à mortali, qui, secluso scandalo, semel, atque iterum tantùm negotiationem exercuit. Ratio autem communioris sententiæ est, quia negotiator non ab uno, vel altero, sed à frequentatis actibus dicitur, ipsáque jura, quæ mercaturam, seu negotiationem prohibent, loquuntur ferè semper de Clericis exercentibus negotiationem, eique insistentibus, & ex negotiatione victum quærentibus, quæ omnia non verificantur de uno, alterove actu, sed frequentiam important.

Dixi suprà negotiando negotiatione propriè dicta; nam impropriè dicta Clericis, & Religiosis non prohibetur: Hinc illicitum non est Clericis emere pecora, aliáque animalia, in propriis pascuis alenda, & postea vendenda, quia fructus suorum prædiorum, vel agrorum vendunt, neque hæc est negotiatio propriè dicta, sed potiùs artificium, & industria pertinens ad œconomiam domûs. Unde non prohibentur ex frumento de propriis agris collecto pinsere panes, & vendere, praxare cerevisiam, de uvis suarum vinearum exprimere vinum, & vendere, modò id non faciant per se ipsos. Item emere boves, equos, aliáque animalia

pro cultura ſuorum agrorum, etiam cum animo ea poſtea revendendi, vel empta ſine animo vendendi, poſtea oblata occaſione opportuna cariùs vendere, ut notant, citt. DD. quia negotiari non eſt ſolùm emere, & cariùs vendere, ſed emere eo fine, & animo, ut cariùs, & cum lucro vendas, & hinc casu, quo Clericus aliquid pro ſe, vel ſuorum neceſſitate, aut utilitate emit, ſi uti illô ex quacumque causa non velit, vel non poſſit, vel ſi quid poſt usum remaneat, poteſt ſine metu incurrendi aliquam pœnam vendere pretio etiam majore, ſi tamen ſit pretium juſtum,& tunc currens.

594 Ad 3. Q. An Clericus non habens ſufficientem ſuſtentationem licitè negotietur? R. ſi non habeat, unde decenter ſuſtentetur, nec alius honeſtior modus ſuppetat victum ſibi comparandi, licitè utique ad negotiationem exercendam recurrit, ut notat S. Thom. 2. 2. *q.* 187. cum Gloſſ. *in can. negotiatorem citt.* & communi aliorum. Et ratio eſt, quia neceſſitas legem non habet,& leges Eccleſiaſticæ non obligant cum gravi incommodo, & rationabili neceſſitate urgente, ut conſtat ex aliis legibus Eccleſiaſticis: Unde infert Molina, Religioſos illos, qui in Braſilica Regione Gentilium converſioni intenti rebus multis ex Hiſpania ad ſuam ſuſtentationem indigent, neque pecuniæ ipſis ſuppetunt, quas pro iis comparandis in Hiſpaniam mittant, poſſe alias merces ſubmittere, quarum copia ibi eſt, ut earum pretio neceſſaria in Hiſpania ſibi comparent,& procurent, quia, inquit, in tali casu locum habet Epykia, ne ex victûs defectu deſint operarii neceſſarii ad illam vineam excolendam. Id, quod ſæpiùs imò etiam nuper contigit, ubi maxima copia ejusmodi mercium ex Mexico hunc in finem in Germaniam ſubmiſſa eſt.

CA-

CASUS C.

De Thesaurario pecuniis Principis negotiante, & Creditorum solutiones retardante.

POntianus cujusdam Principis Thesaurarius cum pecuniis Principis sibi concreditis, eo inscio, negotiatur in suum maximum commodum, & lucrum, sine tamen Principis detrimento, & idcircò ob pecuniam negotiationi commissam non nunquam etiam retardat solutionem Creditorum Regis, aut in solutione unum præfert alteri, aliquid propterea ab eo petendo, & accipiendo.

QUÆR. I. An, & quando liceat depositario uti re depositâ?

QUÆR. II. An Pontianus lucrum illud possit in conscientia sibi retinere, anne Principi restituere teneatur?

QUÆR. III. An, & quomodo peccet Pontianus per eam Creditorum solutionem, & ad aliquam restitutionem teneatur?

595 AD 1. Q. R. non esse hîc quæstionem de depositio pro casu, quò depositum transit in mutuum, & per consequens dominium rei depositæ pertinet ad depositarium, quo casu potest utique depositarius liberè ea re uti, eámque consumere, & quacunque ratione tunc pereat, ipsi depositario, & non deponenti, perit: sed quæstio hîc est de aliis depositi speciebus; ubi communis DD. affirmat per se loquendo nefas esse depositario re depositâ uti absque deponentis consensu, quia non est illi usus concessus, sed commissa duntaxat custodia: & hinc si contra deponentis voluntatem re depositâ utatur, non solùm tenetur restituere domino rei valorem illius usûs, sed etiam deponenti conceditur actio furti adversus illum, *l. furtum ff. de condict. furt. l. 3. C. depositi, §. furtum autem &c.*

596 Si tamen res sit usu consumptibilis, uti pecunia, triticum, aut aliud in pondere, numero, aut mensura consistens, non censeri, regulariter saltem, peccatum esse grave, si eam depositarius consumet in suum usum, si quidem certus sit, se tantundem æquè bonum in promptu habiturum, quod reddat deponenti, quando, & ubi is depositum repetet, docent S. Anton. *p. 2. tit. 1. c. 15. §. 5.* Molina *D. 524.* Lugo *D. 33. Sect. 1.* Less. *l. 2. c. 27. n. 8.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 25.* Sylvest. *V. depositum n. 10.* Navar. Rebell. aliique Rationem dant, quia tunc deponens non censetur rationabiliter invitus, adeóque tacitè consentire, eò quòd talis usus, vel alienatio non cedat in ipsius damnum, sed potiùs in commodum, quia sic res conservatur incolumis deponenti, etsi casu fortuito, vel culpa etiam levissima pereat, quæ aliàs tunc deponenti periret. Ad quem autem id, quod depositarius utendo re deposita lucratus est, pertineat, patebit ex mox dicendis. Unde

597 Ad 2. Q. R. id, quod Pontianus cum pecuniis Principis negotiando, cambiendo &c. lucratus est, non ad Principem, sed ad ipsum Pontianum pertinere, modò is proprio nomine, & periculo pecunias exposuerit, & si quod fortè damnum Princeps inde esset passurus, velit, ac possit illud compensare. Ita D. Anton. l. c. Molina citt. *D. 524.* Laym. l. c. Navar. *c. 23. n. 94.* Sotus, Rebell. Sylv. aliique, & habetur *l. idemque, §. si mandavero &c.* Ratio est, quia hoc lucrum non est rei, seu pecuniæ, sed industriæ, quam Pontianus adhibuit; cùm enim pecuniæ non sint ex natura sua fructiferæ, sed id habeant ex industria negotiantis, inde fit, ut quid quid illis comparat Pontianus negotiando, id totum, tanquam fructus suæ industriæ, eidem debeatur; quemadmodum & usurarius, & fur quamvis restituere teneantur ea, quæ usurâ, & furtô acceperunt, quæ tamen pecuniis ita acquisitis per licitam negotiationem lucrati sunt, restituere non tenentur, ut tenet communis apud Molin. *D. 327.* tenentur tamen hi restituere quodcumque damnum emergens, vel lucrum cessans ex injusta eorumdem detentione, sicut & Thesaurarius si propter ejus negotiationem Principi lucrum cesset, vel damnum emergat, id totum Principi refarcire debet, uti & aliis Principis Creditoribus, pro quorum solutione pecuniæ illæ destinatæ erant, si hi damnum aliquod passi sunt ex dilatione solutionis tempore convenienti non præstitæ.

598 Dixi suprà, si proprio nomine, & periculo pecunias exposuit &c. nam si pecuniæ expositæ fuissent periculo Principis, ut hic jactu-

ræ

ræ periculum subiret, lucrum quoque ad Principem pertineret, æquum enim est, ut ejusdem sit lucrum, cujus est periculum, & damnum, uti habetur *in l. idemque, §. si mandavero, ff. mandati, & l. ex mandato ff. eod. commodum enim ejus esse debet, cujus periculum est.* Deducta tamen mercede laboris, & sumptuum à negotiante ad faciendum lucrum impensorum.

599 Nec obest, quòd leges prohibeant, ne pecuniæ publicæ titulo mutui, vel alterius contractûs exponantur, *l. 1. & 2. C. de his, quæ ex public. collat. & l. 1. C. de his, quæ ex public. ration. l. 10.* Nam id secundùm D. Anton. l. c. Sylv. Bejam, Rebell. Laym. l. c. Salas D. 3. p. 2. Navar. & alios, intelligendum est de illo, qui negotiatur cum periculo, & damno Reipublicæ, vel eorum, quibus debent Statutis temporibus Stipendia solvi; non verò de casu particulari, quo certum est nullum damnum Domino eventurum, & scandalum cessat

Cùm tamen ejusmodi negotiationes plerumque non sine scandalo fiant, & in damnum Principis, vel Communitatis cedant, ideò quibusdem in locis, si ejusmodi Officiales negotiatores deprehendantur, graviter puniri, & Officio amoveri solent, ut notat Laym. l. c.

Ad 3. Q. R. cum Molina *D.* 600 313. & Lug. Pontianum Thesaurarium accipiendo partem debiti, vel aliquid aliud, ut in solutione Creditorum unum præferat alteri, peccare graviter pro rei gravitate, & teneri ad restituendum sic acceptum. Ratio est, quia non est in potestate ejusmodi Principis Ministrorum Principis Creditorum unum præferre alteri cum detrimento publico, & præjudicio aliorum, nec retardare solutionem, si habeant bona Regis, unde solvant, aut per *ipsos* stet, quo minùs ea habeant, nec ullus suppetit titulus, qno ab injusta retardatione excusentur; & sicut ipse Rex ea de causa nequit accipere remissionem debiti, aut quidquam aliud, tenetúrque restituere, si ita, & ideò accipiat; ita nec ejus Ministri loco Principis solventes ea de causa quidquam accipere possunt, & si accipiant, ad restituendum id obligantur, quod sic *injustè* accepêre: Imò si ejusmodi Ministri pecuniâ Regis utantur ad negotiandum, eaque de causa differant solutiones, ut ita Creditores ea debita longè minori pretio vendere cogantur, non solùm tenentur refarcire Creditoribus damna, quæ ea de causa eis obveniunt, sed etiam obligantur compensare damna ipsi Regi, eò quòd omnia cariùs vendantur, & locentur ideò, quia solutiones non fiunt debi-

to, & convenienti tempore, ut notat Molina l. c. Quòd si non adsint bona sufficientia, unde omnes statim solvantur, præferendi sunt ii, qui jus prælationis habent, vel si nulli tale jus competat, dividenda sunt bona, & pro proportione, & rata debitorum per partes præstanda solutio, ita ut nullus Creditorum gravetur.

FINIS.



INDEX

INDEX

RERUM, ET VERBORUM.

A.

Abbatissa.

AN Abbatissa, vel Prioriſſa poſſit aliquid ſuis Monialibus præcipere in virtute S. Obedientiæ? n. marg. 516. 517. An vota ſuarum Monialium irritare? n. 518.

An in iis diſpenſare? n. 519. An tempore Jubilæi poſſit Abbatiſſa Confeſſarium pro ſe, vel aliis monialibus eligere ſpecialiter ab Epiſcopo non approbatum? 521

Abſolutio.

An abſolvendus ſit, vel abſolvi poſſit moribundus, qui neque in ſpecie, neque in genere peccata ſua confiteri poteſt, nec ullum dat ſignum Confeſſionis? n. 226. 227. 228. 229.

An, & quando, & à quo Confeſſario abſolvi poſſint peregrini, & advenæ habentes Caſum reſervatum, & tranſeuntes ad aliam Diœceſim? n. 208. 209. An peccet abſolvens à Casu reſervato cum jurisdictione dubia, vel ex ratione probabili? n. 211. 212. An Superior poſſit ſubdelegare ſuam poteſtatem ad ſe ipsum à Caſu reſervato abſolvendum? n. 215.

An abſolutus à reſervatis cenſeatur abſolutus etiam ab eo reſervato, quod ob inculpabilem oblivionem omiſit in ipsa Confeſſione? n. 236. 237. 238. An Superior poſſit ſola pœnitentis peccata reſervata audire, & Sacramentaliter ab illis abſolvere, & pro abſolutione non reſer-

reservatorum eum remittere ad inferiorem Confessarium? n. 239. An concessa per Superiorem, vel ejus delegatum absolutione à Casibus reservatis in Confessione sibi expositis tollatur reservatio, tametsi absolutio ex aliquo defectu fuerit nulla? n. 240. Quomodo se gerere debeat non habens potestatem in reservata ad absolvendum, si in Casu urgente advertat inter non reservata exponi etiam reservata? n. 241. 242. 243.

An denuo sit absolvendus, qui post peractam Confessionem, & acceptam absolutionem Statim subjungit peccatum grave, cujus priùs fuerat oblitus? n. 329. De S. Viatico, & absolutione data moribundo Acatholico à Sacerdote Catholico dissimulante Religionem Catholicam n. 229. 230. 235. An error personæ vitiaverit Confessionem Lutherani putantis Catholicum, qui se absolvit, esse Lutheranum? n. 233. 234 An, & quando absolutiones à Parocho excommunicato impertitæ suis pœnitentibus validæ sint? n. 327. An absolvi possit ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ, qui prætextu publicati Jubilæi, & spe obtinendæ absolutionis arma ad Turcas defert? 361 An danda sit Scheda Confessionis ei, cui ob indispositionem negata fuit absolutio? n. 245 An omnis Sacerdos, etiam simplex, absolvere possit ab Excommunicatione minore? n. 369

Acceptio personarum.

Quibus in casibus locum habeat acceptio personarum? n. 85

Adulterium. Adulter.

An adulter occultus petere possit debitum conjugale à conjuge adulterium ignorante? n. 446. 447. An si maritus post factum per sententiam Judicis divortium ob adulterium uxoris, & ipse postea adulterium committat, teneatur reconciliari uxori volenti, & petenti? n. 474. & 475

An conjux innocens, factô per sententiam Judicis divortiô, & manente utriusque Statu immutato, cogere possit adulterum invitum, ut sibi reconcilietur? 477 & an ob adulterium tam occultum, quàm notorium liceat conjugi innocenti propria authoritate divortium facere, nulla expectata Judicis sententia? n. 480

Advocatus.

An Advocatus sulcipere possit causam defendendam minùs probabilem? 152. 153. Et an, & quando, amissâ causâ, salarium

rium restituere, & damna partibus resarcire teneatur? n. 154. Et an, & de quonam salario paciſci licitè possit solvendo à suo Cliente? n. 155

Assistentia matrim.

Qualis licentia requiratur, & sufficiat, ut matrimoniis assistere possit alienus Sacerdos? n. 453 An tacita de præsenti, aut etiam ratihabitio de futuro? n. 455. Aut data extraneo ab Ordinario de præscitu proprii Parochi? n. 456. An valida sit licentia assistendi matrimonio dolô, & mendaciis obtenta, aut metu extorta? 458. 459. An ad assistendum matrimonio sufficiant qualescunque testes? n. 461. Etiam inviti, & vi aut dolo detenti? n. 462. An validum sit matrimonium, cui Parochus assistit contra prohibitionem Episcopi? n. 407

B.

Baptismus.

An validus sit Baptismus infantis in utero aquâ abluti, vel in digito pedis prominente? n. 319 320. & an valeat collatus sub hac forma: ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis, nullâ personâ expressâ? n. 321. An infantes expositi, & reperti cum appositâ scheda testante de Baptismo, sint rebaptizandi sub conditione? n. 323. 324

Beneficium Ecclesiast. Beneficiatus.

An habens Beneficium insufficiens, & acquirens sufficiens teneatur dimittere insufficiens? n. 276. Et an habens sufficiens obtinere possit etiam insufficiens n. 277 An Beneficiatus, qui Beneficium quidem actu possidet, sed ob litem intentatam nullos interim fructus percipit, teneatur vi illius Breviarium recitare, & si non recitet, fructus postea, lite terminata, percipiendos restituere? n. 265 266. An habens Beneficium tenue teneatur Breviarium recitare, & si non recitet, possit fructus aliàs pauperibus restituendos sibi tanquam pauperi applicare? n. 267. 268. An impediens digniorem à consecutione Beneficii Ecclesiastici teneatur ad restitutionem? n. 99. 100. De Clerico inserviente Episcopo spe, & intentione obtinendi Beneficii. n. 272 An excusandus sit Beneficiatus ab onere restituendi ob omissum culpabiliter Breviarium, qui largam in pauperes distribuit Eleemosynam, nil tamen cogitans de sua obligatione, & onere restituendi? n. 294

An, & qualis detur obligatio eligendi, præsentandi, & præferen-

ferendi digniores ad Beneficia Ecclesiastica? Vide *Electio, collatio, præsentatio.*

An Beneficium à testatore fundatum, & relictum pro suis consanguineis conferri possit illegitimis, & spuriis? n. 314. An & in quibus Beneficiis quoad pluralitatem dispensare possit Episcopus? n. 278

Breviarium. Vide *Horæ Canonicæ.*

C.

Candidatus.

An, & quando pro receptione Candidati in Religionem possit aliquid exigi, & accipi absque Simonia? n. 402. 404

Canonicus.

An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos aliis suam partem canentibus, percipere tamen possit distributiones? n. 295. Quid sentiendum de illo Canonico, qui aliis psallentibus profana legit, aut confabulatur cum suo Socio? n. 296. An peccet mortaliter Canonicus, qui dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro? n. 297. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari tamen possit distributiones, non solùm proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium? n. 298 299

Carnes.

An post septennium liceat pueris die jejunii carnes ministrare? n. 263

An, & quomodo peccet comedens carnes diebus vetitis in terris hæreticorum? n. 252

Casus reservati. Vide *Confessio, Confessarius. Absolutio.*

Caupo.

An graviter peccet Caupo invitans die jejunii hospites ad Cœnam? n. 567

An, & quomodo delinquant Caupones, & tabernarii ministrantes die jejunii cibos hospitibus, quando credunt, eos à jejunio non excusari, vel vinum vendentes se inebriaturis? n. 569 570. 571

Causa excusans à Missæ auditione. Vid. *Missa.*

Census. Vid. *Usura.*

Collatio Beneficii. Vid. *Electio, Præsentatio.*

Commemoratio defunct. Vid. *Defuncti.*

Com-

Communicatio cum excommunicato. Vid. *Excommunicatio.*

Communio.

An tempore Paſchali prævidens impedimentum futurum prævenire teneatur, & ante tempus Paſchale communicare, & an, ſi prævenit, ſublatô poſtea impedimentô, & oblata occaſione communicandi adhuc tempore Paſchali, teneatur rurſus communicare? n. 248. 249. 250 Et an per communionem ſacrilegam ſatisfiat eidem præcepto? n. 251. An pueri ſeptennium egreſſi teneantur præcepto communionis Paſchalis, & an iisdem completo ſeptennio dandum ſit S. Viaticum in articulo mortis? n. 258. 259. 260. An qui certò ſcit, ſe comediſſe, vel bibiſſe, ſed dubitat, an id ante, vel poſt 12. noctis horam acciderit, poſſit ſequenti die licitè communicare vel celebrare? n. 253. 255 & an id licitè poſſit, qui ſcit, ſe poſt medium noctis fuiſſe jejunum, ſed dubitat, an poſtea aliquid de cibo, vel potu in Stomachum deſcenderit? n. 256. Uti & ille, qui ad primum horæ duodecimæ pulſum non Statim ceſſat à comeſtione? n. 257. An, & quando mutus & ſurdus ſimul à notivitate admitti poſſit ad S. Communionem? n. 208

Comœdia. Vid. *Turpia.*

Compenſatio occulta.

De conditionibus ad occultam compenſationem requiſitis. n. 341. & an res per occultam compenſationem accepta tranſeat Statim in dominium compenſantis? n. 344

An quando ſub juramento Judex interrogat, an aliquid de rebus ablatis occultaveris, vel retineas, poſſis negare, ſi aliqua occultâſti ad faciendam occultam compenſationem? n. 343 An ligêris Excommunicatione lata ab Epiſcopo in eos, qui occaſione orti incendii ablata, & occultata non reſtituunt, ſi non reſtituis ea, quæ per factam occultam Compenſationem occultâſti, & adhuc retines? n. 342

Conductor.

Cui res locata pereat, an conductori, anve locatori? n. 54

An & quando penſio rei conductæ, ſeu locatæ minuenda ſit, vel augenda ob anni ſterilitatem, aut fertilitatem? n. 50 51. 52 Ex qua culpa conductor locatori, & hic illi teneatur? n. 54

Confeſſio, Confeſſarius.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſa-

fessarius non habens potestatem in reservata, si in Confessione advertat inter non reservata exponi etiam reservata? n. 225. 226

An, & quando teneatur Confessarius auferre pœnitenti ignorantiam circa peccata, quæ commisit? n. 191. 192. Et an, & quando teneatur Confessarius supplere defectus circa valorem Sacramenti à se in Confessione commissos? n. 194 195 An qui in juventute nunquam confessus est prava desideria, & pollutiones, quia non putavit esse peccata, teneatur postea, cùm id rescit, reiterare Confessiones, vel si dubitet, an ex verecundia peccatum mortale in Confessione omiserit? n. 196. 197 An reticeri possit peccatum, aut debeat, quod sine complicis manifestatione non potest in Confessione aperiri? n. 198. 199 200. An repetendæ sint Confessiones hactenus factæ sine expressione gravium peccatorum? n. 201. An in Confessione exponendus sit numerus copularum cum consanguinea uno concubitu habitarum, & gradus incestûs? n. 202. 203 An Confessio ob vanam gloriam, seu ex malo fine facta ita vitietur, ut Sacramentum irritum, aut infructuosum reddatur? n. 204. An, & quando mutus simul, & surdus à nativitate admitti possit, aut debeat ad Confessionem? n. 205. 206. A quo Confessario absolvi possint peregrini, & advenæ habentes casum reservatum, & transeuntes ad aliam Diœcesim? n. 208. 209. An potestas alicui delegata ad audiendas Confessiones, mortuo delegante, exspiret? n. 216. Qualis, & quanta pœnitentia à Confessario imponenda sit pœnitenti, & an, & quando possit hic eam recusare? n. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223

An error personæ in Confessario Catholico vitiet Confessionem Lutherani putantis eum esse Lutheranum? n. 233. 234. An Confessio præsenti Confessario fieri possit scripto, anue vocis Sermone facienda sit secluso casu necessitatis? n. 247. An Scheda Confessionis danda sit ei, cui ob indispositionem negata fuit absolutio? n. 245. An sub sigillo Confessionis teneatur, qui alterius Confessionem scriptam reperit, & legit? n. 246. Quid Confessarius consulere possit, aut debeat innocenti sibimet falsum crimen imponentis ad evitanda gravia tormenta? n. 8. 9. Quomodo Confessarius se gerere debeat cum sagis? n. 150.

An qui Confessus peccatum ut dubium, si postea deprehendat, cer-

certum fuisse, teneatur rursus ut certum confiteri? n. 330 302

Consanguinei. Vid. *Legatum.*

Contractus.

An, & quales contractus jure positivo nulli juramentô firmentur? n. 40. 41

An licitus sit contractus, quô fructus prædii divenditi percipis correspondentes alteri parti pretii, cujus interim expectas solutionem? n. 47. 48 49

An validi sint contractus ab Excommunicato tempore Excommunicationis initi? n. 364. 365

Contractus speciem usuræ habentes. Vide *Usura.*

Consecratio Ecclesiæ.

An Consecratio, & Dedicatio Ecclesiæ juxta Rubricas sint idem, & an tempore Consecrationis Officium Divinum de eadem dici possit, & de eodem Missa legi in Sacello privato? n. 551 552. 553

Creditor.

An quando absque designatione certæ speciei, & numeri in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea monetæ valor extrinsecè immutatur, diminutionis detrimentum, & commodum augmenti ferre debeat Creditor, an verò debitor? n. 188. An quando certa species, aut numerus monetæ promissus est, aut in pactum deductus, possit adhuc creditori satisfieri per aliam ejusdem valoris monetam? n. 190

Copula.

An, & quando delectatio de copula sub conditione habita peccatum sit mortale? n. 485 586. An licita sit viduis delectatio de copula tempore matrimonii habita? n. 490. 491

Et sponsis de futuro delectatio captata ex futuræ copulæ conjugalis cogitatione? n. 492

An in Confessione exponendus sit numerus copularum cum consanguinea uno concubitu habitarum, & gradus incestûs? n. 202. 203

Crimen.

An graviter peccet imponens sibi falsum crimen in judicio ad vitanda gravia tormenta, ob quod morti adjudicandus est? n. 10

Culpa. Vid. *Depositarius. Detractio.*

D.

Debitor, debitum.

An debitum indefinitè contra-

ctum præscribi possit ? n. 45. 46. An debitor impotens ad solvendum, & conscius suæ impotentiæ possit in præjudicium Creditorum domum, quam adhuc habet, licitè, & validè alienare ad filiam dotandam, & filia dotem acceptare, ac retinere ? n. 61. 65. & 125

An, & quando debitor ob damnum in propriis bonis emergens, aut lucrum cessans excusetur à restitutione statim facienda, & quando ab ea ex sufficiente causa excusatur, debeat postea ultra debitum ipsum restituere detrimentum lucri cessantis, vel damni emergentis, quod Creditor ex dilatione passus est ? n. 110. 111

An si debitor morosus sit in mora culpabili solvendi, & ideò creditor cogatur accipere pecuniam ab alio, & solvere interesse, debeat id totum solvi ab ejus debitore, si priùs non fuit de eo admonitus à suo creditore ? n. 112. 113

Quale sit peccatum petenti negare debitum conjugale ? 452 Et an liceat non reddere, ne liberi multiplicentur ? n. 450 451 Et an possit peti, si adulterium sit occultum ? n. 446 An uxor sciens maritum voto castitatis obstrictum esse, possit, vel teneatur debitum reddere petenti ? n. 448 Unde dignoscendum, sitne culpa, nec ne debitum reddere, ubi petens exigendo delinquit ? n. 449

Dedicatio. Vid. *Consecratio.*

Defloratio. Vid. *Sponsalia.*

Defuncti, mortui.

An die animarum, seu Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum Sacerdotes Missas applicare debeant generaliter pro omnibus Defunctis, anue alicui, vel aliquibus in particulari applicare possint ? n. 548. An qui mortuis graviter detrahit, peccet contra Justitiam, & ad restitutionem teneatur ? n. 71. 72. Et quibus ac quomodo facienda sit famæ restitutio ? n. 73. 74 An, & quibus restituendæ sint vestes, & alia defunctis humatis furtò sublata ? n. 75. 76 An liceat Catholico comitari funus defuncti hæretici cognati sui ? n. 77

Delectatio morosa. Vid. Cas. 83. & 84.

Delegatio. Vid. *potestas.*

Depositum, Depositarius.

Ex qua culpa teneatur depositarius deponenti, si res deposita apud ipsum pereat, vel deterior fiat, vel furto surripiatur,

tur, vel non omnia depoſita in ciſta inveniantur? n. 1101 102. 103. 104 An, & quando liceat depoſitario depoſitô uti, aut cum eo negotiari? n. 595. 596. 597

Detractio famæ. Detractor.

Quid ſit detractio, quid fama, quot modis hæc lædatur? n. 71. An qui mortuis, etiam damnatis, graviter detrahit, peccet contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur? n. 71. 72. Et quibus, ac quomodo facienda ſit famæ reſtitutio? n. 73. 74

An qui ſolùm per culpam venialem alteri detraxit, teneatur in conſcientia reparare grave damnum inde ſecutum? n. 86. 87. 88. An detractor famam alienam graviter læſam reparare debeat non ſolùm apud eos, apud quos illam immediatè detraxit, ſed etiam apud alios auditores mediatos? n. 91. An obligatio reſtituendi pro fama læſa tranſeat ad hæredes defuncti detractoris, quando hic ante mortem non reſtituit? n. 92. Et an is, qui alteri adhuc viventi famam non reſtituit, teneatur aliquid reſtituere ejus hæredibus poſt ejus mortem? n. 92

Digni, digniores. Vid. *Electio, præſentatio. Officia publica.*

Dimiſſoria litt. Vid. *Litteræ.*

Diſſimulatio fidei. Vid. *ſimulatio.*

Diſpenſatio.

An ſubſiſtat diſpenſatio, quando in Reſcripto per errorem poſitus eſt tertius conſanguinitatis gradus loco tertii affinitatis? n. 463. 464. An, & quando error, qui committitur in nomine mutato, loco, vel Diœceſi, &c. vitiet diſpenſationem, ſeu Reſcriptum? n. 466. 467. An Epiſcopus, vel alius Superior poſſit ſecum ipſo diſpenſare in voto, jejunio, & iis, in quibus ipſe poteſt cum ſuis ſubditis? n. 213. 214. An, & in quibus Beneficiis diſpenſare poſſit Epiſcopus quoad eorundem pluralitatem? n. 278.

An absque diſpenſatione poſſit illegitimus occultus ſuſcipere Sacros Ordines? n. 312

An opus ſit diſpenſatione, ut Catholicus licitè contrahere valeat cum hæretico? n. 442

Divitiæ inſperatæ. Vid. *Sponſalia.*

Divortium.

An, & quando factô ob adulterium divortiô dos uxori reſtituenda ſit? n. 482. An, & quando maritus teneatur alere uxorem

uxorem factô divortiô? n. 471 An, & quando factô divortiô alenda sit uxor etiam tunc, quando & mariti culpâ, & sua propriâ ab eo recessit? n. 472. An, & quando mala tractatio uxoris justa causa sit divertendi à marito? n. 470 An uxor Catholica ob hæresim mariti ab eo divertere possit? n. 444 An, si maritus post factum per sententiam Judicis divortium ob adulterium uxoris, & ipse adulterium postea committat, teneatur reconciliari uxori volenti, & petenti? n. 474. 475. An conjux innocens factô per sententiam Judicis divortiô, & manente utriusque Statu immutato cogere possit adulterum invitum, ut sibi reconcilietur? n. 477. 478. An ob adulterium tam occultum, quàm notorium liceat conjugi innocenti propria authoritate divortium facere nulla expectatâ Judicis sententiâ? n. 480. A quo conjuge educandi, & alendi sint filii factô divortiô? n. 483

Dolus.

An, & quando accepta per dolum sint restituenda? n. 30 31. An, & qualis dolus infirmet contractum? n. 34. 35 36

Donatio.

An, & quales donationes filio à patre factæ in portionem hæreditatis conferendæ sint? n. 399

Dos.

An pater filiæ nubenti teneatur dotem constituere, etiamsi aliunde dives sit, & an, etiam, se invitô, nubenti? n. 468. 469 An parens impotens ad solvenda sua debita, rem, quam adhuc habet, alienare possit ad dotandam suam filiam, & an filia dotem acceptare, ac retinere possit? n. 61. 62. 65 De dote subdolè obtenta, & pactis dotalitiis. n. 178. 80. 81 An, & quando dos factô ob adulterium divortiô uxori restituenda sit? n. 482.

E.

Eleemosyna.

An, & quando accipiens Eleemosynam simulata paupertate teneatur ad restitutionem? n. 29. 30. 31 An qui pauperi extremè indigenti denegavit Eleemosynam, teneatur transacta necessitate aliquid postea restituere? n. 37. 38.

An excusandus sit Beneficiatus ab onere restituendi ob omissum culpabiliter Breviarium, qui lar-

largam in pauperes distribuit Eleemosynam; nil tamen cogitans de sua obligatione, & onere restituendi? n. 294

Electio. Electus.

An, & qualis extra concursum detur obligatio præferendi in electionibus digniores ad Beneficia Ecclesiastica? n. 279 280. 282. An valida sit electio, vel collatio Beneficii Clerico curato digno facta, prætermisso digniore? n. 284. An eligens dignum ad Beneficium omisso digniore, teneatur ad restitutionem Ecclesiæ, vel digniori faciendam? n. 285 286. An patronus laicus teneatur digniorem præsentare ad Beneficium Ecclesiasticum? n. 286

An Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus conferre possit Beneficia Ecclesiastica, & approbare Sacerdotes in ministros Confessionis? 388. De impediente digniorem à consecutione Beneficii Ecclesiastici, n. 99. 100 An monialis tempore Jubilæi possit Confessarium sibi eligere specialiter non approbatum ab Episcopo? 521

Emptor.

An emptor sciens venditorem impotentem esse ad solvenda sua debita peccet contra justitiam emendo ejus domum &c. n. 62. 63. 122. 123 An, & quando emptor ob rem furtivam à se emptam ad restitutionem teneatur? n. 60 De restitutione facienda ab emptore bonæ fidei. n. 60

Episcopus. Episcopatus.

An Episcopus, vel alius Superior, possit secum ipso dispensare in voto, jejunio, & iis, in quibus potest cum suis subditis? n. 213. 214. Et an delegare, vel subdelegare possit suam potestatem ad se ipsum à casu reservato absolvendum? n. 215. An & in quibus Beneficiis dispensare possit Episcopus quoad eorum pluralitatem? n. 278

An Episcopus electus & confirmatus, sed nondum consecratus conferre possit Beneficia Ecclesiastica, & approbare Confessarios? n. 288

An ad hoc, ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere possit, opus sit speciali consensu Episcopi, vel dispensatione Pontificia? n. 442

An, & quomodo illicitum sit Episcopatum desiderare? n. 287

Error.

An, & quando error, qui com-

mittitur in nomine mutato, loco, Diœceſi &c. vitiet Reſcriptum, ſeu diſpenſationem? n. 467. 467. An ſubſiſtat diſpenſatio, quando in Reſcripto per errorem poſitus eſt tertius conſanguinitatis gradus loco tertii affinitatis? n. 464. 465 An error perſonæ in Confeſſario Catholico vitiaverit Confeſſionem Lutherani putantis eum eſſe Lutheranum? n. 233. 234

Excommunicatio. Excommunicatus.

An ligetur cenſurâ, & re ipſa ſit excommunicatus innocens, qui ſecundùm allegata, & probata in judicio cenſetur nocens, & ideò excommunicatur? n. 334. 335. 336

An dubius de Excommunicatione debeas te reputare cenſurâ ligatum? n. 337

An, & quando percutiens Clericum turpiter agentem cum uxore, matre, Sorore, ſponſa, excommunicationem incurrat? n. 338

Quid requiratur ad incurrendam Excommunicationem ob Clerici percuſſionem? & an, & quando ignorans vincibiliter eſſe Clericum, quem percutit, excommunicationem incurrat? n. 340. An quando dubitatur, an percuſſio in perſonam Clerici facta gravis ſit, vel levis, judicanda ſit potiùs gravis, quàm levis? n. 339

An mandans occidi, vel percuti Clericum incurrat Excommunicationem? n. 345. 346 Aut qui ratam habet Clerici percuſſionem, vel occiſionem ſuo nomine factam. n. 347

An, ſi poſt mortem mandantis, quam mandatarius ignorat, percutiat Clericum, vel occidat, ipſe defunctus Excommunicationem incurrat, etſi, dum viveret, mandatum revocaverit? n. 348 An qui Clericum pugno, vel baculo uno, alterove ictu leviter percutit, incidat in Excommunicationem? n. 349. 350. An excommunicatus confitens, & ex oblivione non manifeſtans Excommunicationis cenſuram, validè recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, ejúsque fructum? n. 351 352 Et an ſi illud recipiat excommunicatus Excommunicatione minore? n. 368

An excommunicatus recedens à culpa ſua, & contumacia, & per contritionem, vel Confeſſionem juſtificatus particeps fiat omnium ſuffragiorum Eccleſiæ. ſi per ipſum non ſtet, quominùs per Judicis ſententiam abſolvatur? n. 353

Utrum Excommunicatus, qui negligens eſt in procuranda abſolutione à cenſura, peccet contra præceptum de audienda Miſſa, annua Confeſſione, &

Com-

munione Paschali, quibus aliàs posset satisfacere? n. 354. 355 De vitanda communicatione cum Excommunicato tam privatim, quàm publicè? n. 362 363 Et an, & quando peccatum lethale sit communicare cum Excommunicato extra tempora jure permissa? n. 366 An vendens solùm arma infidelibus in locis Christiano Principi subjectis incidat in Excommunicationem Bullæ Cœnæ, etsi ea ipsemet non deferat ad terras infidelium? n. 356. 357. An nomine prohibitorum in Bullæ Cœnæ comprehendantur etiam vestimenta, victualia, aliæque merces? n. 359. 360. An ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ absolvi possit, qui prætextu publicati Jubilæi, & spe obtinendæ absolutionis arma ad Turcas defert? n. 361. An Religiosus larvatus per Urbem incedendo Excommunicationem incurrat? n. 372. An, qui fecit occultam compensationem, incidat in excommunicationem latam in non restituentes ablata? n. 342

Expensæ à filio factæ.

An expensæ à filio ex consensu patris factæ in gradus academicos, Studia, lustrationem peregrinarum Regionum post mortem patris conferendæ sint in legitimam, seu hæreditatis portionem cum aliis fratribus? n. 396. 397. An sumptus, quos pater ad comparandum filio aliquod Officium expendit, conferendi, ac computandi sint in portionem hæreditatis? n. 398

Expositi. Vid. *Filii.*

F.

Fama læsa. Vid. *Detractio.*

Fera. Vid. *Venatio.* Fertilitas. Vid. *Pensio.*

Filii Spurii, naturales, illegitimi, expositi.

An, & quando filii spurii succedant matri, & an, & quomodo naturales? n. 310. An valeat testamentum, quo filia spuria instituitur hæres? n. 309 Quale peccatum sit exponere infantes, & an liceat illegitimum exponere ad crimen occultandum? 303 A quo alenda sit proles exposita, & an pater teneatur Hospitali refundere sumptus in educationem prolis factos? n. 304. 305 An illegitimus occultus S. Ordines suscipere possit, anne sit irregularis? n. 312 An expositi habendi sint pro illegitimis, anne pro legitimis? n. 325 De Baptismo expositorum

torum. Vid. *Baptiſmus.* Filii ſumptus in gradus academicos facti. Vid. *Expenſæ.* An illegitimis, & ſpuriis conferri poſſit Beneficium à Fundatore relictum pro conſanguineis ſuæ familiæ? n. 314

Fornicatio. Vid. *Sponſalia.*

Fructus. Vid. *Venditio.*

Funus.

An liceat Catholicis funus hæretici cognati comitari? n. 77

Fur, Furtum.

An, & quando fur teneatur reſarcire damnum caſu fortuito ex incendio domûs datum à ſe, & ab aliis ob relictum domûs oſtium apertum? n. 56. 57 An, & quibus reſtituendæ ſint veſtes, & alia defunctis humatis furtò ablata? n. 75. 76 An, & quando res furtiva, ab emptore empta, ſit reſtituenda? n. 60. Quomodo tollenda ſit conſuetudo furandi contracta à muto ſimul, & ſurdo à nativitate? n. 205. 206. Quid præſtare, & facere teneatur fur occultus, cujus furtum imputatur alteri innocenti? n. 13. 14 An, & quando Clericus, vel Religioſus absque periculo irregularitatis poſſit furem, ſeu raptorem ſuarum rerum Judici denunciare, etſi ex qualitate delicti prævideatur ad mortem condemnatum iri? n. 375 idque tam in cauſa propria, quàm aliena? n. 376

G.

Gabella.

Quid, & quotuplex ſit gabella? n. 19. 20. An, & quando Princeps Sæcularis, poſſit gabellas imponere ſuper bonis Eccleſiaſticorum? n. 16. 17 An defraudantes gabellas, & vectigalia juſta peccent contra juſtitiam, & ad reſtitutionem teneantur? n. 21. 22 An in dubio de juſtitia gabellarum novarum, aut augmenti veterum ſit obligatio eas ſolvendi? n. 23. 24. Quid requiratur ad hoc, ut Gabella ſit juſta? n. 20

Gradus Academici. Vid. *Filii. Expenſæ.*

H.

Hæres.

Quinam ſint hæredes neceſſarii, quinam non? n. 180

Hæretici Confeſſio. Vid. *Abſolutio, Confeſſio.*

Homi-

Homicidium, homicida.

Quid teneatur homicida restituere pro homicidio, damnis corporis, & bonorum fortunæ? n. 1. & 2. Quibus personis facienda sit restitutio? n. 3. & 4. An etiam Creditoribus occisi? n. 5. An etiam innocenti, cui falsò imputatum est homicidium? n. 6 An sciens Authorem occulti homicidii innocenti falsò imputati teneatur illud manifestare ad eum liberandum? n. 7. An mandans occidi Clericum incurrat Excommunicationem? n. 345 Aut qui Clerici occisionem suo nomine factam ratam habet? n. 347

Horæ Canonicæ.

An satisfaciat præcepto recitandi Horas Canonicas, qui voluntariè ita distractè orat, ut nullam habeat attentionem internam? n. 290. An peccati mortalis arguendus sit, qui ex somno, crapula, aut capitis dolore Vesperas cum Completorio omittit? n. 291 An, & quando excusandus sit à mortali omittens totum Breviarium, aut notabilem ejus partem ob occupationes occurrentes, aliáque negotia? n. 293 An excusandus sit Beneficiatus ab onere restituendi ob omissas culpabiliter Horas Canonicas, qui largam in pauperes distribuit Eleemosynam, nil tamen cogitans de sua obligatione, & onere restituendi? n. 294 An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere tamen possit distributiones? n. 295 Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui, aliis in Choro psallentibus, profana legit, aut confabulatur cum Socio? n. 296. An peccet mortaliter Canonicus, qui dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro? n. 297 An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari tamen possit distributiones, non solùm proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium? n. 298. 299 An satisfaciat suæ obligationi recitandi Breviarium, qui illud ita festinanter recitat cum Socio, ut, antequam Socius ultima verba sui versiculi profert, ipse suam partem jam incipiat? n. 300 An qui dubitat, an aliquam Horam recitaverit, vel aliquid omiserit, teneatur repetere id, de quo dubitat? n. 301 An in recitatione Breviarii debeant verba necessariò ita proferri, ut recitans se ipsum audiat? n. 302 An Beneficiatus, qui

Beneficium quidem actu possidet, sed ob litem intentatam nullos interim fructus percipit, teneatur vi illius Breviarium recitare, & si non recitet, fructus postea percipiendos lite terminata restituere? n. 265. 266 Item an habens Beneficium valde tenue teneatur Breviarum recitare, & si non recitet, possit fructus aliàs pauperibus restituendos sibi tanquam pauperi applicare? n. 267. 268

I.

Jactantia.

Quale peccatum sit jactantia de peccato commisso? n. 488

Jejunium naturale.

An qui certò scit, se comedisse, vel bibisse, sed dubitat, an id ante, vel post duodecimam noctis horam acciderit, possit sequenti die licitè communicare, vel celebrare? n. 253 255 Et an id licitè possit, qui scit, se post medium noctis fuisse jejunum, sed dubitat, an postea aliquid de cibo, vel potu deglutiverit? n. 256. Uti & ille, qui ad primum horæ duodecimæ pulsum non statim cessat à comestione? n. 257

Illegitimi. Vid. *Filii.*

Impediens alium à consecutione alicujus boni. Vid. *Restitutio.*

Innocens.

An, qui scit authorem occulti homicidii innocenti falsò imputati, teneatur illum manifestare ad liberandum innocentem? n. 13. 14 Quid innocenti consulere possit, aut debeat Confessarius, qui sibi falsum crimen imposuit ad evitanda gravia tormenta? n. 8. 9. An innocens teneatur retractare confessionem falsi criminis sibi impositi ad evitanda gravissima tormenta? n. 89. an graviter peccaverit sibi grave crimen imponendo? n. 10. 11. 12. An innocens secundùm allegata, & probata nocens possit à Judice sciente privatim esse innocentem ad mortem condemnari? n. 126. 127. 128. Quid facere teneatur fur occultus, cujus furtum imputatur alteri innocenti? n. 13 14

Irregularitas, irregularis.

An illegitimus occultus sit irregularis? n. 307. An irregularitas ex defectu natalium tollatur per Professionem Religiosam, aut per solum ingressum

greſſum in Religionem? n. 306 An, & quando Clericus, aut Religioſus absque periculo irregularitatis poſſit furem, ſeu raptorem ſuarum rerum Judici denuntiare, etſi ex qualitate delicti prævideatur ad mortem condemnatum iri? 275. idque tam in cauſa propria, quàm aliena? n. 376. An Clericus excuſetur ab irregularitate, ſi denuntians, aut accuſans proteſtetur ſolùm oretenus, & exteriùs; internè autem contrarium ſentiat? n. 377 An Clericus clamando, & alios in auxilium vocando incurrat irregularitatem, ſi fur cum rebus furtivis aufugiens ab accurrentibus occidatur? n. 378 An, & quando in dubio judicandus ſit quis irregularis? n. 379 380 An quando plures quà graviter, quà leviter alterum vulnerant, ſint omnes irregulares? n. 384. An irregularis cenſendus ſit, qui alterum leviter vulnerat, ſed ex incuria neglecti vulneris paulòpòſt moritur? n. 385

Jubilæum.

An abſolvi poſſit ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ, qui prætextu publicati Jubilæi, & ſpe obtinendæ abſolutionis arma ad Turcas defert? n. 361

An faciens ultimum opus præſcriptum cum affectu ad aliquod peccatum veniale, lucretur nihilominùs Indulgentias Jubilæi? n. 554

An ad Jubilæum lucrandum requiratur Status gratiæ pro toto illo tempore, quô opera injuncta ponuntur, anue ſolùm pro tempore, quô ultimum opus perficitur? n. 560 An ſi ultimum opus factum fuit in Statu peccati mortalis, recedente fictione, ſeu peccati obice, reviviſcat poſtea Jubilæi Indulgentia? n. 561. 562

Judex.

An liceat Judici condemnare ad mortem eum, quem privatim ſcit eſſe innocentem, nocentem tamen probant allegata, & probata? n. 227. 128 An Judex teneatur ad reſtitutionem hæredibus Rei faciendam, quem non ſervato juris Ordine ad mortem condemnavit? n. 129 130

An ſuſpectus de maleficio à Judice damnari poſſit ad mortem propter multiplicatas Sagarum denuntiationes, etſi crimen Confeſſus non ſit? n. 148 An liceat Judicibus volentibus maleficum torquere, efficere, ut ejus corpus ablavatur, & pili totius corporis abradantur? n. 149. An, & quando Judex committat vitium acceptio-

ceptionis personarum? n. 85 An, & quando testis teneatur Judici interroganti respondere? n. 138. 139 An Judex teneatur in judicando semper sequi sententiam probabiliorem, & an judicans secundùm minùs probabilem teneatur ad restitutionem? n. 141. 143 An quando probationes ex parte facti sunt æquales, & jus æquè favet uni, ac alteri ex litigantibus, integrum sit Judici applicare rem, cui maluerit? n. 144. An, & quid Judex ratione neglecti sui Officii Reipublicæ restituere teneatur? n. 146 An in dubio de valore matrimonii ferenda sit à Judice sententia potiùs pro valore, quàm pro libertate sponsorum, idque procedat etiam in foro interno? n. 427 An quando Judex sub juramento interrogat, an aliquid de rebus ablatis occultaveris, vel retineas, negare possis, si aliqua occultaveris ad faciendam occultam compensationem? n. 343

Juramentum.

An, & quales contractus jure positivo nullos firmet juramentum? n. 40. 41

An, & quando obligatio juramenti promissorii transeat ad hæredes tam jurantis, quàm promissarii? n. 43. 44

L.

Larvatus.

An, & quomodo peccent Clericus, & Religiosus larvati per Urbem incedendo? n. 370 & Laicus incedendo larvatus veste Religiosa? n. 373

Legatum.

An subsistat Legatum relictum famulæ concubinæ? n. 311. An Legatum uxori relictum, si honestè, & castè vixerit, possit in conscientia ab ipsa exigi & retineri, si occultè fornicata sit? n. 173. Et an, ut illud amittatur, sufficiat unica fornicatio, an verò frequentia actuum requiratur? n. 174 An Legatum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur à fœmina amplexus virorum, & tactus impudicos admittente? n. 176. 177 An Legatum conjugi relictum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur per transitum ad secundas nuptias? n. 178. 179 De ultronea cessione Legati ad faciendam occultam compensatio-

sationem. n. 184. 185 An Legatum relictum Berthæ uxori, quamdiu vitam vidualem servaverit, extinguatur, eâ Religionem ingrediente? n. 183 De Legato, seu dispositione ad pias causas facta ab existente in statu peccati mortalis? n. 182 De Legato Ecclesiæ relicto, & postea deteriore effecto. n. 164 An Legatum relictum pro fœminis in matrimonium collocandis concedi possit viduis ad secundas nuptias transeuntibus? n. 165 An Legatum relictum pro virginibus maritandis acceptari, & retineri possit ab ea, quæ virgo non est, sed occultè corrupta? n. 166 An Legatum relictum famulæ, si cum uxore commorata fuerit, amittatur, uxore postea ad secunda vota transeunte? n. 167 An Legatum pro pauperibus relictum applicandum sit magis indigentibus? n. 168 An in testamento pio imperfecto valeant etiam Legata profana in eo relicta? n. 389

An, si in testamento extent legata aliqua profana, & aliqua pia, & bona testatoris non sufficiant ad satisfaciendum legatariis, diminuenda sint utraque legata, an solùm profana? n. 390

An, quando in testamento pecunia legatur, cujus valor tempore mortis testatoris extrinsecè immutatus est, præstandus tunc sit valor, quem pecunia habebat tempore mortis testatoris, an verò quem habuit tempore conditi testamenti? n. 186. 187 Item an in moneta antiqua; an verò in nova præstanda sit solutio, quando certa species in obligationem deducta est, & postea valor illius intrinsecè immutatus est? n. 187 An quando absque designatione certæ speciei, & numeri in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea monetæ valor extrinsecè immutatur, diminutionis detrimentum, & commodum augmenti ferre debeat creditor, an verò debitor? n. 188. 189. An Legatum relictum, ut pauperibus distribuatur, possit totum dari uni pauperi, vel duobus tantùm? n. 169. De quibus consanguineis intelligendum sit Legatum, relictum pro consanguineis testatoris? n. 171

Quinam consanguinei sint aliis præferendi in Legato relicto pro consanguineis pauperibus? n. 172. De impediente alium à consecutione legati. n. 94. 97

Legitima.

Quo jure debeatur legitima, & quanta, & de filio eâ privato. n. 393. 395 An post mortem patris in legitimam conferendi sint sumptus à filio ex consensu patris facti in gradus Academicos, lustrationem peregrinarum Regionum, emptionem Officii &c.? n. 396. 397. 398

An, & quales donationes filio à patre factæ in legitimam, seu portionem hæreditatis conferendæ sint? n. 399. 400

Lex.

An lex purè pœnalis obliget in conscientia? n. 21 An pueri, cùm ad usum rationis perveniunt, teneantur Statim legibus Ecclesiasticis, quæ expressè tempus obligationis non determinant? n. 262. 263

Licentia assistendi matrimonio. Vid. *Assistentia.*

Litteræ dimissoriæ.

An Litteræ dimissoriæ Româ obtentæ, antequam executioni mandentur, re adhuc integra exspirent morte concedentis? n. 584. De litteris dimissoriis ab Episcopo dandis, & à Capitulo, sede vacante. 585. 586

Locator Vid. *Conductor.*

M.

Mandatum.

An, & quando mandatum Pontificium morte Pontificis exspiret? n. 264

Matrimonium.

An, & quomodo peccet filius inconsultis, & invitis, parentibus iniens matrimonium? n. 409. Quomodo, & quando peccent parentes filiorum matrimonia impedientes? n. 411. Et an aliquam censuram incurrant? n. 413

An validum sit matrimonium, cui Parochus assistit contra prohibitionem Episcopi? n. 407 An fictè promittens matrimonium, rogatus à Judice negare possit, se promisisse, & si fateatur, compellendus sit ad ineundum matrimonium? 425

425. 426 An in dubio de valore matrimonii ferenda, sit à Judice sententia potiùs pro valore, quàm pro libertate Sponsorum, idque procedat etiam in foro interno? n. 427 An hæc verba: Deinceps mea uxor eris, volo tecum contrahere, matrimonium constituant, an Sponsalia? n. 428

Quales, & quot testes sufficiant ad impediendum matrimonium, & sponsalia dissolvenda? n. 429 An matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica validum sit, & licitum? n. 439. 440 Anue ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere possit, opus sit consensu speciali Ordinarii, vel dispensatione Pontificia? n. 442

Quid contracto matrimonio liceat voto castitatis obstricto circa ejusdem usum, & quid ei faciendum sit eô dissoluto? n. 445 Qualis licentia requiratur, & sufficiat, ut matrimoniis assistere possit alienus Sacerdos? n. 453. An tacita de præsenti, aut etiam ratihabitio de futuro? n. 454. 455 An valida sit licentia assistendi matrimonio mendaciis, & dolo obtenta, aut metu extarta? n. 458

An ad assistendum matrimonio sufficiant qualescunque testes? n. 460. 461

An valeat matrimonium coram Parocho, & testibus vi, aut dolo detentis, & invitis? n. 462. An subsistat matrimonium contractum à voto castitatis obstricto sub conditione servandæ castitatis, & ne conjux debitum conjugale exigat? n. 419. 424 De matrimonio Surdi simul, & muti à nativitate. n. 207 An & quomodo peccent contrahentes matrimonium coram Parocho dolô, vel vi detento? n. 462

Medicus. Medicina.

An Medicus, quando de ægri salute disperatum est, nec suppetit remedium certius, applicare possit medicinam incertam, & dubiam, an salutaris, anue noxia futura sit? n. 160. 161. An, & quomodo peccet Medicus, si ægrum periculosè decumbentem non moneat de instante periculo mortis? n. 162

An peccet Medicus recusans ægros pauperes invisere, & curare non valentes solvere salarium? n. 163

Missa.

An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomade Missam omittere, & legere pro se, vel Stipendium, daturis? n. 523 An plùs prosit Missa boni, quàm mali Sacerdotis, & plùs Missa de *Requiem*, quàm alia, & quale peccatum sit accipere Stipendium pro Missa, de *Requiem*, & legere de festo currente? n. 525 An magis expediat, ut quis se adhuc vivente Sacrificia pro se potiùs fieri curet, quàm post mortem? n. 526 An, & quomodo peccet Sacerdos, qui pro Stipendio nova onera Missarum celebrandarum suscipit, oneribus jam susceptis non persolutis? n. 527. 528 An, & quomodo perficiendum, ac supplendum sit Sacrificium Missæ, si celebrans deficiat post sumptam utramque speciem, vel solam S. Hostiam? n. 529. 530 An, & quale peccatum sit non lavare manus ante Missam, vel omittere preces inter induendum, vel aliquid omittere in decursu Missæ? n. 531. 532 An, & quomodo peccet, qui in Canone aliqua addit ex privata devotione, aut ea, quæ alta voce dicenda sunt, recitat submissè, aut vicissim? n. 533. 534. 535 An, & quando Parochus, interrupta Missa, S. Viaticum ad moribundum deferre possit, aut debeat? n. 536 An à celebrante post sumptam ablutionem, aut Missam finitam sumi possint fragmenta, seu particulæ S. Hostiæ, tam à se, quàm ab alio consecratæ? n. 538. 539 540

Qualis viæ distantia ab auditione Missæ excuset diebus ab Ecclesia præceptis, & quænam alia causa? n. 541. 542. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ die festo, qui primùm venit ad Offertorium, vel qui solùm audit Missam ab initio usque ad Communionem, aut qui unam solùm partem Missæ audit ab uno; aliam verò ab alio celebrante? n. 543. 544 545. 546 An liceat cuivis Sacerdoti privatim Missam celebrare die Jovis Sancto, aut Sabbato S.? n. 547 An die animarum, seu commemoratione omnium fidelium defunctorum Sacerdotes Missas celebrare debeant generaliter pro omnibus fidelibus defunctis; an verò pro aliquibus in particulari applicare possint? n. 548 An & quomodo delinquat Sacerdos simplex, qui rarò, vel nunquam infra annum Missam celebrat? n. 549 550

Monetæ

Monetæ valor. Vid. *Valor.*

Monialis.

An Moniales uti possint privilegiis concessis Viris Religiosis sui Ordinis? n. 522. Et an tempore Jubilæi possint sibi eligere Confessarium specialiter non approbatum? 521

Monitio ægri. Vid. *Medicus.*

Mortui. Vid. *Defuncti.*

Motus naturæ pravi.

An, quando & qualis detur obligatio resistendi pravis naturæ motibus? n. 494. 495

Mutus simul & Surdus.

An, & quando mutus simul, & Surdus à nativitate admitti possit, aut debeat ad Confessionem, & Communionem, aut matrimonium? n. 205 206

Mutuum.

An, qui scit valorem pecuniarum brevi minuendum, possit mutuam dare pecuniam eo pacto ut restituatur juxta valorem, quem habuit tempore mutuationis? n. 105. 106. An accipiens centum aureos mutuos in specie, antequam eorum valor augeretur, teneatur centum restituere in specie post auctum eorum valorem, anue satisfaciat reddendo æqualem valorem? n. 107 108 An pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus licitum sit aliquid accipere supra sortem? n. 109

N.

Naturales. Vid. *Filii.*

Naturale jejunium. Vid. *Jejunium.*

Negotiatio.

An. & quomodo peccet Clericus negotiando per alium? n. 588. 590 An graviter peccet Clericus, qui unâ solùm, alterave vice negotiatur per se ipsum? n. 592 An Clericus non habens, unde honestè vivat, licitè negotietur? n. 594 An, & quando liceat Thesaurario cum pecuniis Principis negotiari, & lucrum sibi retinere? n. 596 597

Notarius.

An, & quomodo Notarius peccet, & ad restitutionem teneatur conficiendo instrumenta palliatam usuram continentia? n. 156 Vel non manifestando Legata iis, quibus fiunt, aut ex imperitia, vel negligentia omittendo aliqua ex iis, quæ ad confectionem instrumenti requiruntur ? n. 157. 158

An Notarius accipiens aliquid ultra pretium taxatum, etiam sponte oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur ? n. 159

Nuptiæ. Vid. *Sponsalia.*

O.

Officia.

Publica Officia an sint conferenda dignioribus,& an vendi possint? n. 82. 84

Opera.

Quænam dicantur opera viva, mortua, & mortificata? n. 181

P.

Pactum.

An licita sint pacta inter conjugem Catholicum, & hæreticam inita, ut masculi patrem Catholicum sequantur, & fæmellæ matrem hæreticam, & viciſſim ? n. 443 De pactis dotalitiis. Vid. *Dos.*

Paupertas fortuita sponsæ. Vid. *Sponsalia.*

Pensio augenda, vel minuenda.

An, & quando constituta pensio sit minuenda, vel augenda ob anni sterilitatem, aut fertilitatem? n. 50. 51. 52. 53

Percussio Clericorum. Vid. *Excommunicatio.*

Peregrini.

An, & quando, & à quo Confessario absolvi possint peregrini, & advenæ habentes casum reservatum, & transeuntes ad aliam Diœcesim? n. 208. 209

Pollutio.

An

An pollutio, quæ incipit in somnis, sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda? n. 496 An debeat quis abstinere à calidioribus cibis &c. post quorum sumptionem advertit, se in somnis incidere in pollutionem? n. 597

An peccatum mortale sit desiderare pollutionem in somnis, aut de ea in in somnis habita gaudere? n. 498

Præscriptio.

An præscribi possit debitum indefinitè contractum? n. 45 46

Præsentatio ad Beneficia. Vid. *Electio.*

Pretium. Vid. *Valor monetæ.*

Prioriſſa. Vid. *Abbatiſſa.*

Privilegium.

An privilegium recitandi Breviarium extra tempora consueta extendatur etiam ad Socium, cum quo recitas? n. 318 An, & quando privilegium per non usum amittatur? n. 315. 316

Profeſſio Simoniaca. Vid. *Simonia.*

Pueri.

An pueri, cùm ad usum rationis perveniunt, teneantur Statim legibus Ecclesiasticis, quæ expressè tempus obligationis non determinant? 362 An post septennium liceat pueris die jejunii carnes ministrare? n. 263

R.

Religio. Vid. *Candidatus. Simonia.*

Rescriptum.

An & quando Rescriptum cum morte delegantis exspiret, & an, & cum morte delegati, aut finito ejus Officio? n. 574. 578 An & quando error, qui committitur in nomine mutato, gradu consanguinitatis, loco &c. vitiet Rescriptum? n. 466. 467

Restitutio.

De restitutione facienda ob homicidium. Vid. *Homicidium.* De restitutione facienda à Judice, Advocato, Notario, teste.

ste. Vid, *Judex. Advocatus, Notarius, testis.* De restitutione præstanda à venante in alieno territorio, & à defraudante gabella, & vectigalia. Vid. *Venatio. Gabella.* De restitutione facienda ab emptore, Debitore, & à fure. Vid. *Emptor. Fur. Debitor.* An, & quando accepta per dolum sint restituenda? n. 32. 33. Et an & quando emendicans, & accipiens Eleemosynam simulata paupertate teneatur ad restitutionem, & quibus sit facienda? n. 31. 32 De restitutione facienda ob detractionem. Vid. *Detractio famæ.* De restitutione famæ facienda Defunctis. Vid. *Defuncti, mortui.* De restitutione præstanda ab eo, qui alium cum, vel absque vi impedivit à consecutione alicujus boni. n. 93. 94. 95 Vel absque vi, sed animo nocendi. 97 De restitutione facienda à Beneficiato, & Electore. Vid. *Beneficiatus. Electio.*

De restitutionis radicibus. n. 58 59 De restitutione facienda à possessore bonæ, & malæ fidei. n. 60.

S.

De sagis. n. 150. 151

Scandalum.

An & quomodo peccet, qui vendit, aut ministrat indifferentia, ex quibus proximus sumit occasionem peccandi? n. 563. 564

Scheda Confessionis.

An Scheda Confessionis danda sit ei, cui ob indispositionem negata fuit absolutio? n. 245 An sub sigillo Confessionis teneatur, qui casu Schedam, in qua pœnitens sua peccata scripserat, reperit, & legit? n. 246. An pro valida habenda sit Scheda manu testatoris scripta, sed non subscripta, nec teste firmata, nec appositio die, neque anno? n. 392

Simonia.

An, & quando pro receptione Candidati in Religionem possit aliquid exigi, & accipi absque Simonia? n. 402. 404 An absque labe Simoniæ liceat offerre alicui munera, aliquid promittere, legare &c. sub conditione, ut Religionem ingrediatur? n. 405 An Monasterium, à quo postulatur Religiosus in Prælatum eligendus, possit absque Simonia aliquid petere, & accipere pro concessione talis personæ Religio-

ligiosæ? n. 404 An Professio Simoniaca sit valida, & quæ juris pœnæ incurrantur per Simoniam comissam circa ingressum in Religionem? n. 406 An Simonia mentalis inducat pœnas in Simoniacos Statutas? 273. 274

Simulatio falsæ sectæ. Vid. n. 230 231

Somnia.

An, & quale peccatum sit somnia observare, & unde dignoscendum, an sint à Deo, anue à Dæmone? n. 67. 68. 69

Sponsalia.

An inita sponsalia mutuo consensu dissolvi possint absque Judicis authoritate, etiam quando sunt juramentô firmata? n. 430. An sponsus resilire possit àSponsalibus juratis ob defloration sponsæ vi ab alio corruptæ? n. 431. Et an id possit ob fornicationem sponsæ sponsalia præcedentem, quam ignorabat, putans sponsam esse virginem? n. 432. 433. 434. vel cùm contraxit cum vidua existimans esse virginem? n. 435 An valeant sponsalia inter personam hæreticam, & catholicam? n. 441. An si unus sponsorum laboret vitio occulto, cujus si alter conscius esset, haberet justam causam resiliendi, vel non contrahendi, possit suum vitium tacere, & contrahere sponsalia, vel post illa contracta alterum coram Judice cogere ad ea implenda? n. 538. An sponsus ob paupertatem Sponsæ supervenientem à sponsalibus licitè resilire possit? n. 415. An sponsus sponsalibus renuntiare possit ob insperatas divitias sibi post illa contracta supervenientes? 416 An utrique sponso, vel cuinam à sponsalibus resilire liceat, quando post ea contracta uterque fornicationem commisit? n. 417. 418. Quot, & quales causæ sufficiant ad resiliendum à sponsalibus? n. 436

Spurii. Vid. *Filii.*

Sterilitas. Vid. *Pensio minuenda.*

Subdelegatio. Vid. *Potestas.*

Successio liberorum. Vid. *Filii.*

Sumptus. Vid. *Expensæ.*

T.

Tabernarii. Vid. *Caupo.*

Testamentum. Testator.

An in testamento pio imperfecto valeant etiam legata profana in eo relicta? n. 389 An dispo-

dispositio ad pias causas facta à testatore existente in Statu peccati mortalis sit ei in Statu gratiæ decedenti profutura? n. 182. An valeat testamentum, in quo propria testatoris anima hæres instituitur? n. 386. Quid valoris in utroque foro habeat dispositio in Schedà à Parocho scripta, & à testatore dictata? 387 Item manu testatoris scripta, sed non subscripta, nec appositò die? 392 An, & quando valeat testamentum, quò filia spuria hæres instituitur? n. 309

An, quando in testamento pecunia legatur, cujus valor tempore mortis testatoris extrinsecè immutatus est, præstandus tunc sit valor, quem pecunia habebat tempore mortis testatoris; An verò quem habuerat tempore conditi testamenti? n. 186. 187

Testis.

An. & quando testis ratione falsi testimonii ad restitutionem teneatur? vel si citatus comparere, ac testari recuset? n. 131. 132. 133

An, & quando testis teneatur Judici interroganti respondere? 1. Quando crimen est occultum. 2. Quando crimen est notorium, sed ignoratur author illius. 3. Quando Author criminis laborat, vel non laborat infamia. 4. Quando juramento se obligavit ad non revelandum delictum. n. 134 135. 136. 138. 139. An ad assistendum matrimonio sufficiant qualescunque testes? n. 460. 461 An etiam inviti, aut vi, vel dolo detenti? n. 462 Quales, & quot testes sufficiant ad impediendùm matrimonium, & ad sponsalia dissolvenda? n. 429

Thesaurarius Principis.

An, & quando liceat Thesaurario negotiari cum pecuniis Principis, & lucrum sibi retinere? n. 597. 598. Et an, & quomodo peccet retartando solutionem Creditorum Principis, vel in solutione unum alteri præferendo? n. 600

Turpia.

An, & quale peccatum sit turpia componere, repræsentare, pingere, legere? 480

Tributum. Vid. *Gabella.*

U.

Vectigal. Vid. *Gabella.*

Valor monetæ.

An

An quando certa ſpecies, aut numerus pecuniæ promiſſus eſt, aut de eo ſolvendo conventum eſt, poſſit Creditori adhuc ſatisfieri per aliam ejusdem valoris monetam? n. 190

An ſciens valorem pecuniarum minuendum poſſit mutuam dare pecuniam, ut ea reſtituatur juxta valorem, quem habuit tempore mutuationis? n. 105 106 An accipiens centum aureos mutuos in ſpecie, antequam eorum valor augeretur, teneatur centum reſtituere in ſpecie poſt auctum eorum valorem; anve ſatisfaciat reddendo æqualem valorem? n. 107. 108

An valor, ſeu pretium receptum pro uſu, & exercitio magicæ artis ſit reſtitutioni obnoxium? n. 70 An quando valor monetæ immutatur, diminutionis detrimentum, aut commodum augmenti ferre debeat Creditor, an verò debitor? n. 188

Venatio.

An fera ſit vulnerantis, anue capientis? 25 Et ad quem pertineant aves à te laqueo captæ, ſed ab alio extractæ? n. 26 An feras capiens in alienis limitibus peccet, & ad reſtitutionem teneatur? n. 28 An omnibus licita ſit venatio, & quibus in locis? n. 27

Venerei motus. Vid. *motus.*

Verba turpia.

An, & quando verba turpia proferre, vel audire ſit in ſolutis peccatum mortale? n. 489

Vicarius Gen.

An dignitas Vicarii Gen. ſit perſonalis, anue realis ſeu perpetua? n. 579

Votum.

An validum ſit votum caſtitatis emiſſum ab eo, qui gravibus carnis Stimulis identidem vexatur? n. 499 Uti & votum ineundi matrimonium editum ab eo, qui in periculo verſatur ſæpiùs graviter labendi? n. 501. An in commutatione voti facta in ordine ad contrahendum matrimonium mortuo poſtea marito, & redeunte voti obligatione extinguatur obligatio materiæ abſoluta, anue illam exequi teneatur uxor? 504. Et an, & quale peccatum ſit pœnitere de voto facto? 506. An poteſtas delegata diſpenſandi in votis,

vel ea commutandi se extendat ad vota juramentô firmata, & an dispensatiô voti juramentô firmati, tacitô votô petita, & obtenta, subreptitia sit, & nulla? 507. 509

An, & qualiter votum simplex castitatis, ante matrimonium emissum, matrimonium, ejúsque usum impediat? 445. 510 An maritus irritare possit votum simplex castitatis ab uxore ante initum matrimonium emissum, aut constante matrimonio editum, & quænam alia? n. 413. 414

Viaticum S. Vid. *Communio.*

Usura.

An speciem habeat usuræ contractus, quo 5. annui pro centum fl. petuntur, & accipiuntur? n. 114. 115. 116. 117 118 An usurarius sit contractus, vi cujus Creditor tam in causa profana, quàm in causa pia rei oppignoratæ fructus lucratur, donec ipsi totum debitum solvatur? n. 119. 120 An licitum sit emere censum cum pacto, ut venditor, cùm redimere voluerit, redemptio fiat in eadem specie monetæ? n. 121

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN